IX 178

EPITOME CURSÛS THEOLOGICI

AD MENTEM D. THOMÆ DOCTORIS ANGELICI,

COMPLECTENS

Controversias omnes quæ hâc tempestate exagitari solent in Scholis,

In gratiam & juvamen studiosæ Juventutis,

OPERA

Fr. VINCENTII FERRER, S. ORD. PRÆD. Phil. & Theol. Magistri, Doctoris & Professoris Valentini, apud S. Inq. Senatum Qualificatoris, in Almo Prædicat. Conventu Emeriti Studiorum Præfecti.

TOMUS III.

Ex Libris R. P. Fris Francisci Rychłowski S. T. Lris Proff. Imarij Bibliothecæ ad Ædes S. Francisci Ejusd. M. P. R. P.

SUPERIORUM PERMISSU,

VALENTIÆ, ANNO M.DCC.XXVIII.

Apud Antonium Badle.

Pro Bibliothecæ Conventus Crasnobrodensis OP 1777mo

ILLUST.MO ET EXC.MO D.

D. ANDREÆ DE ORBE,

ET LARREATEGUI,

ARCHIEPISCOPO VALENTINO,

SUPREMI REGII SENATUS GUBERNATORI
Ampliſsimo, &c.

AUREUM *Theologiæ Orbem diù noctùque animo luſtrans (Excellentiſsime Princeps) eò, Deo O. M. miſerante, perveni, ubi Angelicus Doctor totus eſt in contemplandis* LEGIBUS, GRATIA, FIDE, *quibus natus, datuſque creditur probatiſsimus Pugil & Vindex*; elegit *quippè* eum Dominus ex omni carne *ad confutandos omnes omninò hæreticorum, & infidelium errores. Pullulant quidem continuè ex perempta à Tanto Hercule Hydra venenati angues, homuli (inquam)* exleges, ingrati, infideles, *qui ſibila dantes, ſaniemque vomentes, ſupercilio pluſquàm Thraſonico, Leges, Gratiam, Fidem, Scripturas, Traditiones, Eccleſiam, Cæleſtem Petri, & Succeſſorum Poteſtatem, omnia demùm Sacra Religionis Dogmata, furente diabolo, & ovante ſeculi noſtri licentia, arietare, & vertere audaciſsimè tentant: ſed juxta inaniſsimè; uno namque Angelicæ D. Thomæ Doctrinæ objectu omnes Orci machinæ ruunt, evaneſcunt: Uno iſtius* ſplendidiſsimi Catholicæ Fidei Athletæ Clypeô *cuncta* hæreticorum tela feliciter eludit Eccleſia, *Supremo ejuſ-*

dem teſtante Hierarcha. Ex hujus igitur Tanti Heroïs Manoplia clypeatus in arenam deſcendi, bella Domini præliaturus, & Orthodoxiam propugnaturus adverſus omnes illius juratos hoſtes, ſed maximè hujus luctuoſiſsimi ſæculi peſtes, & Inferi portas, Lutheranos, Calviniſtas, horumque infundas reliquias, Bajanos, Janſenianos, Queſneliſtas, cæteroſque Novatores, quos toto ferè hoc tertio Volumine inſector, & Angelici Ducis premendo veſtigia, pro munere & modulo meo, enucleo & tueor Legum vigorem; Gratiæ neceſsitatem, ſufficientiam, præcipuos effectus, ſeu, juſtificationem, & meritum; Fidei firmitatem, motivum, infallibiles Regulas, Eloquia ſcilicèt Dei, ſeu Scripta, ſeu Tradita, Eccleſiam, ejuſque Monarcham Romanum Pontificem, & Sacra Concilia ab ipſo probata. Qualeſcumque autem ſint meæ iſtæ Lucubrationes, non diù, nec ambigui lance conſilii deliberandum fuit, cujus tutelæ vel patrocinio dicarentur. Tibi (Excellentiſsime Archipræſul) multis nominibus debebantur, qui ex Magna ORBEA Familia, Orbi notiſsima, ad majora natus, alta à longè cognoſcens (quod divinum eſt) nonniſi humilia reſpicis. Hinc, in tot jam Virtutis, Doctrinæ, & Dignitatis faſtigia evectus, me, tantillum licèt, meoſque qualeſcumque labores ſumma humanitate tua, & munificentia ſingulari (illaudatum illum Mecœnatem referens) amplexus es; eò me rediges, ut quidquid à me poteſt proficiſci, ad Te confeſtim adproperet grati animi in monumentum & pignus. Id quod Honores Ampliſsimi, quibus perfunctus es, jurè expoſtulant. Tu poſt tritum in Scholis Pincianis pulverem, poſt illuſtratas Collegii Majoris Togam, & Canonum Cathedras, ad Conchenſis

&

& Hiſpalenſis Sacræ Inquiſitionis Subſellia, inde ad Barchinonenſes, & Valentinas Infulas, noſtræque florentiſsimæ Academię Cancellariam provectus es: Et hinc poſtremò ad Supremi Regii Senatus Præfecturam, ut, juxta cognomen tuum, totius Hiſpanici ORBIS ſaluti ac felicitati conſuleres. Hi, inquam, Honorum Gradus totidem momenta ſunt, quibus præſens Elucubratio mea Te ſibi Patronum vendicet, ſi illius argumenti gravitas & majeſtas ſeriò perpendatur. De meritis autem tuis nec opus eſt, nec oportet quidpiam memorare, nè, aut aſſentator, aut tuę modeſtiæ injurius videar, quo nihil ab ingenuitate mea, & in Te obſervantia, alienius. Accipe igitur, Excellentiſsime Domine, hunc librum benigniſsimè, ut ſoles, obvioque ſinu, qui apud animum tuum teſtatum relinquat, me tuorum beneficiorum memorem fore, gratumque,

..... dum ſpiritus hos reget artus.

Deus O. M. Te Eccleſiæ Tuæ, Ordini Noſtro, & Hiſpanæ Ditioni diù ſervet incolumem. Valentiæ è Regio Prædicatorum Conventu.

Illuſtriſsimę & Excellentiſsimę Dominationis tuę

Addictiſsimus & obſequentiſsimus ſervus

Fr. Vincentius Ferrerius.

FA-

FACULTAS ORDINIS.

NOs Fr. Vincentius Pertusa, S. Theologię Professor, ac Provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum humilis Prior Provincialis, & servus. Harum serie, nostrique authoritate Officii licentiam concedimus, & facultatem R. A. P. M. Fr. Vicentio Ferrer, S. Theol. Doct. & Professori Valentino, ac S. Officii Qualificatori, typis mandandi Tomum tertium *Epitomes Cursus Theologici*, dummodò recognitus, & approbatus fuerit à R. A. P. M. Fr. Michaele Gosalbo, S. Theol. Doct. & Professore, & R. P. Fr. Hyacintho Segura, S. Theol. Lectore. Servatis aliis de jure servandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen. Datum Valentiæ in nostro Regali Conventu Prædicatorum, die 1. Aprilis 1728.

Fr. Vincentius Pertusa,
Prior Provincialis.

Registrata fol. 12.
Fr. Franciscus Vidal,
Præsent. & Socius.

CENSURA R. A. P. M. Fr. MICHAELIS GOSALBO, Phil. Mag. S. Theol. Doct. & Professoris Valentini, in Regio Prædic. Conventu Studiorum Regentis, & R. P. Fr. Hyacinthi Segura, ejusdem Conventus Phil. ac S. Theol. Primarii Professoris emeriti, Examinatoris Synodalis.

MAndatò R. A. P. N. M. Fr. Vincentii Pertusa, Provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum Præfecti, Tomum hunc tertium *Compendii Cursus Theol.* attentè conspeximus, concinnatû à R. A. P. M. Fr. Vincentio Ferrerio, Theol. Doct. Censore, & Professore Valentino, atque in Prætorio S. Inquisitionis Qualificatore; eumque perspicuò stylò, accuratâ methodò, ac optimæ ubertate doctrinę ad brevitatem apprimè commodam redactâ, in nullo reperimus prioribus disparem: cùm pariter in illo quidquam non sit invenire Orthodoxę Fidei, pietati, & sacris sanctionibus adversû, dignum censemus, qui in lucem prodeat. In Almo Prędicat. Valent. Convent. die 5. Aprilis 1728.

Fr. Michael Gosalbo. *Fr. Hyacinthus Segura.*

APPRO-

APPROBATIO REVERENDISSIMI P. M. Fr. ANTONII Oloriz, S. Ordinis Carmelitani Regularis Obſervantiæ, Phil. Mag. Theol. Doct. Conventus Alonenſis bis Prioris, Prov. Aragoniæ jam Socii, Secretarii, & Diffinitoris, Exam. Synod. & S. Officii Qualific. & Judicis.

JUſsû Perilluſtris D.D. Joſephi de Rius, Canonici Barchinonenſis, & Archiepiſcopatûs Valentini Vicarii Gen. ac Gubernatoris, &c. avidiſsimè legi Tomum hunc tertium *Epitomes Curſus Theol.* Opus ſanè aculeatum & dulce, Apem undiquè referens, non qualemcumque, ſed ex Capite myſtici illius Bovis D. Thomæ planè ortam, ſingulos Paradyſi ejuſdem flores populantem; errores omnes, ſeu veteres, ſeu recentes, accumine abigentem; univerſos ſtudioſos mirâ ſuavitate allicientem; nihil poſtremò fidei, aut honeſtati adverſum bombilantem: Quapropter illud publicâ luce digniſsimum cenſeo. In Reg. Carmelit. Cœnobio Valentino. Quarto Kalendas Junias 1728.

Fr. Antonius Oloriz.

Imprimatur.
De Rius, Vic. Gen.

JUDICIUM QUOD DE HOC TOMO TULIT DOCTOR D. Vincentius Navarro, in Valentina Academia Phil. Mag. tèrque Profeſſor, S. Theol. Doct. Profeſſ. ac Cenſor, &c.

DUm Regii Supremi Senatûs imperiò ſedulò evolverem tertium hunc Tomum *Epitomes Curſus Theol.* ad mentem D. Thomæ, concinnatum à Reverendiſſ. P.M. Fr. Vincentio Ferrerio, Doct. & Profeſſ. perpetuo Valentino, &c. comperi, Sapientiſsimum Authorem, operis titulum impleviſſe; eſt quippè illud vera & germana Theologiæ Thomiſticæ Epitome, in qua Angelicæ Doctrinæ puritas, ubertas, ac ſoliditas, cum pari recondita eruditione, & mira perſpicuitate conjunctę ubique nitent, eò pretioſius, quò preſsius. Et quidem Tomus iſte tertius priores (communi Sapientum calculò probatos) ſin ſuperat, æquat. Et cùm ni-

nihil Sacris Dogmatibus, Christianis moribus, aut Regiis Juribus dissonum contineat, dignum illum judico, ut in lucem prodeat. Valentiæ Kalendis Junii 1728.

Doct. Vincentius Navarro.

ERRATA.

Num. 26. se, *lege* seu. N. 67. boborum, *lege* bonorum. N. 73. incendere, *lege* incedere. N. 168. & 189. Cœletinus, *lege* Cœlestinus. N. 193. decerent, *lege* dicerent. N. 219. quoàd, *lege* quòd. ~~N. 260. cœlestem, lege coelestem.~~ N. 290. prælnditur, *lege* præcluditur. N. 352. tantigitur, *lege* tangitur. N. 710. crepulatus, *lege* crapulatus. N. 711. in Persona, *lege* in Persa. Et ibidem Habeant, *lege* Abeant.

He visto este tercer Tomo del Epitome *Cursus Theologici*, y quitadas estas erratas, corresponde con su original. Madrid, y Setiembre 8. de 1728.

Lic. D. Benito del Rio y Cordido.

LICENCIA, Y TASSA.

Dieron licencia los Señores del Consejo, para imprimir este Libro intitulado *Epitome Cursus Theologici ad mentem D. Thomę. Tomus tertius*, su Autor el P. M. Fr. Vicente Ferrer, Cathedratico en la Universidad de Valencia, &c. y le tassaron à 12. maravedis cada pliego, como mas largamente consta por certificacion dada por D. Bartholomè Garcia y Visso, Sec. de Camara del Rey N.Sr.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM.



ISSERUIMUS Tomô præcedenti de ultimo hominis fine, & actibus quibus ad illum pervenire, vel ab eo deviare potest, eorumque intrinsecis principiis: oportet nunc consequenter de illorum exterioribus principiis considerare. Principium autem exterius ad malum inclinans, est diabolus, de cujus tentatione egit D. Th. 1. p. Movens autem ad bonum, est Deus, qui & nos instruit per legem, & juvat per gratiam; quarum consideratione absolvit S. D. Primam Secundæ: De quibus proindè differendum nobis est, antequàm Secundam Secundæ exponendam aggrediamur. Sit igitur

TRACTATUS I.

DE LEGIBUS.

A quæst. 90. ad 108.



CTODECIM quæstionibus absolvit S. D. utilissimam hanc & juxta necessariam de Legibus Tractationem, earum naturam, munera, dotes, tum in communi, tum in speciali mirificè, pro more, explicans. Cuius doctrinam sequentibus disputationibus complecti conabimur.

DISPUTATIO I.

De Legibus in communi.

EXistentiam, seu necessitatem Legum, ut certam & manifestam supponit Doct. Ang. & meritò: experientiâ enim constat id quod Arist. & Tullius eleganter dixerunt, nullam, scilicèt, Rempublicam sine Legibus stare posse, non secùs ac corpora nostra sine nervis & sanguine: imò rerum omnium salutem in Legibus sitam esse, Legibus totius universi ordinem constare. Hoc igitur præsuppositô, sit

DUBIUM UNICUM.

Quid, & quotuplex sit Lex? Et quænam illius officia, effectus, & actus?

1 PRima concl. *Lex nihil est aliud, quàm quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet promulgata.* Sic D. Th. q. 90. a. 4. & omnes ejus Discipuli, quibus adhærent Vazquez, Valentia, Azor, & alii, contra statuentes legem in actu voluntatis, aut intellectûs & voluntatis simùl. Prob. concluf. singulas diffinitionis partes firmando & explicando. Dicitur lex *rationis ordinatio*, Tum, quia ad legem pertinet imperare & prohibere, quæ sunt rationis actus. *Tum*, quia lex est quædam regula & mensura actuum, secundum quam inducitur quis ad agendum, vel ab agendo retrahitur; dicitur enim *lex à ligando*, quia obligat; regulare autem & mensurare actus humanos, ad rationem pertinet, cùm sit primum illorum principium. Cùm autem intellectus practicus, ad quem lex pertinet, præsupponat voluntatis actum à quo movetur & movendi efficaciam derivat, illum pariter lex connotat ac

præ-

præsupponit. *Nota* tamen, legem non consistere formaliter in actu imperii, sed in hujus dictamine aut verbo practico: quemadmodùm diffinitio, enuntiatio, & argumentatio sunt termini trium operationum intellectûs speculativi, ut apertè docet D.Th.a.1.ad 2. & appositè notat Conradus.

2 Dicitur *ad bonum commune*, quia propter istud debet esse lex, ut ostendit D.Th.a.2. *Tum*, quia Isid.lib.5.Etym. ait, *quod lex est nullo privato bono, sed pro communi utilitate civium conscripta.* Tum, quia regulari debet per primum principium practicum, quod est ultimus finis & beatitudo: unde lex naturalis ordinatur ad beatitudinem naturalem, supernaturalis ad supernaturalem, civilis, ad politicum, salutem scilicèt, & pacem publicam. Hinc dixit Plato: *Leges condendas esse publicæ pacis gratia*, & Tullius, *constituendas esse publicæ salutis causa*, juxta illud duodecim Tabularum, *Salus populi suprema lex esto.* Et hæc est communis Theologorum, & Jurisperitorum vox, loquendo de fine intrinseco legis, cui omninò accidet, si legislator legem, etiam justam, ad proprium interesse detorqueat. Dicitur *ab eo qui curam, &c.* Nec enim cujuslibet est legem condere; sed, vel totiûs multitudinis, vel personæ publicæ, curam illiûs habentis, ut ostendit D.Th.à 3. quia horum solùm est ordinare in bonum commune, à lege principaliter inspectum: quippè & in omnibus aliis ordinare in finem est ejus cujus est proprius ille finis. Nomine autem *communitatis* intelligitur completa & perfecta, cujusmodi sunt Ecclesia, Regna, Provinciæ, Civitates, Universitates, & Ordines Religiosi.

3 Additur *promulgata*: quia licèt promulgatio non sit de essentia legis, aut ratio formalis illiûs; est tamen conditio intrinseca & essentialis, ut lex actualiter obliget: quemadmodùm est apprehensio boni, ut istud terminare possit actum voluntatis: est quippè lex regula & mensura, hæc autem imponitur, dùm mensurato applicatur: ut igitur lex virtutem obligandi obtineat (quod est proprium legis) debet hominibus applicari per promulgationem. Ideoquè dicit S.D. quòd *promulgatio est de ratione legis*, nimirùm, tanquàm conditio essentialis, non tanquàm ratio formalis. Et in eo-

dem sensu dicitur in Decretis, quòd *Leges instituuntur, cum promulgantur.* Promulgatio autem legis humanę fieri debet cum aliqua solemnitate publicâ, quâ legis conditor significet, se, ut talem, illam proponere, & non ut privatam personam. De quo latiùs infrà à N.48. Deus autem, quia Supremus simpliciter Dominus, potest, modô quô voluerit, legem suam intimare, & ad ejus observantiam obstringere. Et quidèm naturalem promulgat, dùm eam mentibus inserit naturaliter cognoscendam, ut ait S.D.2.4.ad 1.

4 Secunda concl. *Quadruplex est lex, nimirùm, æterna, naturalis, humana, & divina positiva.* De quibus D.Th.generatim q.91. & singulatim reliquò Tractatûs decursû. Et de illis fit expressa mentio in Scripturis. De æterna quidèm (quæ sapientia Dei est) Prov.8.*Ab æterno ordinata sum.* De naturali, Rom.2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.* De humana, Rom.13.*Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* De divina demùm, Hierem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Lex æterna, naturalis, & humana, nihil sunt aliud, quàm *ratio divinæ gubernationis in Deo: principia practica naturaliter per se nota: & conclusiones eorum per discursum rationis adinventæ.* Et his quidèm tribus eget homo ad sui rectitudinem moralem. Sed quia ordinatus insuper est ad finem supernaturalem, eget etiam lege divinâ, quæ, juxta diversitatem statûs hominis in illo ordine supernaturali, distincta est in *veterem*, & *novam.* Vide Cajet. q. 91. Pro majori concl. intelligentia scito, quòd lex generaliter dividitur in *æternam*, & *temporalem*, seu in tempore datam. Ista dividitur in *divinam*, & *humanam.* Divina in *naturalem*, & *scriptam.* Lex divina scriptô tradita, in *Veterem*, & *Novam.* Humana in *Civilem*, & *Ecclesiasticam*, sive *Canonicam.* De quibus omnibus sigillatim infrà ex professo.

5 Tertia concl. *Præcipua legis officia sunt dirigere, & obligare: Præcipuus effectus, bonos facere subditos: Actus demùm, præcipere, prohibere, permittere, & punire.* Prob.quoad singulas part. quoad 1. quidèm, quia cùm lex sit regula & mensura humanorum actuum, est hominum directiva, ostendens

dens eis, quid agere, vel omittere debeant; ideoquè vocatur *lux* Prov.6. Cùm verò superioris voluntatem contineat, obliget necesse est; unde & à ligando dicitur, *eò quòd animos nostros liget, suisque teneat obnoxios constitutis*, ut loquitur Casiod. *Quoad* 2. p. constat rat. D. Th. q.91.a.1. Inducit quippè subditos ad propriam ipsorum virtutem, scilicèt obedientiam; virtus autem bonum facit habentem. *Quoad* 3. demùm prob. à D.Th. a.2. *Tum* authoritate Isidori. *Tum*, quia dirigit actus humanos, qui, vel sunt ex genere boni, vel mali, vel indifferentes: primos præcipit, secundos prohibet, tertios permittit. Et quia inducit ad obediendum sibi timore pœnæ, ideò illius est *punire*, secùs præmiare, & consulere, quia possunt ad quemlibet pertinere, etiam ad privatam personam, cujus non est legem condere; sed punire non pertinet nisi ad ministrum legis, cujus authoritate pœna infertur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

6 Opp.1.cont.1. Lex divina sæpè in Scripturis appellatur *Voluntas Dei*. Similiter leges civiles dicuntur in Jure *Principum placita*. Unde Aug.4.de civit.c.6.ait: *Arbitria Principum pro legibus erant*. *Præt.* Ferre legem est actus justitiæ legalis residentis in voluntate. *Hujus* insuper est movere ad rectè operandum, quod est legis munus, sicut & regulare & mensurare actus humanos, quorum primam regulam agnoscit D.Th. voluntatem divinam, secundam verò, voluntatem Prælati: ergo lex non rationis est, sed voluntatis. *Ad* 1.resp. illò solùm convinci, legem præsupponere voluntatis actum, quatenùs legis conditor ea præcipit, quæ decrevit; quod ultrò fatemur. *Ad* 2.N. ant. Est enim actus prudentiæ præsupponentis actum justitiæ legalis, bonum commune intendentis. *Ad* 3.resp.S.D. q.90.a.1.ad 3.quòd ratio habet vim movendi à voluntate; sed voluntas, ut rectè moveat, debet esse regulata à ratione: Unde & voluntas divina est prima regula humanorum actuum, ut dirigitur à ratione divina, & non aliàs.

7 Opp.2.cont.eandem: Multæ sunt leges bonum privatum respicientes, ut leges de tuenda vitâ, eleemosynæ, cor-

re-

rectionis fraternæ, Sacramentorum, & privilegia: ergo. *Præt.* Reſpublica non eſt ſibi ſuperior: ergo non poteſt leges condere quæ ipſam obligent. *Demùm*: Revocatio legis non eget promulgatione: ergo nec illius conſtitutio. *Ad* 1. Diſt. ant. reſpicientes bonum privatum, ut materiam proximam, C. ut motivum formale, N. Omnes enim præfatæ leges ordinant ad bonum commune bona illa privata, quæ reſpiciunt ut materiam proximam. Quod & privilegiis competit, datô quòd ſint leges. *Ad* 2. reſp. quòd Reſpublica ut gerit vices Dei (per quem Reges regnant & legum conditores juſta decernunt, ut dicitur Prov. 8.) eſt legiſlativa; quatenùs autem eſt ordinabilis ad bonum commune, eſt legis ſuſceptiva. Primô modô eſt quodammodò ſuperior ſe ipsâ: ſicut in Chriſto ſuppoſitum ut humanum eſt ſatisfaciens ſibi ipſi ut divino. *Ad* ult. N. ant. Lex enim ſolemniter promulgata obligat, quamdiù ſolemniter non revocatur.

8 Ex dictis colliges, ſimplex præceptum, ſententiam, & privilegium, non habere veram rationem legis. Præceptum enim, quanvis imponi poſsit toti communitati, id tamen neceſſariò non exigit: expirat morte vel amotione imponentis, & à quolibet ſuperiori imponi poteſt; in quibus à lege differt. *Sententia* verò eſt applicatio & executio legis communis ad aliqua particularia facta, ut docet D. Th. infrà q. 96. a. 1. ad 1. nec requirit in ferente poteſtatem legiſlativam, ſed ſufficit authoritas à Principe derivata; legis tamen perpetuitatem habet: unde non expirat morte vel amotione Judicis illam ferentis. Privilegium demùm poteſt reſpicere privatam perſonam, & illius particulare bonum: unde privilegium dicitur, juxta Iſid. *quaſi privata lex*, ſeu, *lex privatorum*: Exigit tamen poteſtatem legiſlativam in concedente, & perpetuum eſt.

9 Inquires: An ſit de ratione legis quòd ſcriptis mandetur? Reſp. negativè. Dicit enim Phil. 10. Ethic. cap. ult. *Scripta ſint, an non, ſcriptæ leges, intereſſe nihil videtur.* Conſonat utrumque Jus. Civile quidem Inſt. de jure nat. &c. §. *Sed & quod conſtitutum eſt*, ubi legitur: *Quodcumque conſtituit Imperator per epiſtolam, vel cognoſcens decrevit, legem eſſe conſtat.* Ca-

no-

nonicum verò, cap. *consuetudo*, dist. 1. ubi dicitur, non referre, quòd lex scripturâ, an *ratione consistat*, *quoniam ratio legem commendat*. Et quidèm Christus Dominus (ut alia exempla omittamus) legem suam, non scriptô, sed verbô tradidit, eaque octo annorum spaciô obligavit antequàm litteris mãdaretur. Nihilominùs ad melius esse, oportet legem scriptô tradi, sic enim legis immobilitati, & perpetuitati consulitur. Unde D. Th. hîc a. 4. ait, quòd promulgatio præsens ad futurum extenditur per firmitatem scripturę, quæ quodammodò semper legem promulgat.

DISPUTATIO II.

De Lege Æterna, & Naturali.

DUBIUM I.

Quid sit lex æterna? An reliquas derivet, & ad quæ se extendat?

10 PRima concl. Lex æterna nihil est aliud, quàm *Ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Sic Aug. lib. 22. cont. Faust. c. 27. vel, ut loquitur lib. 1. de lib. arb. *Ratio in mente Dei existens, qua res omnes per congrua media in suos fines ordinantur, & diriguntur.* Concinit D. Th. q. 93. a. 1. dicens: *Lex æterna nihil aliud est, quam ratio divinę sapientię, secundum quòd est directiva omnium actuum & motionum.* Quod sic ostendit: Sicut enim Deus per suam sapientiam est omnium conditor, ita & universorum Summus Gubernator: ergo sicut sapientiæ ratio, quâ cuncta creat, habet rationem artis, exemplaris, & ideæ; ita ejusdem sapientiæ ratio, moventis omnia ad debitum finem, rationem legis obtinet. Quæ quidèm, si Tullio credimus, nec Gentiles Philosophos latuit: *Hanc* (inquit ille lib. 2. de Legibus) *video sapientissimorum esse sen-*

ten-

rentiam, legem, neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis (id est præcipientis) *aut vetantis Dei, ex quæ lex illa* (naturalem annotat) *quam Dii humano generi dederunt, rectè est laudata.*

11 Hinc colligitur, legem æternam, & ab idea, & à providentia differre. Ab idea quidèm, quia hæc respicit rem ut creabilem, antecedit decretum, & multiplicatur in Deo, quia dicit respectum ad diversas creaturas, secundum proprias earum rationes; lex verò æterna respicit rem ut gubernandam, subsequitur decretum de condendis creaturis, & est unica, quia respicit actiones & motiones omnium creaturarum sub una ratione communi, quatenùs scilicèt, ordinantur ad bonum commune universi. A providentia verò differt, *quia est hujus quasi principium*, ut loquitur D. Th.q.5.de verit. a.1.ad 6. Lex quippè æterna tradit regulas generales gubernationis, v.g. lapidem deorsùm, ignem sursùm inclinari: providentia verò, juxta illas regulas, de motibus creaturarum in particulari disponit. *Colligitur* præt. id quod D.Th.docet a.2. nimirùm, legem æternam in se ipsa, à solo Deo, & beatis ipsum per essentiam videntibus, cognosci: secundum aliquam tamen ejus irradiationem, cognosci posse à nobis, plùs, minùsve, quatenùs omnes veritatem aliquatenùs cognoscunt, saltèm quoàd principia communia legis naturalis.

12 Secunda concl. Omnes leges ab æterna derivantur. Sic D.Th.a.3.& prob. *Tum*, quia Prov.8. divina sapientia, quę est lex æterna, dicit: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Tum*, quia in omnibus moventibus ordinatis, virtus secundi moventis derivatur à primo movente: cùm ergo lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est, quòd omnes rationes gubernationis inferiorum gubernantium (quæ sunt quęcumque aliæ leges præter æternam) ab ista deriventur. Differt igitur lex æterna à reliquis tribus, quòd est illarum fons & origo: non

uti-

utique lata, sed ferens, non impressa, sed imprimens, non denique alterius participatio, sed lux cujus aliæ sunt participationes.

13 Tertia concl. Omnia creata, tàm necessaria, quàm contingentia, æternæ subjiciuntur legi. Sic D. Th.a.4. & 5. constatque, nam omnia illa divinæ gubernationi subduntur: sicut enim *Domini est terra & plenitudo ejus* quantùm ad creationem; sic & quantùm ad gubernationem *attingit à fine usque ad finem, & disponit omnia suaviter*, ut ipsa testatur divina Sapientia: sicut ergo homo homini sibi subjecto legem imponit, quatenùs menti ejus sigillat quandam regulam, per quam se moveat: ita Deus imprimit toti naturæ principia suorum actuum, Angelis quidem & hominibus regulas quibus se in finem moveant; reliquis verò creaturis appulsum & instinctum, quò in illum aguntur, in quibus & homines connumerandi sunt quantùm ad naturales actiones, ut sunt nutritio, augmentatio, & similes. De quo rerum omnium instinctu & virtute intelligitur illud Psal. 148. *Præceptum posuit & non præteribit.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

14 Opp.1.cont. id quod supponitur, dari scilicèt legem æternam. Nec enim fuit ab æterno cui posset imponi aut promulgari: ergo nulla est lex æterna. *Præt.* Lex importat ordinem in finem; nihil autem æternum ordinari potest in finem, quia referri nequit in aliud: ergo. *Ad* 1. resp. quòd ea quæ in se ipsis non sunt, apud Deum existunt, quatenùs sunt ab ipso cognita & præordinata, juxta illud Rom.4. *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt.* Sic igitur æternus divinę legis conceptus, quatenùs à Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum, habet rationem divinæ legis: cujus promulgatio est æterna ex parte divini Verbi & libri vitæ, non ex parte creaturæ audientis, aut inspicientis. Sic D.Th.q.91.artic.1.ad 1.& 2. *Ad* 2. resp. ex eodem ibidem ad 3. legem importare ordinationem in finem activè, non passivè, nisi per accidens respectu ordinantis, finem extra se habentis: lex ergo æterna non refertur, sed per ipsam Deus cuncta in se ipsum refert, qui est

Au-

Auctor & primum principium & finis.

15 Opp.2.cont.2. & ejus rationem: Lex divina positiva non est alia ab æterna, cùm ista sit etiam divina. Nec illa est ratio inferioris gubernationis, ut ratio supponit, sed Dei: ergo. *N.*ant.quoad utramque part. Ad prob. 1.part.N.conseq. Nam lex æterna est essentialiter divina; positiva verò participativè duntaxàt. Nec enim dicitur *divina* à subjecto, quasi existens formaliter ab æterno in Deo, sicut æterna; sed dicitur *divina* ab authoritate, à modo, & à fine, eò quòd à Deo supernaturaliter data est, ad ducendum in Deum supernaturalem finem, ut optimè dicit Cajetanus; existit tamen in nobis ex tempore, ob id enim dicitur *positiva*, quòd posita est nobis: unde & significantiùs diceretur *posita*. Est igitur lex divina positiva, ratio supernaturalis data homini ut se ipsum gubernet; ideoquè est propriè ratio inferiorum gubernantium, scilicèt hominum, non ab eis inventa, sed à Deo suscepta.

16 Ad majorem horum evidentiam accipe rationem quâ D.Th.3.contrag. cap.14. probat, conveniens fuisse, divinitùs hominibus legem dari: *Rationalis* (inquit) *creatura, ut dictum est, sic divinæ providentiæ subditur, quòd etiam similitudinem quandam divinæ providentiæ participat, inquantùm se in suis actibus, & alia gubernare potest: id autem quo aliquorum actus gubernantur, dicitur lex: conveniens igitur fuit, à Deo hominibus legem dari.* Videsis caput immediatè præcedens, quò se remittit, ratione 4. Lex igitur divina positiva, seu hominibus à Deo data seu posita, est ratio seu dictamen ipsis infusum, quò se proximè dirigunt, & gubernant in suis actibus propriis, & etiam alia. Et hæc ratio seu dictamen descendit à dictamine seu ratione essentialiter divina, quæ est lex æterna, dùm hæc fuit promulgata: *Quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum*, ut loquitur D.Th.hîc q.91.a.5.in corp. & ad 1. Et hinc habes, legem æternam esse universalem, cujus nutû cuncta reguntur, reliquæ verò sunt particulares, fines particulares respicientes. Habes iterum, falsum esse quod ait Gonet, nimirum, *legem divinam esse ipsam legem*

æter-

æternam inadæquatè sumptâ sola promulgatione ab ipsa distinctâ. Demùm, decipi Valentiam dùm Cajet. hîc errasse autumat.

17 Opp. ult. cõt. 3. Promulgatio quæ est de ratione legis, fieri non potest naturalibus contingentibus: ergo hæc non sublunt legi æternæ. *Præt.* Nec justi, qui *Spiritu Dei aguntur*, sub lege sunt, juxta illud ad Gal. 5. *Si Spiritu Dei ducimini, non estis sub lege*: Nec etiam homines in quibus prudentia carnis dominatur, hæc enim *legi Dei subjecta non est*, ut dicit Apost. Rom. 8. non igitur omnes homines legi subjiciuntur æternæ. *Ad* 1. resp. D. Th. q. 93. a. 5. ad 1. quòd impressio activi principii intrinseci se habet in ratione carentibus, sicut promulgatio legis respectû hominis. *Ad* 2. resp. a. 6. ad 1. quòd justi dicuntur non esse sub lege, quia non timore supplicii, sed amore justitiæ legem servant. *Vel* quia opera quæ faciunt, magis dicuntur esse Spiritûs S. qui non est sub lege, quàm ipsorum, juxta illud 2. Corinth. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* *Ad* 3. resp. ibidem ad 2. quòd licèt prudentia carnis non subjiciatur legi Dei ex parte actionis, quia inclinat ad actiones legi divinæ contrarias, subditur tamen illi ex parte passionis, quia meretur pœnam secundum legem divinæ justitiæ. Nec in ullo adeò dominatur, quòd non relinquat in eo inclinationem ad agendum ea quæ sunt legis æternæ, nec enim peccatum tollit totum bonum naturę.

DUBIUM II.

Quid sit lex naturalis, & an mutabilis, aut dispensabilis sit?

18 PRima concl. *Lex naturalis nihil aliud est, quàm participatio legis æternę, in creatura rationali, quæ naturaliter inclinatur ad debitum actum & finem.* Sic D. Th. q. 91. a. 2. Bonitas hujus diffinitionis vel inde constat, quòd Deus, suaviter disponens omnia, impressit mentibus nostris lumen, per quod legem ejus æternam participantes, actiones nostras ad debitum finem, quò suapte naturâ ferun-

runtur, dirigeremus. De quo lumine David interrogantibus, *quis ostendit nobis bona?* ad Deum conversus respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Significantissimè enim dicitur *vultus Dei lumen* suæ sapientiæ & rationis facies, per quam, sicuti homo, de vultu cognoscitur. Hęc autem naturalis impressio appellatur lex naturalis. *Ea lex* (inquit Amb. Epist. 71.) *non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur. Habet homo* (inquit Bern.) *innatam, nec incognitam sibi legem, quæ facienda & prosequenda demonstrat, & quæ his sunt contraria vetat.*

19 Illam Tullius egregiè explicuit, & ut Lactantio referenti visum est, penè divinâ voce depinxit. *Est quidem* (inquit ille) *vera lex, recta ratio, naturæ congrua, diffusa per omnes, constans, sempiterna, quę vocat ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat. Huic legi nec prorogari fas est, neque derogari aliquid licet; nec tota obrogari potest. Nec verò per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus: nec est quærendus explanator aut interpres alius. Non erit alia lex Romę, alia Athenis, & alia nunc, alia posthàc. Sed & omnes gentes, & omni tempore una lex & sempiterna, & immutabilis continebit: unusque erit communis quasi magister & imperator omnium Deus: ille legis hujus inventor, disceptator, & lator.* Hæc Tullius, quibus graphicè describit cuncta quæ de lege naturæ enucleate disserit S. Doct. totâ q. 100.

20 Hinc colligitur 1. legem naturalem non consistere in dictamine solùm ostensivo boni & mali, sed etiam præceptivo; lex enim ęterna, quam participat, & cujus est derivatio, pręceptiva est. *Colligitur* 2. illam, sicut & quamlibet aliam legem, non esse propriè & essentialiter habitum; nec enim est id quô ratio agit, sed potiùs quid per rationem constitutum: sicut etiam propositio est quoddam opus rationis. Est nihilominùs lex naturalis habitus impropriè, quatenùs habitû tenetur: sicut dicitur fides id quod fidê tenetur, nam pręcepta naturalia quandoque actû à ratione considerantur, quandoque sunt in ea habitualiter tantùm. *Colligitur* 3. legem naturalem esse simpliciter unam, omnia

enim

enim illius præcepta (quę ſunt principia per ſe nota rationis practicæ, noſtræ naturę congenita) radicaliter continentur in illo primo & univerſaliſsimo principio, *Bonum eſt faciendum & proſequendum, & malum vitandum*; & prout ſic omnia illa habent rationem unîus legis, ut docet D.Th. art.2. Ad quam etiam pertinent variæ inclinationes diverſarum potentiarum in homine, proùt ratione regulantur, & reducuntur ad præfatum primum pręceptum, ut ait S.D.ad 2.

21 Colligitur 4. ad legem naturæ pertinere omne id ad quod homo naturaliter inclinatur; unde cùm homo, quà rationalis, inclinetur naturaliter ad actus virtuoſos ut tales; omnes actus virtutum, ut virtuoſi ſunt, pertinent ad legem naturæ; ſecùs ſi ſecundùm ſe ipſos, ſeu prout ſunt in propriis ſpeciebus, conſiderentur; multa enim ſecundum virtutem fiunt, ad quę natura non primò inclinat, ſed per rationis inquiſitionem ea homines adinvenerunt, quaſi utilia, ad benè vivendum. Patet utrumque in actu temperantiæ, in quem utique genericè ſumptum, ſeu utvirtuoſum, natura inclinat; at quòd jejuniô Quadrageſimali exerceri debeat, à jure Canonico pendet. *Colligitur* demùm id quod oſtendit S. D.a.4. nimirùm, quòd lex naturę quantùm ad prima principia communia, eſt eadem apud omnes, & ſecundum rectitudinem ſeu veritatem, & ſecundum notitiam: quantùm ad concluſiones verò, poteſt ut in paucioribus ſecundum utramque deficere, propter particularia impedimenta, & rationis nubila, quibus ob pravam conſuetudinem depravatur.

22 Secunda concl. *Lex naturę quantùm ad prima principia ſeu præcepta, eſt prorſus immutabilis; quantùm ad ſecundaria verò & concluſiones, poteſt quandoque mutari, ſed impropriè & ex parte materiæ.* Concl. non loquitur de mutatione per additionem, certum eſt enim, multa legi naturæ per legem divinam & humanam addita eſſe, humanæ vitæ & ſaluti perutilia. Sed ſermo eſt de mutatione per ſubſtractionem, ut quòd erat de lege naturæ, non ſit. Et in hoc ſenſu eſt D.Th. q.94.a.5. & communis. Prob.deinde rat. Quia lex naturæ nec mutari propriè poteſt deſinendo eſſe per ſe ipſam, cùm

non

non sit lata ad tempus, sed sine termino: nec per transitum de justa in injustam, cùm nihil præcipiat, aut prohibeat, quod non sit intrinsecè & ex natura rei bonum, aut malum; nec per Dei abrogationem, cùm non possit Deus non præcipere, aut non prohibere quæ jure naturali necessaria, aut illicita sunt: Nec demùm per dispensationem ipsius, ut dicemus concl. seq. ergo.

23 Quoad 2. verò part. est manifesta, quia materia circa quam talium præceptorum variari quandoque potest propter aliquas speciales causas, impedientes illorum observantiam, unde fit, ut illud quod erat de lege naturæ, postea non sit. V.g. de lege naturæ est, quòd depositum sit reddendum; si tamen petatur in alicujus perniciem, lex naturæ oppositum dictat, quia variatur materia. Sed mutatio hæc non tàm in lege fit, quàm in rebus ipsis: nam ratio formalis legis neutiquàm variatur, quippè lex formaliter loquendo non fertur in rem absolutè consideratam, sed ut stat sub debitis circunstantiis, nec enim dictat utcumquè, depositum esse reddendum; sed tunc solùm dùm non petitur in perniciem: hoc autem nunquàm variari potest, cùm sit intrinsecè bonum, sicut Deum colere, & honorare parentes. Unde Phil. ubi suprà, postquàm jus naturæ immutabile dixit (quod de principiis intelligit) de conclusionibus subdit, *posse mutari, non tamen apud Deos, qui immutabiles sunt, sed apud nos qui mutari possumus.*

24 Ultima concl. *Nulla legis naturę præcepta sunt propriè, & strictè dispensabilia; impropriè tamen & latè dispensari possunt sola præcepta secundæ tabulę.* *Quoad* 1.p. est comm. Tholog. cont. Ocham aliosque Nominales, asserentes, posse Deum in omnibus illis strictè dispensare; & contra Scotum & suos, quibus adhęret Caramuel, tenentes, id posse in præceptis secundę tabulæ. *Ante* prob. concl. nota, quòd dispensatio strictè sumpta, est juris relaxatio, latè verò accepta, est materiæ variatio. Prob. autem rat. D. Th. q. 100. a. 8. Præcepta quæ continent & exprimunt intentionem legislatoris, ordinem scilicèt ad bonum commune & justitiæ, sunt propriè indispensabilia, quia dispensatio fit dùm occurrit casus, in

quo

quo si lex servaretur, contrariaretur intentioni legislatoris; unde si lex esset, quòd nullus Rempublicam labefactaret, aut injustè ageret; esset prorsùs indispensabilis, implicat enim licère cuipiam injustè agere, aut bonum destruere commune, ad cujus conservationem omnes leges referuntur; at hujusmodi sunt præcepta Decalogi, quia tria priora innatum ordinem habent ad bonum commune & finale, scilicèt Deum: Reliqua verò, ordinem justitiæ inter homines servandæ, ut scilicèt nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum; secundum hanc enim rationem sunt intelligenda præcepta Decalogi, qui enim dicit: *Non furtum facies*, v.g. idem dicit quòd, *non injustè, aut malè facies.* Et idem est de aliis præceptis naturalibus, siquæ extra Decalogum vagantur: ergo.

25 Confir. alia rat. S.D. ibidem ad 2. Si Deus strictè dispensare posset in præceptis naturalibus, dispensare posset, ut homini licèret non ordinatè se habere ad Deum, vel non subdi ordini justitiæ ejus, etiam in his secundum quę homines ad invicèm ordinantur: quòd esset ordinem justitiæ suæ auferre: si hoc autem posset, posset & negare se ipsum, cùm ipse sit sua justitia; sed consequens istud est contra illud 2. ad Timot. 2. *Deus negare se ipsum non potest*: ergo. *Quoàd* 2. verò partem est etiam D. Th. in resp. ad 3. & 2. 2. q. 154. a. 2. ad 2. & in hoc sensu accipiendi sunt PP. & Doct. dùm ajunt, posse Deum in prçceptis naturalibus dispensare; scilicèt, non relaxando obligationem, immutatâ materiâ præcepti; sed mutando materiam vel aliquam circunstantiam ex qua proximè oriebatur legis obligatio. Quòd autem hôc modò possit accipi dispensatio, patet 2. 2. q. 88. a. 10. ubi ait S.D. *Quòd dispensatio voti intelligenda est ad modum dispensationis quæ fit in observantia alicujus legis*; at dispensatio voti fit mutatione materiæ, ut docet ibidem ad 2. ergo.

26 Inquires: An in lege naturali locum habeat simplex interpretatio, aut EpiiKia? *Resp.* affirmativè de interpretatione, secùs de EpiiKia, seu æquitate. Primum constat: Quia cùm non omnia illius præcepta çquè nota aut intellectû facilia sint, quædâ ex illis aliquâ declaratione indigent,

ut

ut verus eorum sensus haberi possit. V.g. lex de servando secreto interpretatione eget, nec enim obligat in casu quò secreti custodia nocêret Reipublicæ. Explicandum pariter est, per legem non occidendi, non prohiberi occisionem injusti invasoris cum moderatione inculpatæ tutelç. *Quoàd* 2. etiam facilè prob. Quia lex naturalis deficere nequit propter universale; nec enim præcipit, aut prohibet universaliter (si qui sunt casus excipiendi) sed in his solùm casibus, in quibus actus, aut est ex natura rei bonus, aut malus: Quare se habet ut lex scripta quæ omnes casus exciperet, quæque idcircò non egêret emendatione æquitatis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

27 Opp. 1. cont. 1. Præcepta naturalia, v.g. bonum est faciendum, malum verò vitandum, habent in se necessariam connexionem ex terminis: ergo sunt prorsùs independentia à libero dictamine legis æternæ: ergo lex naturalis non in hujus participatione consistit. *Prꝛ.* Quodlibet dictamen liberum potuit non esse in Deo: ergo si lex naturalis esset quid dependens à dictamine libero Dei, aut illius participatio, posset Deus per illam non præcipere homini actus intrinsecè bonos, & non prohibere intrinsecè malos, ac proinde posset homo innoxiè primos omittere, & secundos elicere. *Ad* 1. resp. talia prꝛcepta, si considerentur per modum cujusdam essentiæ possibilis, independentia esse, sicut reliqua possibilia, à quolibet dictamine liberô, ac proinde cognosci à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ; secùs considerata per modum exercitii, quatenùs procedunt à Deo in ordine ad obligandam creaturam rationalem. *Ad* 2. Dist. conseq. Posset Deus non prꝛcipere, &c. absolutè, C. ex suppositione voluntatis creandi, & gubernandi creaturam rationalem, N. Illâ enim voluntate suppositâ, necessitatur ad rectè illam gubernandam, præcipiendo bona, & vetando mala: quemadmodùm suppositâ liberâ promissione, & voluntate aliquid revelandi, necessitatur ad standum promissis, & revelandum verum.

28 Opp. 2. cont. 2. Quia super illud Ecclesiast. 17. *Addidit eis disciplinam & legem vitæ*, dicit Gloss. *Legem litteræ quantùm*

ad

ad correctionem legis naturalis, scribi voluit; sed illud quod corrigitur mutatur: ergo. Præt. *Communis omnium possessio, & una libertas est de jure naturali*, ut ait Isid. lib. 5. etym. c. 4. sed hæc videntur esse mutata jure Gentium, quô, tum rerum divisio, tum etiam servitus inducta in orbem est: ergo. *Ad* 1. resp. D.Th.q.94.a.5. legem scriptam dici datam ad correctionem legis naturalis, vel quia supplevit quod illi deerat, vel quia in quorundam cordibus adeò, quantùm ad aliqua, corrupta erat, ut existimarent bona, quę naturaliter sunt mala, & talis corruptio correctione indigebat. *Ad* 2. resp. ibidem ad 3. illa dici ab Isid. de jure naturæ negativè, quia scilicèt istud, nec rerum divisionem fecit, nec servitutem jussit. Quâ ratione dici potest, hominem esse nudum, esse de jure naturę, quia hæc non dedit illi vestimenta, sed ars. Itaque aliquid dicitur naturale, vel quia ad id natura inclinat, vel quia natura non inducit contrarium; primum dicitur naturale positivè, secundum, negativè: Lex igitur naturæ mutata non est jure gentium, nisi per additionem.

29 Opp.3.cont.1.p.3. Nonnulla sunt de jure naturæ, quæ variari possunt, ut 5.Ethic.cap.7. author est Arist. ergo sunt dispensabilia. *Præt.* Deus præcepit Abrahæ carissimi filii necem: Osee, ut fornicaretur: & filiis Israel, ut deprædarentur Ægyptios: ergo in tribus Decalogi præceptis de facto dispensavit. *Præt.* Judex, malefactorum vindex, homicidas interficit. Samson Judic.16.sese cum Philistæis occidit. Eleazarus 1.Machab.6. ab Elefante ultrò oppressus occubuit: ergo. *Adhæc*: In 3. Decalogi præcepto, Judęis sanctissimo, fuit olim cum Machabęis dispensatum, legitur enim 1.1.c.2. *Et cogitaverunt in die illa dicentes: Omnis quicumque venerit ad nos in bello in die Sabbatorum, pugnemus adversus eum.* *Demùm*, quia D.Th. in 1.d.47. q.1. a.4. expressè ait, quòd *contra præcepta primæ tabulę, quę ordinant immediatè ad Deum, Deus dispensare non potest: sed contra præcepta secundę tabulę, quæ ordinant immediatè ad proximum, Deus potest dispensare.* Et idem docet Bern. lib.de præcept.& dispen.

30 Ad 1.resp.D.Th.q.100. a. 8. ad 1. Arist. non loqui de justo naturali includente finem ipsum ordinemque justi-

tiæ; hoc enim nunquàm deficit, ſcilicèt, juſtitiam eſſe ſervandam: ſed loqui quantùm ad determinatos modos obſervationis juſtitiæ, qui in aliquibus fallunt. *Ad* 2. Diſt. conſeq. Diſpenſavit propriè, N. impropriè, mutando materiam, & eam per mutationem ſubtrahendo legi naturæ, C. Sic D. Th. q. 100. a. 8. ad 3. communiter receptus. Deus quidem præcipere non poteſt *homicidium*, *fornicationem*, aut *furtum*, hæc enim injuſtitiam dicunt, & rationem indebiti; & hâc ratione prohibentur per præcepta Decalogi, quę, quantùm ad rationem juſtitię quam continent, ſunt prorsùs immutabilia. Poteſt tamen facere, quòd occiſio hominis, acceſſus ad anteà alienam, & acceptio rei aliàs non ſuę invitô dominô, non ſint homicidium, adulterium, aut furtum: quia ut Supremus Dominus vitæ & mortis, corporum, & bonorum omnium, poteſt conferre eorum jus & dominium cui voluerit. Et quidem in 1. & 3. exemplo juſſum etiam Judicem egit, ut ait D. Th. exequi autem quod Supremus Dominus, aut juſtus Judex jubet, debitum eſt, atqueadeò Decalogô non prohibitum.

31 Ad 2. reſp. non prohiberi in Decalogo occiſionem ſimpliciter, ſed occiſionem ejus, qui mortem pati non debuit: unde occiſio illa malefactorum, ſicut & Reipublicæ hoſtium, non eſt indebita, nec conſequenter prohibita per Decalogum, imò præcepta: ac proinde nullâ ibi opus eſt diſpenſatione; ſicuti non eſt diſpenſatio, quòd quis inculpatâ tutelâ invaſorem occidat. Samſon autem & Eleazarus potuerunt abſque ulla diſpenſatione tanquàm ſtrenui milites periculo ſeſe objicere extremo, ut hoſtes interimerent. Crediderim tamen cum Auguſtino, Samſonem id revelatione Dei feciſſe, à quo nempè fortitudinem illam in coma latitantem, in illo aggreſſu repetiit. *Ad* 3. reſp. D. Th. ad 4. excogitationem illam Machabæorum, potiùs interpretationem, quàm diſpenſationem fuiſſe præcepti; nec enim Sabbatum violat, qui opus ad ſalutem humanam neceſſarium facit, ſicut Dominus probat Matth. 12. *Ad ult.* reſp. utrumque S. Doct. loqui de diſpenſatione latè ſumpta.

32 Sed inſt. Nam SS. Doct. addmittunt in præceptis ſe-

cun-

cundæ tabulæ dispensationem divinam,& negant humanam. S.enim Bern.ait : *Etsi nullam prorsùs humanam dispensationem admittant.* Quæ quidem verba refert & approbat D.Th.q.32 de malo a.1.ad 17. & quodl.1.a.18. & post verba in objectione laudata,subdit: *Non autem homines in his dispensare possunt* : ergo ruit expositio nostra. *N.conseq.* Quanvis enim paritas sit in hoc quoàd aliquid inter Deum & hominem, non tamen quoàd omnia , ut appositè docet D. Th. in 3. d. 37.q 1. a.4.ad 3. *Dicendum* (inquit) *quòd circa præcepta Decalogi , secundum quòd ad Decalogum pertinent , nunquàm Deus contrarium fieri præcepit : Prohibitio enim furti ad Decalogum pertinet , inquantùm res furata aliena est ab accipiente : Retenta ergo hac conditione* (nempè , quòd ab accipiente aliena sit res furata) *contra Decalogum est, eam accipere : sed si res illa fiat ipsius accipientis , jam non erit contra Decalogum : Hoc autem non solùm Deus , qui est omnium Dominus , facere poterat , sed etiam quandoquè homines authoritatem habentes, rem,quæ unius fuerat, alteri conferunt ex aliqua causa : Potest tamen Deus in aliquibus factis conditiones contrarias Decalogo, auferre , qui & naturam mutare potest* (quod homo facere non potest) *sicut ab ea quæ non est matrimonio juncta , potest auferre hanc conditionem* , non suam , *sine hoc quòd uxor plenariè fiat, ut sic accedere ad eam non sit contra Decalogum.*

33 Hìc etiam ad 3. ait : *Sed quantùm ad aliquam determinationem , per applicationem ad singulares actus , ut scilicèt,hoc vel illud sit homicidium , furtum, vel adulterium , aut non ; hoc quidem est mutabile : quandoquè sola authoritate divina , in his scilicèt quæ à solo Deo sunt instituta , sicut in matrimonio & aliis hujusmodi : quandoquè etiam authoritate humana , sicut in his quę sunt commissa hominum jurisdictioni ; quantùm enim ad hoc, homines gerunt vices Dei, non autem quantùm ad omnia.* Quibus rectè perpensis , corruunt omnia, quibus modernus Scotista Franc. Enno patrocinium Angelici Doct.sibi arripere conatur. *Inferes* ex dictis , posse Deum in monogamia , & indissolubilitate matrimonii, impropriè dispensare ; mutando scilicèt materiam præcepti , dominium corporis ad usum matrimonii dividendo ab una in plures, vel illud subtrahendo.

do. Non tàmen inferas, posse Deum, vel sic dispensare in omnibus præceptis secundæ tabulæ, nec enim potest in præcepto non mentiendi, quia mendacium sub nullis circunstantiis potest benè fieri, non secùs ac peccata opposita præceptis primę tabulę.

34 Opp. demùm cont. eandem. Cuiusvis legis obligatio tolli potest per voluntatem legislatoris, à qua oritur: ergo. *Præt.* Quia aliàs Deus necessariò vellet aliquid extra se, v.g. non furari, non mentiri homines, &c. *Tandem* cont. 2. p. ejusdem: Quia adimpletio voti, cùm sit actus latriæ, pertinet ad præcepta primę tabulæ; at in voto potest dispensari: ergo. *Ad* 1. N. ant. Lex enim naturalis, ad differentiam positivę, non pendet à voluntate Deo liberâ, sed necessariâ, ex hypothesi quòd voluerit creare & gubernare creaturam rationalem. *Ad* 2. resp. inconveniens non esse, Deum aliquid extra se necessariò ex suppositione velle, ut N. 27. dictum est. *Ad ult.* resp. D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 10. ad 2. adimpletionem voti esse de lege naturali & divina, durante voti vinculò, seu obligatione. Cùm autem dispensatur in voto, cessat hujus vinculum; unde nulla fit tunc legis naturalis aut divinę dispensatio: sed solùm determinatur, talem materiam, in hoc casu, non cadere sub voto: sicuti dum dispensatur in aliqua lege humana, non fit, ut legi humanæ non obediatur, quod est contra legem naturæ & mandatum divinum; sed fit, ut hoc quod erat lex, non sit in hoc casu. *Hic* quęri solet, an præcepta legis naturę possint invincibiliter ignorari? Sed quæstionem istam tom. præced. resoluimus à N. 448.

DISPUTATIO III.

De Lege Humana ſecundum ſe.

DUBIUM I.

Quid, qualis, & quotuplex ſit lex humana?

35 SUpp. ut fidê certam exiſtentiam legum humanarum, & poteſtatis legiſlativæ penes Principes, cùm Eccleſiaſticos, tùm Sæculares cont. Uviclef. Luth. Calvinum, alioſque hæreticos ex C. Conſt. ſeſſ. 8. & 15. Trident. ſeſſ. 7. can. 8. & Scrip. Matth. 16. ubi Chriſtus Petro & Succeſſoribus ejus ampliſsimam tradidit poteſtatem regêdi Eccleſiam, & conſequenter legiſlativam. Hanc in ſe agnoverunt Apoſtoli, ut patet Act. 15. ubi ſic habetur: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis, &c.* Ibi etiam ſcribitur, quòd Paulus præcipiebat cuſtodire mandata Dei, & Apoſtolorum ac Seniorum. *Illam* pariter habêre Principes Sæculares, conſtat Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, &c.* Poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica competit Papę, & CC. Generalibus legitimè congregatis, idque pro tota Eccleſia. Legatis autem Apoſtolicis, Epiſcopis, CC. Provincialibus, Abbatibus exemptis, & Capitulis Generalibus, & Provincialibus Regularium competit pro ſuis reſpectivè ſubditis. *Utilitatem*, & neceſsitatem legum humanarum oſtendit D. Th. q. 95. a. 1. tum auth. Iſid. lib. 5. Etym. dicentis: *Factę ſunt leges, ut earum metu humana coerceretur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia; & in ipſis improbis, formidato ſupplicio, refrenetur nocendi cupiditas.*

36 *Tum* rat. inde deductâ. Homo quippè, cui naturali-

ter

ter Ineſt aptitudo ad virtutem, ut hujus perfectionem aſſequatur, eget diſciplinâ, ad quam non facilè invenitur ſibi ſufficiens; quam proindè ab alio fortiatur neceſſum eſt: Hæc autem diſciplina, quantùm ad protervos, & ad vitia pronos (qui verbis facilè moveri non poſſunt) eſt diſciplina legum, metû pœnæ illos cogens, ut perversè agere deſinentes, & ſibi, & aliorum tranquillitati conſulant: ad hominum igitur virtutem & pacem neceſſaria eſt lex humana, naturali & divinę ſuperaddita: naturalis ſiquidem nullam pœnam, divīna autem, non niſi inviſibilem, & in futuro ſæculo ſubeundam, leviterque proinde carnales homines deterrentem, minatur. Meritò igitur Phil. 1. Polit. c. 2. dixit, *quòd homo ſine lege eſt peſsimum animalium*, habet enim præ reliquis rationis arma ad concupiſcentias & ſęvitias explendas. Hinc illud Auguſt. *Remota juſtitia* (quæ per leges humanas potiſsimùm ſtatuitur) *quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia?* Hòc ſuppoſitô, de quo latiùs infrà, ſit

37 Prima concl. *Lex humana eſt, ordinatio rationis humanæ ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet promulgata.* Conſtat ex dictis ſuprà à N. 1. Circa ultimam particulam occurrit difficultas dub. ſeq. reſolvenda. Alię à Juriſperitis traduntur legis humanę diffinitiones. Gratianus cap. *lex* diſt. 2. ait, quòd lex eſt: *Conſtitutio populi, qua majores natu ſimul cum plebibus aliquid ſanxerunt.* Papinianus verò lege 1. ff. *de legibus*, ſic eam deſcribit: *Lex eſt commune præceptum, virorumque prudentum conſultum, delictorum cohibitio, & communis Reipublicę ſponſio.* Rebuffus demùm, ſic: *Lex eſt commune bonum, ſine quo nihil unquam boni fieri poſsit.* Sed exactior eſt à nobis tradita, utpotè meliùs explicans genus & differentiam legis humanæ.

38 Secunda concl. Rectè ab Iſidoro deſcribuntur legis humanæ qualitates, nimirùm, quòd *religioni congruat, diſciplinę conveniat, & ſaluti proficiat.* Prob. rat. D. Th. q. 95. a. 3. Lex enim humana, cùm ſit propter finem, & ſimul menſura menſurata, debet ſumere ſuam formam à fine, & proportionari ſuæ regulæ, ſeu menſuræ, legi ſcilicèt divinæ, & naturali: ergo & debet *congruere religioni*, ut ſit proportiona-

ta

ta legi divinæ, & *convenire disciplinę*, ut consona sit legi naturę, & *saluti proficere*, propter communem utilitatem, quæ est illius finis. Reliquæ verò legis conditiones quas subjungit, ad tres istas reducuntur: Dicitur enim *honesta*, ut *religioni congruat.* Dicitur autem *justa, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco temporique conveniens*, ad hoc quòd *conveniat disciplinæ.* Quòd verò subditur, *necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*, refertur ad hoc, quòd *saluti expediat*, seu *proficiat.* Vide M. Gonet, fusè exponentem singulas præfatas conditiones.

39 Tertia concl. *Convenienter quadrifariàm dividitur lex humana ab Isidoro.* Sic D. Th. a. 4. & prob. Unumquodque enim dividitur secundum id, quod in ejus ratione continetur; at quatuor sunt de ratione legis humanæ, nimirùm, quòd *derivetur à lege æterna, ordinetur ad bonum commune, statuatur à gubernante communitatem, & dirigat humanos actus*: rectè igitur quadrifariàm dividitur; *Ratione* quidem *originis*, in Jus gentium, & Civile, quorum primum per modum conclusionis, secundum per modum determinationis derivatur à lege æterna. *Ratione* verò *ordinationis*, in Leges Sacerdotum, Principùm, & Militum, specialem bono communi navantium operam, orando, regendo, pręliando. *Ratione gubernantis*, juxta regiminis diversitatem, in *Constitutiones Principum*, si illud sit Monarchia, seu Regnum; *Senatusconsulta*, seu responsa prudentum, si Aristocratia; Jus *prętorium*, seu *honorarium*, si Oligarchia: *Plebiscita*, si Democratia. Demùm *ratione directionis*, penes diversitatem eorum de quibus fertur, distinguitur *Lex Julia de adulteriis, lex Cornelia de siccariis*, & sic de aliis. Videsis ff. *de origine Jur.*

40 Rursùs: Lex humana, alia est Ecclesiastica, alia Civilis. Illa ab Ecclesia condita, ut Christianos in finem ęternæ beatitudinis dirigat: Ista à Summis Principibus, Rebuspublicis, aut Populis instituta, ob communem tranquillitatem, & securitatem. *Jus* Canonicum universale, seu hujus corpus, integratur ex *Decreto* (à Gratiano, Monacho Benedi-

dictino, post alios veteres Collectores, ex Pontificum decretis, CC. Canonibus, ac PP. testimoniis contextô, & ordinatô) *Decretalibus* (à S.Raymundo Ordinis nostri Gregorii IX. authoritate collectis,& 5. Libris comprehensis,quorum materiam exprimit sequens versus: *Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.* Quibus additus fuit *Sextus liber*, à Bonifacio VIII. in 5. subsectus volumina.) *Clementinis* (à Clemente V. earum Authore nuncupatis, editis tamen ab ejus Successore Joanne XXII.) *Extravagantibus* ejusdem Joannis, & *Extravagantibus communibus*, à diversis Pontificibus editis. *Et* quidem, Decretales omnes, vim legis habere, nullus ambigit. Idem esto judicium de *Decreto*, quoàd Pontificum statuta, & CC.Canones;secùs verò quoàd Patrum, & DD. asserta, ibi inducta, quantunvis magnæ sint authoritatis; nec enim lex est actus doctrinę tantùm, sed jurisdictionis, quam PP. non habebant, & multò minùs Gratianus in illis Decreto inserendis; nec illa Eugenius III. aut alius Pontifex tanquàm leges aut Canones approbavit; sed, ut optimam doctrinam dirigentem & illuminantem, ut frequenter, contra nonnullos Canonistas, docent Theologi, ut videre est apud Th. Sanchez lib.9. de mat.d.12. & J. Mart.de Prado q.8. de legibus.

41 Decretum Gratiani tres continet partes. *Prima* coalescit ex 101. Distinctionibus, in quibus, per capita,seu canones, agitur de jure divino & humano,& de personis Ecclesiasticis. Loca ex hac parte desumpta, citantur hôc modô: Can. vel,C. *Jus generale*, vel *Si mulier* (proùt incipit caput, vel canon) dist.1. *Secunda pars* continet 36. causas, quarum quælibet in quæstiones, per capita distinctas, distribuitur: in quibus agitur de materia & forma judiciorum Ecclesiasticorum. Desumpta ex illa, sic allegantur: Can.vel C. *Presbyter.* 1.q.1. id est, causa 1.quæst.primâ. Causæ autem trigesimæ sextæ inseritur Tractatus de pœnitentia, constans quinque distinctionibus, in capita subdivisis. Cujus sic fiunt citationes: Can. vel,C. *Divortium.* de *Pœnitentia*, distinc. 2. *Tertia pars* agit de consecratione Ecclesiarum, celebratione Missarum,de Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Eucha-

chariſtiæ, de Feſtis, Eccleſiaſticis cæremoniis, & jejuniis. Complectitur autem hæc pars quatuor Diſtinctiones, in varia capita ſubdiviſas. Cujus loca ſic allegantur: Can.vel,C. *Veſtimenta* de *conſecrat.* diſt.1.

42 Decretales citari ſolent nunc ſimpliciter, nullâ factâ mentione diſtinctionis, aut cauſę; ſic nimirùm: Cap. *Cæterum* de *judiciis.* Cap.*Conſtitutus* de *tranſactionibus.* Quandoquè verò,ſuppreſsâ voce initiali capitis, citatur ejus numerus. V.g.Cap.3.de *Probationib.* Cap.6.de *Clericis peregrinis.* Olim autem addebatur *extra*, hôc modô v.g. *Extra* de *Reſcriptis.*C.*Sicut*, quia videlicèt, nondùm corpori Juris inſertæ erant, ſed extra illud. *Sextus Decretalium* eôdem modô citatur, additò ſolùm *in ſexto*, ſic nimirùm: Cap. *Cùm in tua*, de *conſuetudine*, *in ſexto.* *Clementinæ* ſic allegantur: Clem. *Multorum* de *pœnis.* Extravagantes demùm, hôc modô citantur: *Extravag.ad Conditorem*, id eſt, Conſtitutione extravaganti, titulô *Ad Conditorem.* Vocantur autem *Extravagantes*, ob antiquam extra Corpus Juris vagationem.

43 Jus *Cęſareum*, ſeu *Romanum*, quod *Civile*, ſeu *Commune* per excellentiam dicitur, conſtat ex *Codice*, qui duodecim libris abſolvitur; ex *Digeſtis* ſeu *Pandectis*, quę 50. libris comprehenduntur; quatuor libris *Inſtitutionum*, & unô *Novellarum.* Codex continet leges & conſtitutiones Imperatorum Romanorum, ante Juſtinianum I. quas ipſe in unum redigit Codicem, ſuô nomine nuncupatum; priùs enim tribus Codicibus continebantur, ſcilicèt, *Gregoriano*, *Hermogeniano*, & *Theodoſiano.* *Digeſtum* confecit ipſe ex libris veterum Juriſperitorum, quorum duo millia in 50. digeſsit & coarctavit: quod Digeſtum *Pandectas* appellavit, id eſt, *totum capio*, univerſam ſcilicèt veteris Juriſprudentiæ ſcientiam. *Inſtitutionum* libri continent totius Juris elemẽta, atque principia, quos edi curavit, ut juventuti, Legum ſtudioſæ, facilis ad ampliſsimam Juris ſcientiam pateret aditus. *Novellæ*, ſeu *Authenticæ* ſunt conſtitutiones, quas idem Auguſtus Imperii ſui tempore promulgavit.

44 *Digeſta*, ſeu *Pandectę*, hôc modô citantur: *l.ſi aliena.* D.vel,ff. de *uſucapione*, id eſt, lege *ſi aliena.* Digeſtis de *uſu-*

ca-

capione; ideoquè quæri debet lex taliter incipiens, sub titulo de *usucapione*. Et eôdem modô allegatur *Codex*, exceptô, quòd locô D. seu, ff. ponitur C. & legitur *Codice* locô Digestis. *Institutiones* autem ita citantur: *Instit.* de *rerum divisione*, §. *Furtivè*, id est, in libris Institutionum, sub titulo, *de rerum divisione*, paragrapho quod incipit, *Furtivè*. *Novellæ* demùm, seu *Authenticę* sic allegantur: *Auth. ut factę novæ institutiones. 66.* inter Nov. Justin. id est, Authentica sexagesima sexta, inter Novellas Justiniani. *Hęc* omnia plenam habent Juris authoritatem, ita tamen, quòd Novellę prævaleant Codici, Codex Institutionibus, Institutiones Digestis, ut quibusdam placet, aliis opinantibus, Digesta prævalêre Institutionibus. Videsis plura apud Herinx.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

45 Opp. 1. cont. id quod supp. Scriptura S. improbat mandata hominum, Deut. 4. *Non addatis ad verbum quod loquor vobis.* Et 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito.* Matth. 15. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* *Præt.* Apost. sæpè prædicat libertatem Christianam. 2. Cor. 3. *Ubi Spiritus, ibi libertas.* Ad Gal. 4. *Non sumus ancillæ filii, sed liberę, qua libertate Christus nos liberavit.* *Postremò*: Lex Evangelica est perfectissima, & sufficiens ad omne opus: ergo. *Ad* 1. resp. Scripturam improbare mandata hominum corrumpentia legem Dei, aut ejus observantiam impedientia, qualia erant varia Pharisæorum: secùs mandata, per legitimam potestatem justè & legitimè imposita. Et hôc modô accipiendus est August. ep. 119. c. 19. ubi deplorat nimiam multitudinem præceptorum, imprudenter & malè introductorum, ut patet ex contextu. *Ad* 2. R. Apost. non docere, Ecclesiam Christi esse liberam à lege humana (cùm ipsemèt leges tulerit, ut de bigamis non ordinandis, 1. ad Timoth. 3.) sed à servitute peccati, & cæremoniarum Legis Mosaicæ, quam, non ideò abrogavit Christus, quòd repugnet libertati Christianæ subdi legibus humanis; sed quia erant figurę, & umbræ futurorum in lege gratiæ. *Ad ult.* R. ideò legem Evangelicam esse sufficientem, quia inter cætera præcipit, parendum esse Ecclesię, Lucæ 10. *Qui*

vos

vos audit, me audit, &c. Vide M. Medinam q. 95. a. 1. eruditissimè confutantem modò rejectum dogma.

46 Opp. 2. cont. 3. concl. Nam Jus Gentium continetur sub jure naturali : ergo non sub positivo humano. Prob. ant. *Tum*, quia jus gentium, ideò sic nominatur, quia eô omnes ferè gentes uruntur : ergo continetur sub naturali, quod est (juxta eundem) commune omnium nationum. *Tum*, quia præcepta Decalogi (utiquè naturalia) sunt de jure gentium, quandoquidem (ut suprà visum est) ex principiis naturalibus ceù conclusiones eruuntur : ergo. *N. ant.* Ad 1. prob. dicendum, illâ convinci, jus gentium esse quodammodò naturale, ut ait D. Th. q. 95. a. 4. ad 1. quippè utrumque ubique servatur, & si oppositum fiat, omnes judicant, malè fieri : neutrum scribi, aut solemniter promulgari, requirit; sed ab omnibus nationibus sine præcone acceptatur : Nihilominùs simpliciter & absolutè invicèm differunt : Quia jus naturale, vel est principium per se notum, vel conclusio necessariò, absolutè, & nullâ factâ suppositione, ex illo deducta : At jus gentium, deducitur quidem ex principiis naturalibus, non tamen absolutè, sed factâ quâdam suppositione. Et hujusmodi sunt servitus, divisio, & proprietas rerum, immunitas Legatorum, mos contrahendi matrimonium coram testibus, & id genus alia, quæ, non nisi suppositâ corruptione naturæ, & hominum perfidiâ deducuntur ex principiis naturalibus : unde nec sunt ita bona, ut eorum opposita sint intrinsecè mala, quia in primitiva Ecclesia, non fuit divisio, sed communitas rerum, sicut & modò in Ordinibus Religiosis. Et in bello capti inter Christianos, non fiunt servi. Et per hęc patet ad 2. Vide D. Th. 2. 2. q. 57. a. 3. & ibi M. Bañes, aliosq. Comment. & M. Medinam hîc §. *Verum in hoc art.*

47 Opp. ult. cont. eandem : Principum Constitutiones, Senatûsconsulta, Jusprætorium, & Plebiscita, cùm eandem vim habeant, solùm materialiter differre videntur, tanquàm leges ab uno, pluribus, aut paucioribus positæ : non autem formali ratione jubendi : ergo illa non est artificiosa divisio : sicut si dicas, leges Athenienſium, vel Lacedemonio-

niorum, vel Romanorum. Hinc etiam deficit alia partitio, quâ leges dividuntur in Corneliam, Juliam, Semproniam, & alias, quæ à solis authoribus sortiuntur diversa nomina. *Præt.* Sicut in Civitate sunt Principes, Sacerdotes, & Milites, ita alia sunt Reipublicæ officia & opificia penè innumera: ergo plures aliæ assignandę essent leges. *Ad* 1. resp. leges illas non differre ob numerum legum latorum, sed ob species regiminis diversas; divisio autem legum in Athenienses, Romanas, &c. non specifica, sed prorsùs numerica est. *Leges* demum Julia, Cornelia, &c. quanvis nomina ab authoribus trahant, differunt tamen propter specificam actionum distantiam, de quibus latæ sunt. *Ad* 2. N. conseq. nam alii non sunt publici ministri, communi bono deputati, sed particularibus necessitatibus inservientes.

DUBIUM II.

Qualem promulgationem, & an Populi consensum requirat lex humana, ut obliget?

48 SUpp. ut certum, quòd, attentô naturæ jure, lex humana censetur sufficienter promulgata, si publicetur in Curia Principis; cùm inde, propter frequentes accessus & recessus, facilè possit ad subditorum notitiam pervenire. Promulgatio autem, ad legis vigorem essentialiter exacta, juxta dicta N. 4. nihil est aliud, quàm prima legis indictio, aut intimatio, sic facta, quòd moraliter loquendo, possit sub litis innotescere. In quo differt à divulgatione, quę est illius extensio ad notitiam omnium, aut majoris partis subditorum. Hòc suppositò, sit

49 Prima concl. Attentô jure positivô, Lex Cæsarea non obligat in Provinciis, nisi elapsô bimestre post promulgationem in singulis factam. Pontificia verò, statim à solemni promulgatione Romæ factâ, obligat, nisi aliud exprimatur. *Quoad* 1. p. constat, sic enim expressè habetur Auth. *Ut factę* 66. inter Nov. Just. *Quoad* 2. verò est frequen-

quentior inter Theologos, & Canoniſtas, videndos apud J.Martinez de Prado q.5.de leg. & conſtat, *Tum* ex praxi & conſuetudine Curiæ Romanæ, quæ vim legis habet.Cap. *quàm gravi*, de *crimine falſi*: cauſæ ſiquidem ex toto orbe ad eam devolutæ, judicantur ſecundum leges Romæ tantùm publicatas, & non in partibus, ſeu Provinciis. *Tum*, quia cùm nulla fortè Decretalis publicata ſit in omnibus Provinciis, nulla ubiquè ligaret. Nec Bulla Cœnę, nec multæ extravagantes magni momenti ligarent niſi Romanos, cùm ſolùm Romæ promulgentur. *Tum*,quia id ſufficit ex natura rei, nec adeſt jus poſitivum in oppoſitum,Cæſareum enim Romanam Curiam obligare non poteſt. Conſtat demùm ex vulgato illo: *Papa habet pedes plumbeos, & non plumeos.*

50 Dixi *niſi aliud exprimatur*, ſi enim Leges ipſæ Pontificiæ expreſsè requirant promulgationem in ſingulis Provinciis, aut etiam Parochiis (ut lex illa Tridentini irritantis Matrimonium Clandeſtinum) non obligant ante promulgationem in his factam. *Nota* tamen, quòd ignorantes invincibiliter legem, ab ejus tranſgreſsione excuſantur, quia talis ignorantia, cùm tollat voluntarium, excuſat à peccato: Ideoquè cap.1. de *conceſſ. præbendæ* dicitur, *quòd lex & mandatum nullos obſtringant,niſi poſtquàm ad eorum notitiam pervenerint;aut niſi poſt tempus intra quod ignorari minimè debuiſſent.* Hinc tamen non infertur, legem ſemel promulgatam non obligare; imò oppoſitum, excuſatio enim ſupponit obligationem: de quo videndus eſt D.Th. quodl.1.a.19.

51 Poſſunt nihilominùs leges ſortiri, circa ignorantes, aliquos effectus, ab earum notitia independentes; ut lex de ſpuriorum & bigamorum irregularitate,de gradibus conſanguinitatis, & aliis impedimentis matrimonii,& ſimiles, irritantes contractus, revocantes conceſsiones aut privilegia, reſervantes caſus, & id genus. Sed hujuſmodi leges, ob materiæ gravitatem, in ſingulis Provinciis & Parochiis notificari ſolent: Et propter eandem cauſam multæ etiam aliæ Conſtitutiones Apoſtolicæ limitantur ad eos, qui ſcienter contra illas egerint. *Valdè* hîc notandum eſt, ut quorundam abigatur intolerabilis allucinatio, quòd dùm Pontifex,

fex, ut Caput & Doctor Eccleſię, definit, aliquid eſſe fidê credendum, aut damnat propoſitionem, librum, aut praxim aliquam: nullam tunc legem ſtatuit promulgatione indigentem, aut quæ deſuetudine abrogari poſsit; ſed legem naturalem, aut divinam, jam ſatis promulgatam, & omninò immutabilem, explicat vel declarat; cujus proinde infallibili judicio ac prorſus irreformabili, omnes, quibus innotuerit, tenentur obedire, nullique fas eſt ab illo appellare, aut ſupplicare, aut quôvis aliô prętextû, & tergiverſatione diſcedere: Quod utinàm adverterent nonnulli maleferiati.

52 Secunda concl. Obligatio legis non pendet à conſenſu, ſeu approbatione Populi. Eſt ferè communis inter Theologos apud Suarez, & Juriſperitos, quos referunt Marcus Burg.in Proœm. Legum Tauri, num.293. & Greg. Lopez in legem 16.tit.1.p.1. Et eſt adeò certa & evidens, ut oppoſita neutiquàm probabilis videatur aliquibus; imò, quoad leges Pontificias, parùm tuta in fide cenſetur à P. Suarez lib.4.de legib.c.16.Unde P.Diana illam in poſterioribus edit. retractavit. Prob.autem concl. *Tum*,quia eſt de ratione perfectę poteſtatis gubernativæ, poſſe ad bonum commune obligare ſubditos, etiam invitos & reluctantes, alioquin poteſtas Principis eſſet nulla, aut valdè diminuta & inutilis. Eſſet prętereà bellum utrinque juſtum: nam & Prælatus juſtè exigeret obedientiam, & ſubditus juſtè reſiſteret. *Tum*,quia obligatio legis oritur ex obedientia quam ſubditi præſtare tenentur Prętatis; vis autem obedientię non oritur à ſubditorum acceptione, ſed ab excellentia authoritatis, quam ſuperiores habent in ſubditos: Unde D. Th. 2.2.q.104. a.5.ait, *quòd obediens movetur ad imperium præcipientis, quadam neceſsitate* (morali) *juſtitię*: *ſicut res naturalis movetur ex virtute ſui motoris neceſsitate naturæ. Poſtremò*, quia ſimplex, ſeu particulare præceptum obligat, juxta omnes, nullô expectatô ſubditi aſſenſû: ergo & lex, cujus major eſt vis, & maximè ſi ſit Eccleſiæ, cui data eſt à Chriſto poteſtas legiſlativa, independenter à conſenſu populi.

53 **Ultima concl.** *Licitum eſt, juſta exiſtente cauſa, à le-*

gis

gibus, etiam Pontificiis, supplicare; & petere, ut eas legislator moderetur, aut revocet; supplicatio tamen, legis vim & effectum non suspendit, sed obligat usquequò legislator, tacito, vel expresso consensu, derogatum velit. Quoad 1.p. est comm. & sumitur ex cap. *Si quando* de *Rescriptis*, & ex Authent. *Quæ supplicatio.* Et prob. Quia, cùm Summi Præsules homines sint, non possunt omnia in particulari cognoscere: potest igitur ab eorum mandatis supplicari, ut plenius instructi, vel legem moderentur, si gravis sit, aut penitùs tollant, si inutilem, aut minus consentaneam agnoscant. *Quoad* 2.p. defenditur à M. Lorca, P. Vazquez, aliisque pluribus, videndis apud M. J. Martinez de Prado q.6. de leg. §.5. & est omninò amplectenda. Quia est utrique Juri valdè conformis: Canonico quidem, cap. *In memoriam*, dist. 19. ubi dicitur: *Licèt vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus; & pia devotione tolleremus.* Et cap. *Quia ad nos*, de *appellationibus*, decernitur, quòd *à lege non datur appellatio.* Et idem statuit Jus Civile *l. si res*, ff. de eod. tit. Suspensio autem executionis in eo casu, esset veluti effectus appellationis. *Omnes* insuper *legibus obedire tenentur*, ut habetur in Auth. de *mandatis Princ.* §. *Eripiat. Leges* demum *debent ab omnibus custodiri*, juxta l. *Legem.* C. de *legibus.* Profectò ex opposita sententia plura sequerentur absurda.

54 Sed opus est distinguere inter sententiam, privatumque rescriptum, & legem universalem: Nam particularis rescripti executio, interpositâ justâ supplicatione, suspenditur, ut apud omnes est inconfesso. Constatque ex cap. *Si quando* de *Rescriptis*, ubi Alexander III. Ravenati Archiep. ait: *Si quando aliqua tua fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur: turbari non debes.* Et infrà: *Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas; quia patienter sustinebimus, si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Idem habetur ex cap. *Quoniam quidam*, dist. 75. & cap. *Cùm teneamur*, de *Prębendis.* Quoad jussa verò Principum Sæcul. habetur in lege *Nemo*, C. de *sent. & inter*

ter loc. om. jud. Ideoquè hujusmodi litteras non esse statim executioni mandandas, sed expectandam secundam, vel tertiam jussionem, sumitur ex Auth. de *mandatis Princ.* §. *Si quis autem*, & pluribus exornat Covarr. in practicis qq. c. 35. num. 4.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

55 Opp. 1. cont. 2. p. primæ concl. Christus D. noluit ut Lex Nova obligaret omnes Nationes ex vi promulgationis factæ Jerosolymis; sed voluit, ut ab Apostolis ubique terrarum promulgaretur: ergo non aliter de ejus Vicario credendum est, ubi contrarium non exprimit. *Præt.* Antiqui Pontifices curabant, decreta sua in singulis Provinciis promulgari, ut de Zepherino, Stephano, Leone Magno, aliisque, produnt monumenta Ecclesiastica: Imò id ipsum præstiterunt moderni Pont. ut S. Pius V. & Greg. XIII. in Bullis circa doctrinam Michaëlis Baii. Sixtus V. in Const. de Matrimonio Eunuchorum, Urbanus VIII. in Bullis de reductione festivitatum, & de picturis non Beatificatorum, & sic de aliis, quæ nunc etiam ubiquè promulgantur: ergo dùm in aliis nō fit, signum est, nolle Papam illas extendi ad obligandas alias Ecclesias.

56 Ad 1. N. ant. Nam lex Christi quamprimùm fuit Jerosolymis promulgata, universum obligavit Orbem; nec prædicatio Apostolorum obligabat de novo, sed ostendebat legem, cui Christus mundum subjugaverat: atqueadeò tollebat ignorantiam, illucusquè excusantem, ut rectè ait Mag: Soto. Argumentum igitur potiùs nobis favet. *Ad* 2. R. illud, factum olim fuisse, & modò etiam inter fùm fieri, ob materię gravitatem, & ad melius esse; non autem ut simpliciter necessarium: Quippè ex natura rei sufficit, juxta omnes, promulgatio Romæ facta; nec aliquid in contrarium vel leviter insinuatur in Jure Canonico: unde opus non est exprimere in Bullis, *quòd ubique obligent post Romanam promulgationem*, uti quandoquè ad melius esse factum est; imò potiùs, ut continuò post illam non obligent ubiquè, necessariū est, quòd exprimatur; qualiter fieri solet (ut N. 50. dictum est) dum aliquod posset inconveniens sequi, si aliter fie-

fieret; nullum tamen inconveniens est, quòd statim obligent sub culpa & pœna, à quibus invincibilis excusat ignorantia.

57 Opp.2.cont.2.concl. illud cap.*in istis*,dist.4. ex Aug. desumptum : *Leges firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Consonat illud Juris Civ.l.*De quibus*,§.de *Legibus*:*Ipsæ leges non alia de causa nos tenent, quàm judicio populi receptæ sunt.* *Præt.* Phil. lib.2. Polit.c.6. dicit, legem nullam vim habere ut sibi pareatur, nisi ex more, id est, consuetudine, & acceptatione populi. *Ad* 1. (quod apud Aug. non invenitur, sed à Gratiano fuit additum) R.illô solùm significari, vim legum (à moribus utentium aliàs prorsus independentem) illis roborari, quatenùs removent periculum abrogationis, alioquin futuræ, Principe cedente nimię resistentiæ, vel contrariâ consuetudine prę̀scribente : Nam subditur : *Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur.* In lege *De quibus* est sermo de legibus datis à Legislatore dependente à consensu populi, legum approbationem sibi reservâtis. *Ad* 2.R. Phil.solùm velle,legem non habere vim obligandi, si per contrariam consuetudinem fuerit abrogata. Vel, solùm loqui de facilitate & assuefactione parendi legibus, quæ facilè impeditur frequenti harum mutatione, ut hanc, vel inde inconvenientem ostendat; quod illius loci scopus erat.

58 Opp.3.cont.eandem : Lex cui tota communitas refragatur, in hujus periculum vergit; ac proinde non obligat : ergo defectus acceptationis populi, legis obligationem infringit. *Præt.* Consuetudo, ut infrà patebit, potest legem abrogare : ergo & non acceptatio, consuetudini æquivalens. *Tandem*: Legislator civilis, cùm à Republica potestatem legislativam accipiat, dependenter ab illius consensu leges fert : ergo istæ saltèm non obligant, nisi acceptentur. *Ad* 1.N.conf. Tunc enim Princeps virtualiter derogat legi; nec enim debet (quanvis posset) huius obligationem urgêre, repugnante majori parte communitatis : Hujus igitur refragatio, solùm occasionaliter legem abrogat. *Ad* 2.R.solam

consuetudinem legitimè præscriptam posse abrogare leges non præscribitur autem legitimè, si legislator præscription resistat, & subditos (ut potest) ad legum acceptationem & observantiam adigat. *Ad ult.* N. cons. Semel enim absolutè translatâ à populo in Principem potestate legislativâ, penès ipsum solum est, leges condere, iisque populum obligare, independenter ab ejus consensu, & acceptatione.

DISPUTATIO IV.

De Potestate Legis Humanæ.

DUBIUM I.

Utrum Lex humana habeat vim obligandi in foro conscientiæ?

59 SUpp. cum D. Th. q. 96. aa. 1. 2. & 3. quòd lex humana, ut fini seu bono communi congruat, plura, quoad personas, negotia, & tempora, respicere debet: Nec omnia vitia cohibere, sed graviora duntaxat, & maximè quæ in aliorum nocumentum vergunt, & humanę societatis conservationi adversantur: Nec similiter omnium virtutum præcipere debet actus, sed tantùm, ad bonum commune, mediatè, vel immediatè ordinabiles. *Supp.* præt. non posse legem humanam directè præcipere, aut prohibere actus internos; benè tamen indirectè, si nimirùm, in exterioré influant, & per istum manifestentur; quantunvis per se & necessariò non connectantur. Primum docet D. Th. communiter receptus, q. 91. a. 4. & q. 100. a. 9. & constat, nec enim latiùs patet legislativa potestas, quàm judicativa, aliàs inutilis & otiosa foret; judicium autem hominis esse non potest nisi de exterioribus actibus, *homo enim videt ea quæ parent*, ut dicitur 1. Reg. 16. ideoquè vulgò dicitur, & habetur Cap. *Tua nos*, de *Simonia*, & Cap. *Humanæ aures* 22.

q.

q.1. quòd *Ecclesia non judicat de occultis. Secundum* constat ex pluribus Juris cap. videndis apud J. Mart. de Prado q. 4. de legibus, in quibus plures actus interni vetantur sub excommunicationis pœna. Cap. insuper *Dolentes* de *celeb. Miss.* præcipitur devotio, quæ actus interior est, ut ostenditur 2.2. q.82.a.1. *Ultimum* demùm, convincitur, quia in præfatis capitibus prohibetur intentio, influens quidem in actum exteriorem, ab eo tamen absolutè separabilis. His præmissis.

60 Concl. est affirm. & quoàd leges Ecclesiasticas, fidê certa ex CC. Constantien. & Trident. ac Scrip. test. adductis suprà N.35. quibus addimus illud Matth.18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, & illud Lucæ 10. *Qui vos spernit, me spernit. Quoad* Civiles autem, concl. est com. cont. Almainum, & quosdam Canonistas, quos refert Suarez, & adeò certa, ut plures, esse de fide judicent, alii verò indubitatam, ut minimum, inter Theologos. Constat autem ex illo Rom.13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, sibi ipsis damnationem acquirunt.* Subdit autem Apostolus, Principes esse Dei ministros; ex quo infert, illis obediendum esse, *non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, seu propter culpam vitandam, juxta communem PP. expositionem. Et concordat illud 1.Reg.8. *Non te abjecerunt, sed me.* Meritò itaque Sacra Facultas Parisiensis damnavit illam Amadæi Guimenii propositionem: *Subditi possunt justa tributa non solvere.*

61 Convincitur præt. concl. rat. D. Th. a.4. Quia, ut constat Prov.8. Lex humana justa, est participatio legis æternæ obligantis in conscientia. Leges autem dicuntur justæ ex fine, Authore, & forma, si nimirùm bonum commune respiciant, ferentis non excedant potestatem, & proportionabiliter subditis imponantur: Si secùs ferantur, non leges, sed violentiç sunt, quibus parendum non est, nisi fortè ob vitandum scandalum, vel turbationem, propter quod debet homo cedere juri suo. Si verò contrarientur legi divinæ, neutiquàm licet eas servare; *obedire* enim *oportet Deo, magis quàm hominibus*, ut dicitur Act.5.29.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

62 Opp.1. contra 1.p. secundæ suppositionis. In Conc. Tolet.I. & aliis anathematizari eos, *qui alitèr dixerint, vel crediderint*; credere autem solùs animi est. *Præt.* Clemens XI. in Bulla data in Augusto 1708. declarat, non satisfieri obedientiæ debitæ Constitutionibus Innoc.X. & Alex.VII. circa factum Jansenii, obsequiosô silentiô, sed damnatum in quinque prop. Jansenii sensum, non ore solùm, sed *corde* rejiciendo, & damnando: additque, aliter *sentientes*, omnibus pœnis & censuris dictarum Constit. subjacêre. *Adhęc*: Ecclesia dispensat in votis purè mentalibus, & reservare potest peccata merè interna. *Demum*: Prælati Regulares præcipiunt suis subditis orationem mentalem: ergo.

63 Ad 1.R.nullibi ferri anathema in hæresim merè internam, sed aliquô exteriori signô, aut factô manifestatam. *Ad* 2. (quod immeritò magni facit Henno) R. Pont. ibi potiùs quæstionem resolvere, & diffinire, quàm legem ferre, ut patet: lex autem, seu prçceptum quod exponit, & exponendo confirmat, àctus internos directè non attingit, sed indirectè solùm, juxta dicta. *Ad* 3.R.Ecclesiam non dispensare vota sibi externè non manifestata. *Lex* verò reservans peccata merè interna(si datur) non circa ista immediatè versatur, sed circa jurisdictionem externam, potestati legislativæ subjectam, quatenùs per hanc potest auferri, aut cum restrictione ad certa peccata conferri. *Ad ult.* R.orationem mentalem, vel præcipi ut exteriori vacationi annexam, vel ratione voti obedientię, quô Religiosi ad acceptanda hujusmodi imperia se obligarunt; non autem ratione potestatis legislativæ. *Dices* cum Henno: ergo actus merè interni possunt legibus humanis præcipi, undecumquè proveniat illa potestas. C.conseq.Posset utiquè Ecclesia actus internos præcipere, & prohibere, si ad id potestatem à Domino accepisset; sed illam de facto non accepisse, vel ipsa Ecclesiæ praxis ostendit. Homo autem,jus quod habet sibi ipsi præcipiendi, aut prohibendi per votum actus internos, potest Prçlato per votum obedientiæ conferre, ut nullus ambigit.

Opp.

64 Opp.2.cont.concl.Potestas legislatoris inferioris nequit obligationem inducere in foro potestatis superioris: ergo nec potestas legislatoris humani, in foro conscientiæ, quod est potestatis divinæ. *Præt.* Potestas civilis est merè temporalis: ergo nequit extendi ad spirituale, & obligare in conscientia. *Adhęc*: Legislator Civilis non potest solvere in foro conscientiæ: ergo nec in eo ligare. *Postremò*: Solius Dei est pœnam alterius vitæ, culpæ respondentem, statuere: ergo. *Ad* 1.Dist.ant. Contra, aut præter ordinem superioris potestatis, C. Ut tali ordini subest, N. Unde lex humana, ex quo ordini divinæ subest, participat vim obligandi in hujus foro; ac proinde legislator humanus verè habet potestatem legislativam obligandi apud Deum, quanvis ab illo participatam. Medicus autem (ut exemplo à Gerſone in adversum adducto occurramus) nullam habet potestatem imperandi infirmis, sed solùm illis declarat obligationem legis divinæ, & naturalis.

65 Ad 2.Dist.ant. Est merè temporalis, objectivè, quia nimirùm, secundum se, tota est de personis, actionibus, & rebus temporalibus, C. ratione obligationis quam ex consequenti inducit, N. Licèt enim per se 1. temporale Reipublicæ bonum respiciat, nec intendat obligare in conscientia, cùm sæpè legislator (maximè ethnicus) nullam habeat hujus obligationis notitiam; illam tamen re verâ imponit, eô ipsô quòd utitur potestate legislativa à Deo derivatâ, cui Deus prohibet subditos resistere. *Ad* 3.N.conſ.Cùm enim inferior obliget per potestatem à superiori datam, ligare potest in foro, in quo non potest solvere. Profectò quilibet potest se ipsum ligare per votum aut juramentum in foro Dei, quanvis in eo non possit se ipsum solvere. *Ad ult.*N. etiam conſ.Deus enim, non modò taxavit pœnam violantibus leges suas, sed etiam humanas; quia per istarum violationem contemnitur ipse Deus, à quo est omnis humana legislativa potestas.

66 Inquires 1. An omnes leges humanæ obligent ad culpam? *Resp.*negativè: Constitutiones enim Ordinis nostri sunt verè leges, utpotè eis convenit diffinitio legis, tradi-

dita ſuprà N.1. nec tamen obligant, quà tales, ad culpam, nequidem venialem, ut conſtat ex earundem Prologo, & D.Th.2.2. q.186.a.9.ad 1. *Idem* patet in Societate Jeſu, aliiſque Religionibus. Et ratio eſt: Quia obligatio in actu 2. ad culpam, conſequitur legem promulgatam ad modum proprietatis, impedibilis tamen à legiſlatore: ergo lex, quantunvis vera, non obligat ad culpam, ſi legiſlator exprimat, ſe non intendere ad illam obligare. Pœna autem, in laudatis Regulis lata, non eſt ſtrictè talis, culpam ſupponens; ſed impropriè, quæ cum *pœnalitate* recurrit, & ſolam cauſam deſiderat: cujuſmodi ſunt quędam irregularitates, nullam conſequentes culpam. Et conſtat ex illa Juris regula: *Ubi nulla eſt culpa, non eſt pœna, niſi ſubſit cauſa.* Videatur D.Th. ſuprà, q.88.a.7.& 2.2. q.108.a.4.

67 Inquires 2. An lex humana obligare poſsit ſub culpa lethali, & cum periculo & diſpendio vitę? *Ad* 1.reſp. affirmativè. *Tum*, quia Rom.13. dicitur, *Reſiſtentes ſuperiorum poteſtati, ſibi acquirere damnationem*, utiquè æternam, juxta frequentem interpretationem, quæ ſolô peccatô mortali incurritur. *Tum*, quia ſic obligare, poteſt conducere ad bonum commune; imò leges ſine tali obligatione, ſæpè eſſent inutiles. *Ad talem* autem obligationem inducendam, requiritur, *tum* materiæ gravitas, *tum* legiſlatoris intentio. *Primum* conſtat, quia lex æterna, à qua humana derivatur, nunquàm in materia levi gravem obligationem imponit. Gravitas autem materiæ colligitur, *tum* ex gravitate verborum quibus lex fertur, ut ſi dicatur, *in virtute Spiritus S. Sanctę obedientiæ, & ſub præcepto formali*, vel ſi præcipiatur aliquid ſub interminatione divini judicii, aut Dei & SS. indignatione. *Tum* ex gravitate pœnæ, ut dum in ſpiritualibus, imponitur tranſgreſſoribus gravis cenſura Eccleſiaſtica, maximè excommunicatio major: & in temporalibus, pœna mortis, mutilationis, cruciatûs, exilii, confiſcationis bonorum, & id genus. *Tandem* ex neceſsitate illius ad bonum commune, quantunvis in ſe levis videatur: unde Prælatus Regularis poteſt ſub mortali prohibere ſubditis ingreſſum aliænę Cęllæ, uſum tabaccii, & chocolati, & ſimilium,

lium, quando magni refert ad commune bonum ſtatûs Religioſi. Quæ omnia, quando non ſunt de ſe manifeſta, judicio prudentum committenda ſunt.

68 Secundum autem, conſtat ex dictis: Cùm enim poſſit legiſlator humanus ad nullam prorſus culpam obligare, quantunvis non deſit materiæ gravitas; poterit potiùs non obligare ſub gravi. *Nec obſtat*, quòd non poſsit res levis graviter obligare ex voluntate legiſlatoris: hoc enim eſſet irrationale, utpotè excedens illius poteſtatem, nulli enim legiſlatori collata eſt à Deo talis poteſtas: imò nec Deus ipſe illâ uſus eſt unquàm, datô quòd poſsit: Unde eſus unîus pomi Adæ prohibitus, erat quidem in ſe levis, ſed gravis ſub formalitate quâ ſubſtabat legi divinæ, prohibentis illum in ſpeciale ſignum ſubjectionis, & recognitionis ſupremi dominii, & beneficiorum. *Ad 2.* conſtat ex dictis tom. 2. N. 217.

69 Inquires demùm: An lex pœnalis, ſeu continens pœnam ſpiritualem, temporalem, aut mixtam (ſeu latam, ſeu ferendam) in tranſgreſſores, obliget in conſcientia, quanvis nihil exprimat de tali obligatione? Reſp. affirmativè cum Sylv. Soto, & ferè omnibus Thomiſtis, quibus adhærent innumeri ex extraneis cont. Navarrum, alioſque. Et meritò. *Tum*, quia D. Th. a. 4. vim ita obligandi, legibus tantùm injuſtis negat. *Tum*, quia violatio legis pœnalis, eſt verè inobedientia, adeoquè peccatum. *Tum*, quia lex humana juſta, lata abſque pœnæ comminatione, verè obligat in foro poli: ergo ſimiliter obligat, quantunvis pœna adjiciatur; hęc enim potiùs indicat, quàm tollat obligationem. *Tum*, quia omnis lex tributaria pœnam minatur, & irrogat tranſgreſſoribus: nulla igitur obligaret in conſcientia, contra jus divinum, dicente Dominô Matth. 22. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, & Apoſtolô Rom. 13. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum, &c.* Imò contra jus naturę, dictans, debêre membra caput fovêre, & ſuſtentare. *Omnis* igitur lex pœnalis obligat in conſcientia, niſi oppoſitum legiſlator exprimat, juxta dicta N. 66. Vel innuat ſaltèm, ferendo ſcilicèt legem pœnalem disjunctivè, ut ſi dicatur: *Ne-*

mo

mo pecuniam efferat extra Regnum; vel si extulerit, solvat centum nummos. Reus autem subire non tenetur, ante sententiam Judicis, pœnam ferendam, nec etiam latam, quæ Rei actionem requirat; secùs, si in mera privatione consistat, *Lata* demùm à Judice sententiâ, pœnam subire tenetur reus; illam tamen sibi ipsi infligere non tenetur; imò nec potest, si crudelis & inhumana sit actio, illius executrix. *Hæc* benè nota, ut multa rectè judices, pluresque vites vulgares Casuistarum laxitates.

DUBIUM II.

Utrum omnes homines legi humanæ subdantur?

70 COncl. *Omnes, & soli subjecti alicui Potestati, hujus legibus subduntur.* S. D. Th. a. 5. & constat: Quia non videtur subdi potestati, qui non subditur legi quam fert potestas; nec huic legi subjicitur, qui potestati non subditur, vel simpliciter, quia est alterius Regni, aut Civitatis, vel quia regitur à superiori lege, seu mandato, quantùm ad aliqua. *Hinc* colligitur 1. Ecclesiasticos neutiquàm obligari legibus, si quas de fide, Sacramentis, causisque merè spiritualibus, Princeps Laicus conderet: nec legibus civilibus, tributa, aut alia onera (seu realia, seu personalia) illorum immunitati repugnantia, imponentibus: Quia Ecclesiastici nullatenùs in prefatis sæculari potestati subduntur; nec enim seculi Principibus, sed Petro, & Apostolis, eorumque successoribus, commisit Christus authoritatem regendi Ecclesiam. Et *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutam* esse, ait Trident. sess. 25. De Reformat. cap. 20. & hinc

71 Colligitur 2. Quòd licèt Ecclesiastici parêre teneantur legibus civilibus, prescribentibus pretia rebus, modum ædificiis, formam testamentis, & id genus aliis, pro communi Reip. bono latis, ac Sacris Canonibus, & Ecclesiasticæ immunitati non repugnantibus; non tamen quoàd vim co-

coactivam, aut directivam directam, cùm non sint subditi foro civili: Unde prędictis legibus subduntur indirectè, ac solâ vî directivâ, directè ortâ ex jure naturali, & Ecclesiæ consensû, ob ęquitatem naturalem; ęquum enim est, ut in prædictis, cæteris se membris Reip. conforment illiusque onus (suo statui non prejudicans) sentiant, cùm cômodis perfruantur. Et eâdem ratione tenentur Religiosi exempti legibus Episcoporum, illorum statui ac privilegiis non prejudicantibus; ut de festis, censuris, ac processionibus, statuitur à Trident.sess.25.c.12. & idem est de jejuniis, & similibus, ad communem observantiam & totius populi devotionem spectantibus.

72 Collig.3. cum D.Th.ad 3. Principem, solutum quidem esse à suis legibus quoàd vim coactivam, cum nec à se nec ab aliis cogi possit: subdi tamen illis (si ex ęquo ad ipsum, perinde atque ad subditos, spectent) quoàd vim directivam, ex ipsa lege naturali, dictante mutuam capitis & membrorum conformitatem; nec enim minùs rationi dissonat, caput discordare à membris, quàm econversò. Unde hanc Principum obligationem firmat utrumque Jus. Civile quidem, *l.Digna vox*, C.de legibus: *Digna vox majestate regnantis est* (inquiunt Theod.& Valentinianus) *legibus obligatum se Principem profiteri.* Et *l.Princeps*, ff.de legibus: *Pareto legi, quisquis legem sanxeris.* Canonicum verò, cap.*Justum*, dist. 9. ubi ex Isidoro dicitur: *Justum est, Principem obtemperare suis legibus.* Imò & Dominus Matth.23. reprehendit imponentes aliis onera gravia, quæ ipsi nec digitô movere volunt.

73 *Diximus si ex ęquo, &c.* nec enim subditur illis quarum observantia Principem dedeceat; Rex enim v.g. non tenetur ad legem quâ pręcipiat, neminem gladiô succinctum incedere, aut sericis indutum. *Loquimur* autem hîc de Principe Monarcha, qui nimirùm, potest solus, & independens ab aliis, legem ferre, seu Ecclesiasticus sit (ut Papa, & Episcopus) seu Secularis (ut Rex) certum enim est, quemlibet ex optimatibus in Aristocratia, & quemlibet ex Populo in Democratia, subdi suis respectivè legibus, etiam vî coactivâ; cùm quilibet eorum, quantunvis veluti caput pri-

primas obtineat (ut Metropolita inter Coëpiſcopos, Prælatus in Comitiis, Dux Venetus inter Senatores) ſit verus ſubditus reſpectû totius Cætûs. *Collig.* 4. hæreticos teneri legibus Eccleſiæ Catholicæ, ſunt quippè illîus juriſdictioni ſubjecti, quia illam, per baptiſmi januam, ingreſsi ſunt: totiès proinde peccant, quotiès illîus leges tranſgrediuntur, niſi quoſdam (materiales nimirùm) invincibilis excuſet ignorantia.

74 Collig. demum, quòd Peregrini, & advenæ, non tenentur legibus particularibus proprii territorii; ſed tenentur ad proprias loci in quo diverſantur. *Primum conſtat*, quia juriſdictionis authoritas limitatur intra proprium Principis territorium: unde Cap. 1. de *Conſtitutionibus*, declarat Bonif. VIII. ſtatutum Epiſcopi, quô excommunicantur latrones, non ligare ſubditos extra Diœceſim furantes. Conſonat vulgatum illud diſtichon ex Ambroſii reſpôſo: *Cùm fueris Rome, Romano vivito more: Cùm fueris alibi, vivito ſicut ibi.* Quòd ſi à proprio diſcedat territorio, eô ſolô fine, ut à lege eximatur, non cenſetur exemptus; quidquid aliqui, nimis hominum ſenſualitati faventes, dicant; agit enim evidenter in fraudem legis: unde non utitur jure ſuô, quod non habet aliò declinandi, eò tantùm fine. *Hinc* jàm patet ſecundum; ſi enim brevis abſentia eximit viatores à lege proprii territorii; brevis præſentia in alieno, hujus legibus illos ſubjiciet; par enim eſt, ut ſentiat onus, qui ſentit commodum, ut dicitur regula 55. de Regulis Juris in 6. Unde ſequitur, viatores Sacro intereſſe, à carnibus abſtinere, ac jejunare debere, ſi in loco, in quem veniunt, dies feſtus ſit, ſtatutumque jejunium, ſive abſtinentia præcepta, & moram ibi trahant, præcepto ſervando proportionatam; ut ſi, v.g. ſint ibi totô mane diei feſti, tenentur Sacrum audire; non tamen ibi commorari, ut audiant.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

75 Opp. 1. cont. 2. coroll. Si poteſtas ſecularis cogere non poteſt Eccleſiaſticos, fruſtrà ipſis quidquam præciperet. *Præt.* Principes ſeculares auferre poſſunt ab Eccleſiaſticis arma, triticum, pecuniam, & hujuſmodi, ſi contra leges

illa

illa extra Provinciam deferant : ergo. *Ad* 1.N.sequel.nam licèt Judices seculares cogere aut punire non possint Ecclesiasticos, legum civilium transgressores ; possunt tamen eorum superiores reverenter adire, & petere, ut illos, vel pœnâ jure civili taxatâ, vel arbitrariâ plectant,aut compellant. *Ad* 2.Dist.ant. Possunt auferre, ut legis suæ transgressionem impediant, C. ut puniant,N.

76 Opp.2.cont.3.coroll. Lex sine vi coactivâ, admonitio & consilium est,potiùs quàm lex: ergo. *Præt.*Princeps, nec à Deo, nec à Republica, nec à se ipso obligatur suis parêre legibus ; cùm nulla de hoc extet divina lex, loquamur hîc de Republica Principi subjectâ,nec propriâ voluntate quis obligetur, nisi votô, juramentô, aut pactione,quorum nihil invenitur in proposito : ergo. *Demum*: Princeps potest eximere, quem voluerit, à legis obligatione : ergo & se ipsum, utprimùm legem condidit ; ac proinde nunquàm eâ tenebitur. *Ad* 1.N.ant. Potest enim sine vi coactiva dirigere, & obligare in conscientia ; consilium autem, seu admonitio, utrâque vî caret. *Ad* 2. N. ant. quoàd 1. & 3. p. Princeps enim obligatur ad observantiam suæ legis, & ex voluntate divinâ, mediâ lege naturali, præcipiente, quòd legem patiatur qui eam tulerit, & quòd caput membris se conformet : & ex voluntate propriâ, nam legem ferendo, constituit se unum cum quo lex illa loquatur.

77 Ad ult.C.totum : Nec enim potest esse reus fractę legis,ab hujus jugo utcumquè exceptus.Princeps tamen,pro libito se, aut alios eximens, reus erit lesi naturæ juris, dictantis, Principem creari, non modò ut præsit, sed ut prosit, nec sibi potestatem tradi in dissipationem : turpem esse partem, & maximè caput, corpori dissonam : in moralibus potiùs exempla movêre, quàm verba, & id genus alia. Potest nihilominùs, si expedierit, legem mutare, abrogare, illi derogare, & in ea secum, aut cum aliis pro loco & tempore dispensare : & hâc ratione dicitur Princeps supra legem esse, quanvis illi subdatur quoàd vim directivam, eamque non coactus, sed voluntarius teneatur implere. Vide Cajet. & Medinam hîc.

Ad

78 Ad completam intelligentiam potestatis legis humanæ, inquires cum D.Th.a.6.q.96. An liceat aliquandò subdito contra verba legis agere? Resp.affirmativè. *Tum*, quia potest uti Epiikia, seu æquitate, de qua 2.2. q. 120. Cujus est dirigere ubi lex propter universale manifestè deficit contrariè, ac proinde locum non habet in dubiis, sed in manifestis, quando scilicèt, non interpretatione, sed executione opus est. *Tum*, quia in ambiguis, seu dubiis, licèt debeat, vel secundum verba legis agere, vel legislatorem consulere, si vacat ad illum reccurrere, & si non vacat, & dubium sit strictum (de quo tom. 2. N. 580.) secundum verba legis agendum sit; at si dubium non sit strictum, sed rationabile seu verosimilius sit, quòd si legislator adesset, hanc proculdubio partem determinaret nunc hîc servandam; tunc tutò licet agere contra verba legis, quia tunc ipsa necessitas habet dispensationem annexam. *Qui* autem in necessitatis casu agit contra verba legis, non judicat de lege ipsa, sed de singulari casu, in quo videt, verba legis non esse servanda. Nec tunc interpretatur legem simpliciter, sed in casu, quô manifestum est, legislatorem aliud intendisse. Vide Cajet. utrobiquè, Sotum, Medinam, & Serram hìc. Et animadvertes, quàm impropriè nonnulli moderni de Epiikia (cujus materia in disputationem hîc producitur) loquantur.

DISPUTATIO V.

De Mutatione Legis humanæ.

79 MUltifariàm contingit legem humanam mutari, nimirùm, simplici cessatione seu desitione, abrogatione, derogatione, & correctione. *Cessat* lex, si ejus obligatio reddatur nociva, & observatio impossibilis, aut legi divinæ contraria: aut si elapsum fuerit tempus, vel cessaverit adæquatè ratio, pro quo, aut ob quam, la-

lata est. *Abrogatur*, cùm prorsus tollitur, seu expressâ revocatione, seu constitutione, aut consuetudine contrariâ. *Derogatur* illi, cùm pars detrahitur. *Corrigitur*, cùm moderatur, aliquid addendo, vel demendo. *Dispensatio* autem, non est propriè legis mutatio, cùm sit Juris relaxatio circa aliquam personam, aut aliquos effectus, manente legis obligatione circa illos. *Similiter*, nec interpretatio legem mutat, sed ejus dubiam obligationem declarat. Pro quorum perfecta intelligentia, sit

DUBIUM I.

An Legislator justè possit, & quandò debeat, legem abrogare?

80 QUoàd primum concl. est affirm. & D. Th. q. 97. a. 1. Constatq; tũ ex illo Aug. adductô in sed cont. *Lex temporalis, quanvis justa sit, commutari tamen per tempora justè potest.* Tum rat. corp. Cùm enim lex humana sit dictamen rationis, quô diriguntur humani actus, ex utraque parte mutari potest: ex parte quidem rationis, quia huic, naturale est, gradatim ab imperfecto ad perfectum pervenire: unde & posteriores legislatores imperfectas priorum leges sæpè mutarunt, instituentes alias, in paucioribus à communi utilitate deficientes; id quod etiam philosophantibus accidit, & eidem legislatori accidere potest, si decursû temporis utiliora Reipublicæ excogitet, quæ à principio prævidere non valuit. *Ex parte* autem nostrarum actionum, quia diversa hominibus expediunt, pro diversa eorum conditione, quæ adeò mutationi obnoxia est, ut nunquàm in eodem statu permaneat. Sic populo depravato, & venale habenti suffragium, justissimè adimitur potestas creandi sibi magistratus, & honores conferendi, justè eidem priùs, alitèr morigerato, concessa.

81 Secunda concl. *Lex humana non semper mutanda est, dum melius quid occurrit, sed tunc solùm, quandò recompensa-*

tur

tur detrimentum, quod legis mutatio ſuapte natura affert. Sic D.Th.a.2.& prob. Lex humana tunc rectè mutatur, dum communi utilitati (cujus gratiâ inſtituta eſt) conſulitur; ſed legis mutatio ex ſe, potiùs communi ſaluti nocet, cùm tollat conſuetudinem, plurimùm conferentem ad legum obſervantiam: Nunquàm igitur lex conſueta mutanda eſt, niſi maxima & evidens neceſsitas, aut utilitas adſit, ob manifeſtam ſcilicèt hujus iniquitatem aut perniciem, vel ob maximam,& evidentiſsimam novæ utilitatem. Unde ff.de conſt. princ. l.2.ait Ulpianus: *In rebus novis conſtituendis, evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod dici æquum viſum eſt.*

82 Inquires: Quiſnam legiſlator poſsit legem abrogare? *Reſp.* quòd quivis poteſt abrogare legem à ſe latam, eâdem poteſtate, quâ illam condidit; idemque poſſunt illius ſucceſſores, æqualem poteſtatem habentes; & à fortiori ſuperiores: Inferiores tamen, non poſſunt abrogare leges ſuperiorum, cùm inferior nullum jus aut poteſtatem habeat in ſuperiorem, ejuſque conſtitutiones, ac leges. *Nota* autem, quòd quanvis legiſlator non poſsit licitè abrogare legem abſque memorata cauſa; poteſt tamen valide, cùm lex in ipſius imperio eſſentialiter conſiſtat: unde ſicut potuit ab initio (licèt irrationabiliter) legem utilem non ferre, poteſt ſimiliter eam tollere, ita ut non teneantur ampliùs ſubditi legem ſic abrogatam ſervare.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

83 Opp.cont.1. Lex naturalis (à qua humana derivatur) permanet immobilis: ergo. *Præt.* Lex humana eſt menſura, & recta; ſed menſura debet eſſe permanens, & quod ſemel eſt rectum, ſemper eſt rectum: ergo. *Opp.* deinde cont.2. Nam in actibus, quotieſcumquè occurrit aliquid melius, mutatur quod priùs tenebatur: ergo idem faciendum in legibus, per rationem humanam ſimiliter adinventis. *Ad* 1.N.conſ. cum S.D.a.1.ad 1. quia lex naturalis participat æternam, per divinam rationem prorſus immobilem, illam inſtituentem; humana verò derivatur à natura, per rationem humanam, non omnia futura ſatis proſpi-

picientem ; ac proinde mutabilis evadit. Naturalis insuper, versatur circa universalia & permanentia; humana verò, circa particularia , contingentia, & caduca. *Ad* 2.R. cum eodem ibidem ad 2. quòd mensura debet esse immutabilis, juxta naturam materię , mensura autem mutabilium rerum, solidiorem non suffert perpetuitatem. *Ad* 3. R. quòd rectitudo legis non dicitur absolutè, sicut in rebus quantis; sed respectivè ad commune bonum, cui non semper res eandem habent proportionem , ideoquè, illis mutatis , mutatur rectitudo seu justitia legis. Sic D.Th.ad 3. *Ad ult.* resp. S.D. a.2.ad 1. disp.esse, quia cùm ars ex sola ratione pendeat, ubi melior occurrerit ratio , mutandum est quod priùs tenebatur ; leges autem, vim maximam obtinent ex consuetudine; ideoquè in earum mutatione , non tantùm perpendendum est bonum quod nova affert , verùm & detrimentum , quod veteris consuetudo patitur , ut dictum est.

DUBIUM II.

An , & qualiter consuetudo vim instituendi, obrogandi , & interpretandi legem, obtinere valeant?

84 SUpp.1. consuetudinem aliam esse facti , aliam juris. Prima nihil est aliud, quàm, uniformis frequentatio seu usus actuum humanorum. Secunda verò, quę oritur ex prima tanquàm effectus ex causa, sic diffinitur ab Isidoro , ut habetur dist.1.c. *Consuetudo. Jus quoddam moribus institutum , quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex.* Porrò consuetudo facti , aut est juxta , aut contra , aut præter legem ; si nimirùm, aut sibi conformem , aut contrariam, aut nullam præsupponat. De prima (quæ legem potiùs firmat) nulla est quæst. De 2.quæritur , an illam aboleat? De 3. an illam inducat? *Hinc* patet discrimen inter *consuetudinem*, & *præscriptionem.* Licèt enim utraque importet aliquid facti, & aliquid juris , inductum per factum ; & insuper præscriptio aliquam requirat consuetudinem facti, & vicissìm consuetu-

do,

do, aliquam temporis præscriptionem : Consuetudo tamen inducit jus legale, omnes obligans : solâ communitatis praxi (cujus bonum respicit) introducitur : Principis consensum desiderat, seu expressum, seu tacitum: nec quævis tempus legê determinatum requirit. Econtrà verò, præscriptio solum jus dominii, utendi, aut fruendi confert : per usum privatæ personæ inducitur, cùm ad privatam utilitatem referatur : consensum illîus, contra quem præscribitur, non requirit, cùm sufficiat, quòd eò ignorante currat, & continuetur : quælibet demum, exigit tempus legê determinatum. Hôc suppositô,

85 Concl. quoàd primum, est affirm. & comm. Prob. autem rat. D. Th. a. 3. Nam voluntas legislatoris humani ratione regulata, à qua lex humana proficiscitur, non solùm verbô manifestatur, verùm & factô, maximè multiplicatô; sed lex humana potest verbis institui, abrogari, & exponi: ergo & factis iteratis, seu consuetudine. *Constat* præt. ex leg. *De quibus*, ff. de *legibus*, & ex Aug. ep. 86. *Secunda* concl. *Nulla consuetudo vim legis obtinere valet, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta.* Est com. & trad. Cap. *Cùm tantò* extra. de *consuetudine*. Tunc autem consuetudo censenda est *rationabilis*, quando habet conditiones justæ legis, recensitas suprà N. 38. ita ut de ea re, de qua est consuetudo, justa esset lex de novo edita, priori mutatâ, si qua esset, aut nullâ mutatâ, si nulla existebat, ut optimè notant Sylv. V. *consuetudo* n. 2. Sotus lib. 1. de just. q. 7. a. 2. §. *Quàm verò longum*, & Passerinus de elect. can. pag. 74. n. 36. Rationabilitas igitur consuetudinis judicanda est, seclusâ illâ lege, quam nititur abolere, an sit rationi consona, & capax ut legê præcipiatur in ordine ad bonum commune. Quapropter nullâ consuetudine, quantumvis vetustâ & vulgatâ, juri naturali, aut divino abrogari, aut aliquatenus derogari potest.

86 Nulla itaque consuetudo efficere potest, ut spiritualia licitè vendantur : aliquid ratione mutui exigatur, ultra sortem : distrahat maritus pro libito dotem uxoris, aut hęc marito prodigi gravetur debitis : Neque ut Prælatus vel Capitula usurpent fructus Beneficii de cujus possessione litigatur,

tur in fraudem ejus qui verum jus habet: Neque ut domini temporales mulctare, vel punire possint interceptores ferarum sibi damna inferentium, quæ illi resarcire nolunt: Neque ut bona Christianorum naufragorum sibi quisque vendicet: Neque ut Prætores, vel satellites usurpent quæcumque reperiunt apud furem: Nec ut omninò immunes sint fideles à decimis solvendis Ecclesiæ Ministris. Et id genus plurima, quæ corruptelæ veriùs dicenda sunt, quàm consuetudines.

87 Ut autem consuetudo *legitimè præscribatur*, debet esse universalis, publicis actibus frequentari animô obligationem inducendi, accedente personali, aut juridicô legislatoris consensu. *Pateant singula.* Primum quidem, quia lex non privatis personis, sed earum communitati fertur: Nota tamen, quòd in persona ficta (qualis est communitas) consensus majoris partis, reputatur totîus. *Secundum* verò, quia si actus quibus consuetudo introducitur, frequentes non sint, prudentiam & judicium, ad legis lationem exactum, non ostendunt: si solùm occulti, vicem promulgationis tenêre non possunt. *Tertium* autem, quia ad legem requiritur animus obligandi; consensus autem legislatoris in consuetudine, non tam obligationem imponit, quàm à populo intentam approbat. Consuetudines ergo inductæ solîus devotionis gratiâ, & ad melius esse (ut mos ter pulsandi quotidie ad Angelicam salutationem, suscipiendi cineres feriâ 4. in capite jejunii, & similes) legis vim non habent. Dignoscitur autem, animô obligandi introductam fuisse consuetudinem, si ejus transgressio communi prudentum judiciô censeatur peccatum; secùs, si secùs. Non repugnat tamen consuetudinem solîus devotionis ergô inceptam, animô obligandi continuari, ut patet in consuetudine jejunandi in Vigilia Assumptionis, & in more recitandi Officium Beatissimæ Deiparæ in Ordine nostro, quem in legem evasisse decursû temporis, asserunt Sotus, Choquetius, Greg. & Joan. Martinez, Serra, & alii, totque sunt hujus rei testes, quot dicti Ordinis Fratres, ut ait Martinez de Prado.

88 Ultimum deniquè, quia omnis lex à Principis vo-

luntate ratione regulatâ procedere debet. Consentit autem *personaliter* legislator consuetudini, si per se immediatè (expressè, vel tacitè) illam permittit; modò, & potens sit abusum cohibêre, & non ex verecundia, sed occultâ dissimulatione, virtualiter approbativâ, illum permittat. *Juridicè* autem consentit, dùm, vel ipse, vel prædecessores legem aliquandò tulerunt, vî cujus, talis consuetudo approbatur. *Consultò* autem dicimus, *Legislatoris, seu Principis consensu accedente*. Nam, etsi Prætor in urbe, vel Prælatus Conventûs, aut Provinciæ, dissimulent legum transgressiones; ejusmodi consuetudo nunquàm vires legis consequitur, quia non est signum voluntatis Supremi Prælati, seu legislatoris. Quantum verò temporis desideretur, ut consuetudo vertatur in legem, non est Jurê certum, nec una Authorum opinio. Certum tamen videtur, quòd expressus Principis consensus illicò illam firmat: si autem solùm sit tacitus vel præsumptus, requiri videtur tempus à Jure taxatum ad præscriptionem, consuetudini aliquatenùs similem; cùm pro ista nihil in Jure determinatum sit: Unde consuetudo contra legem civilem requiret in foro fori decem annos; contra canonicam, quadraginta cum aliquo titulo; aut etiam tempus immemoriale, si jus resistat. In foro autem poli seu interno, esto prudentum judicio, & proborum praxi.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

89 Opp. 1. cont. 1. Lex humana ab æterna, per naturalem, derivatur; sed contra illas nulla prævalêre potest consuetudo: ergo. *Præt.* Ex multis malis nullum bonum fieri potest; imò malum, quò multiplicatius, eò pejus; sed qui primò contra legem agere incipit, malè facit: ergo similibus acervatis actibus, nihil boni confici potest; at lex, cùm sit regula humanorum actuum, egregium bonum est: nulla ergo consuetudo migrare in legis naturam potest. *Demùm*: Leges condere, munus est solius publicæ potestatis; at consuetudo privatis civium actibus invalescit: ergo. *Ad* 1. resp. D. Th. a. 3. ad 1. disp. esse, quia lex divina & naturalis à voluntate divina procedunt, cui nulla humana voluntas, neque consuetudo obsistere valet; nec proinde quidpiam vigôris illis

illis detrahere ; imò qnantò consuetudo contra eas fuerit inveteratior , tantò gravioris est causa peccati.

90 Ad 2.resp. consuetudinem abrogantem legi , induci posse actibus bonis , per epiiKiam seu çquitatem elicitis, ut docet D.Th.ad 2. Qui quidem actus (ut instantiis P.Suarez occurramus) quanvis non sint formaliter contra , sed prçter legem ; sunt tamen contra illam materialiter , quatenùs sunt contra id , q iod verba legis absolutè sonant. Quapropter consuetudo illis inducta, legem materialiter contrariam abrogat. Nec illis multiplicatis , taliter inutilis redditur contraria lex,quòd ex se ipsa cesset,ut autumat Suarez;sed se habent dispositivè,ut Princeps inducatur ad illam abrogandam tanquàm minùs utilem , quod si non faceret (tacitè, vel expresè) lex stabilis permanêret.

91 Potest etiam consuetudo abrogans inchoari actibus pravis, ut docet Cajet.hîc,communiter receptus : Et in hoc differt consuetudo (juxta omnes) à præscriptione, ad cujus etiam inchoationem requiritur bona fides. *Nec* obstat eorum malitia ; quia solùm occasionaliter & dispositivè concurrunt , quatenùs multiplicati inutilem reddere possunt primam legem ; adeoquè legislatorem inducere ad illîus rationabilem abrogationem. *Manente* autem eâdem utilitate primæ legis , non consuetudo legem , sed lex consuetudinem vincit : nisi fortè propter hoc lex videatur inutilis, quia non est posibilis secundum consuetudinem patriæ , difficile enim est consuetudinem multitudinis removêre, ut ait D. Th. *Notat* autem Cajet. quòd *non oportet* posteros solicitos esse , an licitè , vel illicitè introducta sit consuetudo , quam sine dubio licitè inveniunt observari , relictâ lege scriptâ.

92 Ad 3.Dist.min. ex D.Th. ad 3. Sine ullo publicæ potestatis consensû,N. Illô interveniente, juxta dicta N.88. C. Nulla enim consuetudo invalescit, aut legis vigorem obtinet , sine præfatô consensû. Potestas autem legislativa in Republica libera , residet penès communitatem, cujus proinde est (non singularum personarum) consuetudinem obligantem , aut abrogantem inducere ; ejus autem consensus ipsô factô , seu morê efficaciśimè declaratur ; nec aliâ pa-

ctione opus est. Si autem potestas legislativa, non penès multitudinem, sed penès Principem sub quo degit, resideat, hujus consensus desideratur, ut consuetudo in illa prævalens vim legis obtineat. *Consuetudo* igitur, vim legis habens, induci potest ab omni & sola communitate perfectâ, habente, aut potestatem leges ferendi, aut saltèm illas recipiendi, interveniente tamen legislatoris consensû. Et hæc est communis sententia. Quâ rectè perpensâ, funditùs corruunt plura Caramuelis dogmata, ferè omnium consuetudinum destructiva; quæ optimè rejicit insignis ille laxitatum domitor, noster Joan. Martinez de Prado q. 14. de leg. §. 5. & quibus (sicuti & aliis plurimis Caramuelis positionibus) adaptari potest illud quod de quadam ejusdem thesi protulit D. Nicolaus Fernandez de Castro (referéte & approbâte amicissimô Caramuelis Dianâ t. 10. tract. 6. resol. 1.) esse nimirùm *phantasiam somniatam, præcipitanter prolatam, metaphysicalibus & logicalibus sophismatibus velatam.*

93. Ex dictis inferes, posse & consuetudinem, quantumvis legitimè præscriptam, abrogari, seu legê, seu consuetudine superveniente contrariâ; cautior tamen debet esse legislator in consuetudine abroganda, quàm lege; difficile enim est consuetudinem multitudinis removêre, cùm sit altéra natura: quapropter *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*, ut rectè ait Aug. epist. 118. *Nota* tamen, quòd quanvis lex universalis abroget consuetudinem universalem contrariam, etiam nullâ factâ hujus mentione, eò quòd non præsumitur ignorata; secùs tamen consuetudinem specialem: utrumque enim apertè docet Bonif. VIII. 6. Decret. tit. 2. c. 2. dicens: *Licèt Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem (quanvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscatur: quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta (cùm sint facti, & in facto consistant) potest probabiliter ignorare: Ipsis (dum tamen sint rationabilia) per constitutionem à se noviter editam (nisi expressè caveatur in ipsa) non*

in-

intelligitur in aliquo derogare. Quæ decisio valdè notanda est pro variis materiis. Et hinc S. Rituum Congregatio sæpè declaravit, *laudabiles consuetudines non tolli per Ceremoniale*, ut refert Barbosa in Collect. Bull. v. *consuetudo* n. 3.

94 Quòdsi lex specialiter feratur pro aliqua Provincia, hujus contrariam abrogat consuetudinem; quia hæc non præsumitur ignorata, & aliàs inutilis foret lex, & neminem ligans, ut optimè docet Mart. de Prado cont. Suarez & alios. *In* clausula autem generali, derogante cuivis consuetudini, non comprehenditur immemorialis; nisi esset iniqua & irrationabilis, ut pluribus Rotæ decisionibus firmat Diana p. 6. tract. 5. resol. 12. *Nec* talis clausula aliquatenùs derogat consuetudini futuræ: Imò nec clausula expresè illam prohibens, aut reprobans, quę sanè irrita foret, nec obstaret quominùs eadem lex consuetudine superveniente tolleretur: quemadmodùm prorsus inaniter diceretur in lege. *Nulla lege oppositum induci queat.* Vel: *Nullus ex successoribus quidquam aliud inducere valeat.* Et sic tenent Medina, uterque Martinez, Lorca, Araujo, Serra, Basil. Pont. aliique contra Sylv. Sotum, aliosque plures, quos refert & sequitur Thomas Sanchez l. 7. de Matrim. dist. 4. n. 14. Videsis alias rat. apud Greg. Martinez, qui rectè dicit, clausulas illas *apponi, ad majorem cautelam non permittendi usum contrarium, & ut ministri justitiæ invigilent, ut introductionem consuetudinis impediant.* Ad quod valdè notanda est admonitio M. Soto L. 1. de just. q. 7. a. 2. §. *Quapropter.*

95 Nec obstat illud D. Th. adductum N. 91. *Si autem adhuc maneat ratio eadem; propter quam prior lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.* Loquitur enim apertè de consuetudine irrationabili, nam de rationabili oppositum illicò subdit. *Nec* pariter obstat, quòd dum lex reprobat consuetudinem futuram, tanquàm injustam, & naturali rationi contrariam, non possit consuetudo legem abolêre; hoc enim, non legis dispositioni, sed ipsi naturæ rei tribuendum est; quia quod injustum est, nullâ consuetudine potest robur & firmitatem accipere. *Scito* demum, quòd uni Doctori quamlibèt excellenti, testanti de consue-

tu-

tudine, non habetur fides in foro fori, ut S. Rota decidit; in foro autem poli haberi potest, modò alii non contradicant; secùs, si secùs: Ea enim quæ sunt facti, plerumque etiam prudentissimos fallunt, ut dicitur l.2.ff.de juris & facti ignorantia, & colligitur ex Cap. *Licèt* de conf. in 6. suprà N.89.laudatô.Malè autem Diana refert sine hac limitatione Suarez, & Salas, cum illam expressè apponant.

DUBIUM III.

An, à quibus, & qualiter possit in legibus humanis dispensari?

96 ANte resol. nota, latum esse discrimen inter *irritare*, *commutare*, *abrogare*, *interpretari* legem, & in ea *dispensare*. Irritare est ex potestate dominativa legem tollere; pater enim, prælatus, & maritus hâc potestate vota filiorum impuberum, subditi, & uxoris respectivè abolêre possunt: *Abrogare* est legem omninò tollere, sive ex dominativa, sive ex gubernativa potestate: *Commutare* est obligationem in æquale, seu melius, mutare: *Interpretatio*, si authentica sit, authoritatem legislativam requirit; ejus enim est interpretari sic legem, cujus est condere: si autem doctrinalis sit, ingenii acumen & eruditionem desiderat: *Dispensare demum*, formaliter loquendo, est concedere facultatem, ut præceptum, vel lex non servetur: unde dispensatio vulgò diffinitur ex S.Raymundo: *Juris relaxatio*; præsupponit tamen interpretationem legis: quapropter D.Th.ait a.3. rectorem multitudinis habere potestatem dispensandi in lege humana, *ut scilicèt, in personis, & in casibus, in quibus lex deficit* (negativè) *licentiam tribuat.* Et 2.2. q.88. a.10. ait, *dispensare in lege, esse* (præsuppositivè) *determinare in particulari casu legem non esse servandam.* Hôc suppositô,

97 Concl. quoàd 1. est affirmativa, & constat. *Tum*, quia fidê certum est, Prælatos & superiores habere potestatem

tem dispensandi in suis legibus, ut patet ex illo 1. Cor. 9. *Dispensatio mihi credita est*, & maximè Apostolicâ traditione. *Tum*, quia Trident. sess. 25. de reform. c. 18. apertè docet, dispensationem quandoquè expedire. *Tum* deniquè, ex unanimi legislatorum, & subditorum consensu, illi enim, se posse dispensare, & hi, secum posse dispensari, ut indubitatum supponunt. *Secunda* concl. In lege humana dispensare potest legislator ipse, ejus successor, & superior; secùs inferior, nisi ei expressè vel tacitè committatur. Est comm. & quoàd 1. p. constat; illorum enim est obligationem tollere, quorum est imponere; sed præfatorum est obligationem imponere: ergo. *Quoad* 2. etiam constat, *tum* ex Clement. *Nè Romani*, de *electione*, ubi asseritur, legem superioris non posse tolli ab inferiori. *Tum*, quia cùm dispensatio sit actus jurisdictionis, hanc supponit in dispensante; sed inferior nullam habet in legem superioris: ergo. *Nec* oppositum vel leviter insinuant S. Anton. Victoria, & Sotus, quidquid Suarez, aliique referant, ut apertissimè ostendit. Joan. Mart. de Prado cap. 4. de leg. q. 3. §. 1. Et nota benè, quòd potestas dispensandi in legibus superiorum, non est ex his quę conveniunt inferiori, nisi prohibeantur (qualis censetur potestas absolvendi à censuris) sed ex his quæ non conveniunt, nisi concedantur, ut constat ex cap. *Dilectus*. Nec absolutio est dispensatio, hæc enim est contra, illa secundum jus.

98 Adjecimus autem: *Nisi ei expressè, vel tacitè committatur*. Nam Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 6. expressè concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum. Tacitè autem committitur inferiori multitudinis Rectori authoritas dispensandi in lege superioris quoàd duò, nimirùm, quoàd levia (nisi expressè negetur in lege, sicut negatur in nostris Constitutionibus quoàd silentium in mensa, usum lineorum ad carnes, & id genus levia) & quoàd frequentia: Unde

de Episcopi sæpè dispensant in lege jejunii, in celebratione festorum, Horarum recitatione, & similibus, non quidem generaliter, & pro tota vita, sed in diem, aut breve tempus, & idem præstant Prælati Regulares respectû suorum: Nimis enim grave esset in hujusmodi ad Principem recurrere. Addunt autem Sotus, Valentia, Serra,& alii ex Cajet. similem facultatem committi tacitè inferiori Rectori multitudinis, quoàd ea quæ ita sunt huic propria, quòd non redundant in communitatem totîus Regni. Sed hoc displicet Suarez, & aliis, *nec mihi universaliter placet* (inquit laud. Prado,cui libenter assentio) *alioquin ferè semper inferior dispensare valebit in lege superioris, & idem erit de legibus Provinciæ latis à Papa, ac latis ab Episcopo, quod est inconveniens.*

99 Præsumitur etiam concessa Episcopo facultas dispensandi in legibus Pontificiis, aut constitutionibus Conciliorum, quando in eis expressè dicitur, posse dispensari: Quia permissio dispensandi, non est respectû legislatoris, qui eâ non indiget, sed respectû aliorum. Nisi fortè constitutio in ipsum Episcopum dirigatur, nec enim potest in propria causa dispensare.Et tunc verba illa ponuntur majoris explicationis ergô. Eâdem pariter facultate dispensant Episcopi in omnibus votis simplicibus, exceptis Papæ reservatis. Item in impedimentis occultis matrimonii, post istud bonâ fide (ex parte alterius saltèm conjugis) contractum, deprehensis, si periculum sit in mora, & difficilis sit recursus ad Papam aut ejus Delegatum. Et hæc est communis sent. Canonist.& Theol. si Sotum,Medinam,& paucos alios excipias: Et meritò, quia manifestè adest consuetudo legitima. Imò & possunt in tali impedimento (aliàs dispensabili) dispensare ante matrimonium; ut si à sponsa Confessario detegeretur immediatè ante nuptias, nec esset alius modus evadendi.Ratione etiam consuetudinis dispensare possunt singuli Episcopi in legibus Con. Provin. à quibus (seclusâ consuetudine) nè Archiep. quidem posset: Et hæc potestas inferiorum ordinaria potiùs est, quàm delegata, cùm perpetua sit, & ratione officii concessa: unde & delegari potest. Sic post Covarrubias communiter docetur.

Ter-

100 Tertia concl. *Legiſlator poteſt ſine juſta cauſa validè, etſi non licitè, in ſuis legibus diſpenſare; inferior autem in lege ſuperioris, nec licitè, nec validè.* Eſt com. & quoàd 1. p. liquet, lex enim pendet in conſervari ſicut in ferri à volûtate legiſlatoris: ergo ſicut potuit ab initio, quem voluerit lege ſuâ non comprehendere, ita deinceps ab illa eximere. *Quoad* 2. etiam; eſſet enim infidelis diſpenſator abûtens poteſtate, quàm in ædificationem & conſervationem boni communis, non in hujus deſtructionem, accepit. Unde rectè Bern. lib. 3. de conſid. circa finem, ait: *Ubi neceſsitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt; ubi utilitas* (communis) *provocat, diſpenſatio laudabilis eſt; nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Et quidèm mortalis ex genere, juxta Covarrub. Suar. Pet. Ledeſ. Greg. Mart. alioſque. Eſt etiam violatio triplicis juſtitiæ, ſcilicèt, legalis, diſtributivæ, & commutativæ, quia contrariatur bono communi, eſt directè perſonarum acceptio, & vitanda ex officio à legiſlatore. Et quanvis alii aſſerant, ſolùm eſſe venialem ex genere, omnes tamen dicunt, ferè ſemper eſſe mortalem; aut propter ſcandalum, aut præjudicium (ſeu aliorum, ſeu boni communis) aliave inconvenientia, ideoquè tam graviter prohibetur. *Idem* de impetrante diſpenſationem, aut eâ utente ſine cauſa, eſto judicium; quanvis enim ſic diſpenſatus, non peccet contra legem à qua eſt exemptus, peccat tamen contra legem naturæ, quâ pars debet conſonare ſuo toti, quâ etiam injuſtè diſpenſatus ligatur, ut cum Cajet. tenet frequentior ſent. à qua perperàm recedit Gonet cum aliis.

101 Quoàd 3. denique conſtat, nec enim credibile eſt, ſuperiorem inferiori dare facultatem diſpenſandi in ipſiuſmet ſuperioris legibus ſine cauſa. Hinc invalidè diſpenſaret Papa ſine legitima cauſa in voto, juramento, reſidentia, pluralitate beneficiorum, & aliis quæ ſunt de jure naturali, aut divino: ſicut & Epiſcopus in legibus Papæ. Cauſę autem juſtæ diſpenſandi, tres aſsignantur à Trident. nimirùm, *neceſsitas, pietas, & utilitas.* Neceſsitas, non quidem tàm urgens, ut teneatur ſuperior diſpenſare, nec tanta, ut poſsit

ſub-

subditus sine dispensatione à lege se eximere; sed talis, ut vir prudens doctus & expertus judicet, dispensationem tunc expedire. Ratione pietatis dispensari potest cum irregulari, volente Sacros Ordines suscipere, ut liberiùs Deo vaccet. Utilitas autem debet esse non tàm privata, quàm communis. *Dubitans* autem de sufficientia causæ dispensandi, dispensare non potest, quia exponeret se periculo dispensandi sine causa, quod iniquum est. *Nec* bona fides dispensantis, existimantis adesse causam dispensandi, cùm non sit, dispensationem firmat, *tum*, quia ad rectam gubernationem non spectat firmare dispensationes sine causa, sed illas excusare, *tum*, quia allegantes, superiorem sine causa dispensasse, audiuntur, quantunvis superior bonâ fidê processerit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

102 Opp. 1. cont. 1. concl. Bonum commune, pro quo lex fertur, non est pro privato intermittendum, cùm sit istô divinius, ut Phil. ait, ergo non licet cum aliquo dispensare, ut contra legem communem agat. *Præt.* Indulgêre alicui, quod toti Reipublicæ denegatur, est personarum acceptio, Præfectis prohibita Deut. 1. ergo. *Demum*: In legem naturalem, & divinam, quibus humana conformari debet, nulla cadit dispensatio: ergo neque in istam. *Ad hæc* arg. resp. D. Th. q. 97. a. 4. Ad 1. quidèm, quòd dispensatio fieri non debet in præjudicium boni communis, imò ut in ejus augmentum cedat: unde nihil obstat legi pro bono communi latæ. *Ad* 2. verò N. ant. non enim est acceptio personarum, si non serventur æqualia in personis inæqualibus; imò verò nihil iniquius æqualitate, ubi personæ non sunt æquales.

103 Ad 3. denique R. quòd lex naturalis, quantùm ad præcepta communia, quæ nunquàm fallunt, indispensabilis est: in conclusiones autem naturales illorum, epiiKia vim habet, cujus utiquê virtutê non redditur mutuum proditori patriæ (nec amplius intendit S. D. dum ait, quòd in his *aliquando per hominem dispensatur*, impropriè scilicèt, & latè, nam dispensare in his, propriè loquendo, soli Deo competit, qui antiquitùs dispensavit, ut plures unus matrimonio

si-

sibi conjungeret.) In legibus autem divinis positivis, quæ nō sunt de jure naturę, ipse quoque dispensare potest, vel cui ipse specialiter commiserit. Sic S.D. & hâc speciali commissione fræti, dispensarunt Apostoli in forma baptismi, ut fieret in nomine ipsius Christi (si tamen illud sub hac forma contulerunt unquàm, scilicèt: *Ego te baptizo in nomine Christi*, seu *Jesu Christi*: Nec enim si Scriptura dicit, quicquam in Christi nomine fuisse gestum, statim cogimur existimare, his conceptis verbis rem gestam administratamque fuisse; nam quod authoritate ac virtute alicujus fit, in ejus nomine fieri dicitur, nam & hodie nos verè in Christi nomine, hoc est, locô, vî, & authoritate, baptisma conficimus. De quo videsis Canum lib.6.de loc.c.8.§. *Deinde*) Et Act. 15. tolerarunt abstinentiam à suffocato & sanguine, quam Christus jure divinô abrogarat.

104 Opp.2.cont.2.p.2.concl. *Quidquid potest Papa in toto Orbe, potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi expresè prohibeatur*: ergo poterit Epis. in legibus Papę dispensare. R. axioma illud non esse universaliter verum; nec enim possunt Episcopi res fidei diffinire, Sanctos canonizare, plenarias Indulgentias concedere, censuras instituere, & id genus alia: Unde intelligendum est in his quæ ad commune regimen & gubernationem spectant, & antequàm emanet lex Pontificia, quę eô ipsô excipit ab ordinaria jurisdictione: Unde MM. Tabiena, & Fumus in summa *Armillæ* verbo *dispensatio* 47. casus enumerant, in quibus ad Sedem Apostolicam recurrendum est. Et sanè decet, gravissimas causas Summo Christi Vicario reservari, & ita censendum est Christum reservasse.

105 Plura de valore, aut nullitate dispensationum t.4. Deô dante trademus: nonnulla hîc obiter insinuare juvat, prœmonendo lectorem, nè quibusdam Casuistis facilè credat, si turpiter errare non vult, sed sequentia animadvertat. Primum, nullam esse dispensationem, dum aliquid subticetur, aut falsò narratur, quô cognitô, superior non dispensasset (primum *subreptionem*, secundum verò *obreptionem* vocant) nec enim intendit dispensare, nisi sub conditione,

quòd

quòd *res ita se habeat*. Et quidem si subreptio, aut obreptio, malitiosa sit, nulla erit dispensatio, tametsi hæc concessa forsàn adhuc fuisset, illâ non interveniente, ut decrevit Innoc. III. cap. *sub litteris* de *Rescriptis*. *Deindè*, invalidam pariter esse dispensationem, tacitâ (quantunvis ignoranter) qualitate, quam jura & stylus Curiæ specialiter exprimi volunt: nisi enim servetur forma à jure introducta, corruit actus. *Hinc* nulla est dispensatio circa matrimonium, si, concurrentibus pluribus impedimentis, non omnia penitùs exprimantur; ut si taceatur, non solùm quotô consanguinitatis, affinitatis, vel publicæ honestatis gradû conjuncti sunt, sed etiam quotuplici titulô in eodem vel diverso gradu. Nulla pariter est dispensatio, si non exprimatur, aut incestus præcedens & divulgatus (occultus enim dispensari potest à Sacra Pœnitentiaria) aut quòd matrimonium contractum fuerit, aut consummatum, spê impetrandæ dispensationis. Nulla etiam est impetratio beneficii, non expressô priori (quantunvis tenuissimô) ab impetrante obtentô.

106 Præt. Si ex priori dispensatione valdè difficilis reddatur secunda, hæc erit irrita, non expressâ illâ in petitione; unde nulla est dispensatio super impedimento criminis, v.g. uxoricidii, si alia dispensatio super eodem obtenta taceatur: sicut & secunda dispensatio non residendi per notabile tempus in loco beneficii, si non exprimatur tempus similis dispensationis, quod immediatè antea effluxerit. *Nulla* insuper est dispensatio dum in postulatione scienter vel ignoranter committitur error circa moralem rei substantiam, ut si petat quis dispensationem pro affinitate, & sit consanguinitas, aut econversò: vel pro quarto gradu, & sit tertius; dispensans enim censetur id precisè concedere, quod ab ipso petitur. Valida nihilominùs reputatur à multis dispensatio pro majori gradu, cùm sit minor, v.g. pro secundo, cùm sit tertius; licèt enim in dispensationibus (utpotè exorbitantibus à jure communi) non valeat universaliter argumentum à majori ad minus, valet tamen quando minus includitur in majori, prout hîc contingit: unde talis error est circa qualitatem accidentalem, inclusam necessariò in gradu

du ſuper quo diſpenſatur. Vide Th.Sanch. l.8.d.24.n.17.

107 Irrita eſt diſpenſatio, ſi ante litterarum expeditionem deſinat cauſa allegata; valet autem, ſi hæc ſubſiſtat tempore conceſsionis, quantunvis non ſubſiſteret tempore petitionis. Diſpenſans enim intendit diſpenſare, *ſi preces veritate nitantur* dum diſpenſat, non autem dum petitur diſpenſatio. Unde nulla eſt diſpenſatio, quam quis petierit ratione prolis, & hæc ante conceſsionem obierit: econtrà verò ſubſiſtit, ſi inter petitionem & diſpenſationem, nata fuerit proles, licèt eam allegans pro cauſa, neſciret amaſiam eſſe gravidam. Hinc nulla eſt diſpenſatio, non ſubſiſtente causà tempore diſpenſationis, quantunvis ſubſiſteret ante hujus executionem: unde non poteſt quis nubere cum affine vî diſpenſationis obtentæ ob allegatam falsò paupertatem, licèt illicò poſt impetrationem fiat pauper.

108 Ceſſante motivô diſpenſationis, non ſemper ceſſat diſpenſatio; ſed tunc ſolùm, quando prudenter creditur, illud ad tempus duntaxàt duraturum. *Primum* patet, quia etſi diſpenſatio detur dependenter à ſubſiſtentia cauſæ, non tamen ab ejus duratione; ponitur quippè in litteris, *Si allegata ſubſiſtant*, non autem, *ſi allegata durent uſque ad executionem*: unde poteſt quis v.g. inire matrimonium cum cognata, licèt poſt diſpenſationem mortua ſit proles, ob quam obtenta fuerat. *Secundum* etiam conſtat, nam tunc conceditur diſpenſatio ſub tacita conditione motivi duraturi, quia non poteſt præſumi, velle ſuperiorem concedere diſpenſationem perpetuam pro cauſa temporanea; unde ceſſante infirmitate, ceſſat diſpenſatio, ob illam obtenta: Diſpenſatus in voto caſtitatis, ut duceret puellam quam defloravit, ipsâ mortuâ, non poteſt aliam ducere. *Ad* diſcernendum autem, quando diſpenſatio ſit abſoluta & perpetua, quando reſtricta & temporanea, attendenda eſt communis timoratorum praxis. *Diſpenſatio* non ceſſat per renuntiationem, donec iſta à diſpenſatore acceptetur, niſi diſpenſatio ſit voti, aut juramenti; horum enim obligatio à voventis voluntate pendet, ſecùs obligatio aliarum legum.

DU-

DUBIUM ULTIMUM

APPENDIX.

De Privilegiis.

AD completam Legum notitiam, agere hîc ſolent Theol. moderni de Privilegiis, quę ſunt quaſi *privatæ leges*, quanvis veteres nihil ferè de illis tradiderint, quia eſt diſputatio Canoniſtarum propria. Nos autem, ſcitû digniora circa eorum quidditatem, diviſionem, communicationem, & reuocationem, obiter indicabimus. Sit igitur

109 Prima concl. Privilegium propriè ſumptum, nihil eſt aliud quàm, *Privatum jus indultum à Principe contra jus commune.* Sic Panorm. Sylv. & communiter DD. *Largè* autem accipitur pro omni conceſsione præter jus ſine præjudicio alicujus, quę non eſt propriè privilegium, ſed beneficium; Quod valdè notandum eſt ad concordanda jura, & diſcernendum, quæ privilegia amplè, quæ ſtrictè interpretanda ſint. *Convenit* privilegium cum lege in ſtabilitate, & in non requirendo ſcripturam, cùm poſsit (ut jura clamant) verbô aut ſcriptô concedi: Ab ea tamen differt, *tum*, quia hęc, jus commune, illud verò, privatum ſeu ſpeciale reſpicit. *Tum*, quia illa ſubditum ligat, ſecùs iſtud privilegiatum, nam *privilegio utimur dum volumus.* *Differt* etiam (quanvis ſtrictè ſumatur) à diſpenſatione, quia hæc non eſt permanens; quòd ſi aliquando talis ſit, potiùs privilegium erit, quàm diſpenſatio. *Propriè* acceptum, cauſam requirit (ſicut diſpenſatio) ut licitè concedatur, ſecùs largè ſumptum.

110 Secunda concl. Quatuor ſunt privilegiorum ſpecies: tres ſimplices, & una mixta; nimirùm, *reale*, *corpora-*

le

le purè, personale, & singulariter personale & communiter corporale. Sic communiter DD. cum Sylv. v. *privilegium* q. 1. *Reale* est, quod Ecclesiæ. Dignitati, civitati, vel loco, aut personis ratione loci, vel alicui rei conceditur. Extrav. de *priv.* cap. *Cùm olim*, & seq. *Corporale purè* est, quod conceditur corpori, id est, Universitati, vel Collegio; quô solùm Communitas, & non singulares personæ possunt se juvare, sicut dicitur 12.q.1. cap. *Qui manumittitur.* Quod ideò *corporale* dicitur, quia cum corpore, id est Collegio, perit. *Personale* est, quod personæ conceditur, & est duplex: unum scilicèt *personale merè* seu *singulariter*, ut quod alicui, vel aliquibus personis conceditur, certis & propriis nominibus expressis. Cap. *Volentes* de *officio delegati*: & tale non egreditur personam cui conceditur, nisi hoc exprimatur. Cap. *Constitutus* de *concess. Præb.* Et si conceditur obtentû dignitatis, non utitur quis eô, si aliam dignitatem adipiscatur. Cap. *Bonæ* de *post. Præb.* & extinguitur cum persona; imò aliquando anteà, ut cùm eô abutitur: & sequitur personam, nisi sit concessum cum determinatione loci, vel temporis, quia extra ea illam non sequitur; ut privilegium usûs pallii. Cap. *Ex tuarum* de *auth. & usu pallii.* Aliud verò est *personale communiter*, quod conceditur personis, non expressis propriis nominibus, ut privilegium minorum annis viginti, ff. de *minoribus* leg. 1. per totam.

111 *Singulariter personale & communiter corporale* est, quod alicui Universitati aut Collegio ita conceditur, ut quodlibet illîus membrum eô privilegiô juvetur, vel etiam Universitas ipsa vel Collegium. Cap. *Contingit* de *sent. excom.* Cujusmodi sunt privilegia concessa Prædicatoribus & Minoribus. Hæc ferè ad verbum ex Sylv. desumpsimus, quia nullus ita distinctè & succinctè loquitur, ut advertit Mart. de Prado. *Hæc* divisio valdè notanda est, ad dignoscendos diversos privilegiorum effectus; siquidem *reale*, & *corporale* perpetuum est, & durat cum re vel corpore cui adhæret, nisi revocetur: imò si res aut locus privilegiô donatus, non superioris authoritate, sed hostili incursione destruatur, privilegium retinet, ut dicitur Can. *Quæ semel* 19.q.3. *Personale*

au-

autem *personam sequitur*, & *cum persona extinguitur*, juxta septimam regulam juris in 6. & cap. *Mandata* extra. de præsump.

112 Cognoscitur autem esse reale, vel personale, ex verbis, materia, & circunstantiis. Quanvis nominetur persona, si tamen additur, *tibi & successoribus*, vel *tibi in perpetuum*, officio conceditur; quia illis verbis implicitè successores exprimuntur, ac proinde est reale, sicut dum nominatur dignitas. Cùm autem tribuitur corpori, etiam conceditur capiti. *In* dubio autem, an sit reale, an personale: si est purè favorabile (quia nec juri communi derogat, nec alicui præjudicat) censendum est *reale*, & latè interpretandum; sin contra, judicandum est *personale*, & strictè exponendum, servatâ verborum proprietate, juxta regulam juris: *Odia restringi, favores convenit ampliari.*

113 Ultra præcipuam modò expositam privilegii divisionem, supersunt aliæ scitû dignæ. Aliud enim est *generale*, quô in quovis loco, aliud *locale*, quô in certo solùm loco uti concessum est. Aliud *affirmativum*, aliud *negativum*. Primô datur facultas ad aliquid agendum: secundô, ad aliquid omittendum. Aliud est *gratiosum*, seu gratis ac sine privilegiati meritis concessum: aliud *remunerativum*, quod est præmium meritorum; aliud *conventionale*, datum cum interventu pacti aut conditionis. Aliud est *favorabile*, quod privilegiato confert favorem, nulli autem incommodum, ut facultas vescendi ovis & lacticiniis in Quadragess. Aliud *odiosum*, quod favet uni, & præjudicat alteri, ut exemptio à vectigalibus, aut tributis, cum aliorum onere. *Sed* benè nota, quòd favorabile assignatum, non est purè tale; licèt enim nulli præjudicet, juri tamen communi derogat: proindeque strictè est interpretandum. Cap. *Sanè*, & Cap. *Porrò* de *priv.* includit enim dispensationem, quæ est odiosa & restringēda. Erit autem *purè favorabile* & ampliandum, si nec alteri præjudicet, nec sit contra, sed præter jus commune; quod proinde non erit propriè privilegium, sed beneficium, juxta dicta N. 109. Omne autem privilegium propriè tale, odiosum & restringendum est.

Aliud

Aliud est concessum *ad instantiam partis*: aliud, *motu proprio*. Motus proprius expressus in Litteris, licèt excludat subreptionem, ut ait Bonif.VIII. 6.Decret.cap.*Si motu proprio*, & habetur Clement. *Si Romanus*, de *Præbend.* non tamen firmat gratiam contra intentionem concedentis, ut optimè notat Sylv. communiter receptus, verb. *Rescriptum*, q.7.§. *Quibus adde*: Unde si Princeps, cognitâ veritate quę tacetur, neutiquam concederet privilegium, istud redditur nullum; non ob subreptionem, sed defectu consensûs. Valêret autem ratione clausulæ *motu proprio.*, si adhuc tunc illud concederet, quanvis difficiliùs. Et hinc corruit fund. Castri Palai, ob quod à com.sent. recedit. Mittimus, quòd laudati textus non loquuntur expressè in casu, quô supplicatio intervenit; imò in cap.*Si motu proprio* expressè dicitur: *Secùs si ad petitionem illius, gratiam hujusmodi facimus.*

114 Aliud denique (ut alias divisiones omittamus) datur *pro foro interno*: aliud, *pro externo*. Quę membra non mutuò se excludunt, ut notat Suarez, lib.8.c.6. n.11. quanvis enim datum pro foro interno, non valeat pro externo; secùs econtrà, quia validum in foro externo, non in pręsumptione, sed in veritate fundatur, ut latè prosequitur n.12. *Adverte* pręt. privilegium datum pro foro conscientiæ, non coarctari ad absolutionem sacramentalem; nam Clerici minorum Ordinum qui sint Vicarii Episcoporum, possunt ferre censuras, & ab eis absolvere etiam in foro conscientię, quanvis confessionem sacramentalem audire non possint, juxta fidem. Imò, quia nec *forum pœnitentiæ* limitatur ad sacramentum (sed extenditur ad omne judicium, quod habere potest effectum in foro conscientię, & exercetur cum forma aliqua pœnitentiæ, juxta S.Antonin.Sylv.Navarrum, aliosque) ideò Suarez, aliique plures docent, quòd, si verba privilegii loquuntur de *foro pœnitentię*, non sunt limitanda ad judicium sacramentale, nisi in privilegio id exprimatur, quod valdè probabile judicat Mart. de Prado, quanvis alii valdè dubium reputent.

115 Tertia concl. *Omnia & singula privilegia concessa uni Religioni, aut cuivis ejusdem Monasterio: omnibus & singulis*

aliis (seu Mendicantibus, seu non Mendicantibus) earumque domibus indulta censentur; modò eadem, similis, vel æquivalens militet ratio, & regulari observantiæ non sint contraria. Primum constat ex pluribus Bullis quas referunt Rodriguez, Corduba, J.à Cruce, aliique. *Secundum* etiam liquet, nisi enim eadem, vel similis subsit causa, non præsumitur, Pontifices, privilegia uni Monasterio concessa, ad alia extendere voluisse. Videantur Lezana, & Mart. de Prado. *Tertium* denique patet, quia privilegia dantur in ædificationem, non in destructionem; notum est autem, quòd privilegia quibusdam Religionibus proficua, aliis possunt esse inutilia & noxia. Profectò observantia Mendicantium penitùs rueret, si privilegiis Ordinum Militarium uterentur ut sonant: Et idem esset de Conventibus nostri Ordinis, si privilegiis Collegiorum ejusdem communicarêt. Ideoquè Greg.XIII. concedens Cistercienſibus adeò universalem privilegiorum communicationem, ut nullum, quantunvis aliàs incommunicabile, videatur excluſum; prudentissimè adjecit: *In quantùm dictæ Congregationi expediat, ejusque gubernio, constitutionibus, & diffinitionibus non adversetur.* Et ad hoc forsàn idem Pontifex anteà concesserat, privilegia Societatis esse incommunicabilia, inquantùm scilicèt, aliorum instituto non congruunt; semper enim intelligitur illa clausula: *Modo regulari observantiæ non sint contraria*, ut communiter dicitur. Communicantes autem privilegiis Societ. possunt eis uti sine restrictione appositâ à Greg.XIII. in Bulla incipiente *Ad futurum.* Moniales communicant privilegiis Religiosorum ut expressè concesit Julius II. *modò illa sexui non repugnent.* Aliqua demùm Religionis privilegia communicantur familiaribus.

116 Quarta concl. *In generali communicatione privilegiorum & indulgentiarum, non comprehenduntur Altaria privilegiata, nec aliæ indulgentiæ, particulari Ecclesiæ aut Monasterio specialiter (seu ob peculiarem circunstantiam) concessæ; secùs verò si generaliter & intuitu Religionis concedantur.* Quoàd 1. p.est com. cont.utrumque Rodriguez, J.à Cruce, & Martinum à S.Joseph. Et meritò, quia per generalem commu-

ni-

nicationem non conceduntur exorbitantia,& quæ rarò concedûtur.Favet insuper cõmunis usus & stylus Curiæ. *Quoàd* 2. est pariter com. & constat,quia valida indulgentiarũ concessio piam & justam requirit causam, juxta omnes:ergo incredibile est,voluisse Pont.quòd indulgentia uni Monasterio specialiter concessa , ad alia extendatur , nisi quando similis subsit ratio. Et in hoc sensu procedit privilegiũ Clem. VII. concessum Minimis an.1532. *Quoàd* ult.p. patet ex dictis.

117 Communicatio autem in indulgentiis regularium, sic intelligitur : quòd indulgentiæ plenarię concessæ festivitatibus Ss.Ord.Prędv.g. intelliguntur concessæ visitantibus Ecclesias Minorum in solemnitatibus suorum Ss. & econversò. Sic communiter DD. & constat ex quadam Bulla Julii II. quam refert Rodrig. in qua hæc verba leguntur, quibus dissolvitur objectio Quintanæ Dueñas, & Dianę: *Et in aliis festivitatibus Ord.Minorum , licèt sint in majori numero, quàm festa ipsorum Fratrum Prædicatorum , sint & intelligantur concessę , ad tollendum quamcumque hęsitationem , & inde fortè ortum scrupulum.* Nota hic,quòd translatâ festivitate, transferuntur indulgentiæ ; sic enim indulsit nobis Leo X. quoàd quorundam Ss.Ord. nostri festivitates Const.*Exposuit* 23.Julii 1518. Quod indultum confirmat & extendit ad festivitates & octavas reliquorum ejusdem Ordinis, Ss. Fastis descriptorum , vel in posterum adscribendorum , ad festum omnium Ss. ipsius Ord. & celebritatem & Oct.SS. Ros. SS. D. N. Benedictus XIII. Const. *Pretiosus.* Edita Setiæ VII. Kal.Junii labentis anni 1727. §.24. Idem etiam concesit Urb. VIII. quoties festum S. Francisci Xaverii transferri contigerit , ob incidentiam in Dominica 1. Adventûs; eadem autem est ratio pro festis Ss. Benedicti , & Francisci de Paula incidentibus , aut in Dominicis Quadrag. aut in hebdomadibus Sanctâ,& Paschæ.

118 Quarta concl. Regulariter loquendo , ad expressam privilegii revocationem sufficit clausula generalis , *Non obstantibus quibuscumque privilegiis in contrarium.* Nam hæc clausula satis exprimit voluntatem potentis revocare. *Excipiuntur* tamen,juxta omnes , *primò*, privilegia per modum

contractûs (seu onerosa sint, seu remuneratoria) quia cùm sint per se irrevocabilia, ob jus tertio acquisitum, & requirant causam publicam, & recompensationem; non censentur revocata, nisi specifica fiat illorum mentio. *Secundò*, habentia clausulam, *ut revocari non possint sine expressa eorum mentione*, hæc tamen non debet esse individua, quia Princeps nequit omnium recordari, sed sufficit ut dicatur, *revocare omnia privilegia in contrarium, sub quacumque forma sint concessa*, juxta com.sent. in Clement. 1.& 2. & cap. *Nonnulli* de *Rescriptis*. *Tertiò*, inserta in corp. Juris, quia hæc sunt verè leges: unde non censentur revocata, nisi in revocatione dicatur: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis, Constitutionibus, aut legibus in contrarium.* Idem de privilegiis concessis à Concilio Gen. esto judicium; censentur enim habere clausulam derogatoriam adversus posteriora contraria: unde ad eorum revocationem requiritur quòd fiat expressa eorum mentio, saltèm in genere, dicendo: *Non obstanti quacumque constitutione, etiam à Concilio Generali edita*, quanvis alii oppositum de Concilio Trident. arbitrentur.

119 Quinta concl. *Per Tridentini decreta, præcedentibus Regularium privilegiis adversa, his pro utroque foro derogatum est, modò illa clausulam contineant, horum in specie aut genere derogatoriam.* Supponit concl. privilegia non contraria Concilio, non fuisse ab isto revocata; imò ab illo fuisse confirmata: nam sess.25. cap.20. dicitur: *In cæteris omnibus, præfatorum Ordinum privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa.* Est autem concl.com. contra nonnullos in extrema abeuntes; quibusdam asserentibus, omnia esse revocata; aliis affirmantibus, nulla pro foro conscientię revocata esse. Utrumque autem esse falsum, constat: primum quidem, *tam* ex dictis N.preced. quia in quibusdam decretis nulla prorsùs fit mentio contrariorum privileg. cùm tamen ferè omnia Regularium, clausulam habeant *quòd revocari non possint sine expressa eorum mentione.* *Tum*, quia juxta com. sent. lex generaliter loquens, non tollit privilegium particulare, concessum super eo de quo lex generalis loquitur. *Bulla* autem Pii IV. an.

1561.

1565. cùm sit confirmativa Concilii, ea solùm revocat privilegia, quibus in illo derogatum est, ut censuit S.Congregatio, teste Germoniô; nec oppositum credibile est.

120 Secundum etiam est falsum, ut constat, *tum* ex modò laudata Bulla, & ex alia Greg. XIII. an. 1572. incipiente: *In tanta negotiorum mole*, quâ revocavit omnes Constitutiones S.Pii V. super privilegia Regularium, & ad terminos Juris, & Concilii reduxit. *Tum*, quia aliàs posset Regularis in foro conscientię ordinari ante ætatem à Concilio assignatam, & renuntiare anno approbationis, multaque id genus alia, quę antiquitùs ex privilegio licebant: quod communi praxi adversatur. *Tum*, quia idem Greg. an. 1575. in Bulla incipiente: *Ex benigna Sedis Apost.* confirmavit privilegia S.Ord. Minorum *quatenùs sunt in usu, & Sacris Canonibus, & Decretis S.Concilii Trid. non adversantur*: quæ clausula semper subintelligitur in confirmatione privilegiorum cujuscumque Religionis, licèt fortè non exprimatur; *in communi enim concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, ut dicitur reg. 18. *de Regulis Juris* in 6. *Prefatæ* autem Conciliari privilegiorum revocationi derogatur per subsequens privilegium contrarium, si illîus expressè meminerit: aut etiam per clausulam generalem, si addantur alię expressæ mentioni æquivalentes, ut, *motu proprio, ex certa scientia*, seu *de plenitudine potestatis*, aut demùm nullâ additâ simili clausulâ, ut quidam censent, juxta dicta N. 118.

121 Sexta concl. *Generali revocatione vivæ vocis oraculorum, facta per Greg. XV. & Urb. VIII. comprehenduntur omnia illa, quantunvis Bullis Pontificum fuerint quomodolibèt confirmata.* Sic cum pluribus J.Mart. de Prado contra alios, quibus novissimè adhærent Salmant. Prob. *Tum*, quia laudatis Const. revocantur omnia oracula *quomodocumque concessa & confirmata*, ut ex earum verbis liquet. *Tum*, quia confirmatio, etiam ex certa scientia, quanvis privilegium roboret, defectusque suppleat, illîus tamen naturam & statum non immûtat: ergo ore tenùs concessa, quantunvis Bullis confirmentur, bullata non fiunt. *Tum* demùm, quia

aliàs fruſtraneæ & nugatorię forent laudatę Conſtitutiones revocatoriæ, cùm omnia Regularium privilegia Bullis confirmata fuerint cum clauſula ex *certa ſcientia, de plenitudine poteſt. &c.* per prædeceſſores Pontif. imò & per ipſum Greg. XV. die 16. Oct. 1621. Conſt. incipiente: *In Apoſtolicæ*, quâ confirmavit Theatinis omnia privilegia, etiam ore tenùs, pro illis, aut aliis Religionibus conceſſa: nec conſtet, vel ipſum, vel immediatum ſucceſſorem Urbanum, aliquod oraculum conceſiſſe, antequàm oracula revocarent. Solutiones autem PP. Salm. adeò inſufficientes ſunt, ut opus non ſit eas refellere.

122 Nec audiendus eſt Philippus à S. Ant. tenens, privilegia *remuneratoria, quantunvis gratioſa, vivæ vocis oraculo Regularibus conceſſa, non fuiſſe præfatis Conſt. revocata.* Imò, ſi quæ forent remuneratoria ex juſtitia, & per modum contractûs oneroſi, revocata fuiſſent; ut conſtat ex illis verbis Urbani VIII. *Quandocumquè, & qualitercumquè ex quavis, etiam de neceſsitate exprimenda, cauſa, conceſſa, &c.* Plures enim fuerunt cauſæ talis abrogationis, & ſemper timeri poteſt oraculorum abuſus: nec tunc ad ullam compenſationem teneretur Pontifex, cùm abrogatis cunctis oraculis, innumera remaneant privilegia bullata: ideoquè Diana p. 10. tract. 14. & 4. miſcel. reſol. 24. appoſitè dixit: *Non enim ſuſcitandæ ſunt à nobis tragediæ in damnum Religionis; ſed in his materiis calamum & ingenium coarctare debemus.* Nec ſimiliter audiendi ſunt aſſerentes, Urbanum VIII. die 19. Aprilis an. 1624. revalidaſſe & confirmaſſe cuidam Religioni privilegia omnia vivæ vocis oraculô conceſſa; hanc enim innovationem (inquit Prado) nec audivimus, nec novimus verbô aut ſcriptô aliquô authenticô: cùm tamen laudatas Conſt. revocatorias totus mundus promulgatas noverit.

123 Nec demùm audiendi ſunt docentes, quòd ut revocatio privilegiorum Regularium ſubſiſtat, debet tèr Religioni, aut ejus præcipuis Prælatis immediatè intimari; hoc enim adverſatur praxi Eccleſiæ Rom. nam ſunt plures Bullæ derogatorię, quas minimè conſtat fuiſſe Religionibus in-

intimatas, imò in fine illarum dicitur, quòd *affixę in acie Campi floræ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatę fuissent.* Privilegium autem quod allegatur Greg.XIII. tantùm loquitur quoàd eligendos cujusdam Religionis conservatores, ut ostendit Lezana consultô 48. à N.99. *Nota* in fine, quòd cùm in pręfatis Const. derogatoriis Greg. XV. & Urbani VIII. revocentur *Omnia & singula indulta, facultates, privilegia, &c.* etiam revocatur potestas, seu facultas ad dispensandum & absolvendum. *Ex* dictis soluta manent arg. quæ contra conclusiones præcedentes objici possunt. De privilegiis particularibus, suis respectivè locis, Deô dante, differemus. Interim qui plura de privilegiis scire desiderat, consulat Suarez, Lezanam, utrumque Rodriguez, J.Mart.à Prado, PP.Salmant. in novisl. edit. Matritensi an.1710.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Lege divina Veteri seu Mosayca, & Nova seu Evangelica.

ACcedimus jam ad legem divinam contemplandam, per quam ad felicitatem promovemur æternã,& de qua D.Th. decem quęstionibus fusè, ac mirè differit; de veteri, nimirùm, à q. nonagesima octava ad centesimmam quintam, de nova autem, à q. centesima sexta ad centesimam octavam inclusivè. Cujus doctrinæ succum dubiis sequentibus eliquare juvat. Sit igitur

*** *** *** *** ***
*** *** *** ***
*** *** ***

DUBIUM I.

An Lex Vetus fuerit bona ac perfecta, & à Deo immediatè lata?

124 Concl. 1. *Lex vetus bona quidem fuit, sed imperfecta.* Quoàd 1.p.constat, contra delirantes Manichæos, *tum*, quia Rom. 9. dicit Apost. *Consentio legi, quoniam bona est.* Et iterum: *Lex quidem sancta est, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Tum*, quia erat rationi practicæ valdè consona, utpotè egregiè propellens, tàm operum pravitatem, quàm cupidines cum ratione colluctantes. *Quoàd* 2. verò etiam constat, *tum* ex illo Heb. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex. Tum*, quia lex non censetur perfecta, nisi usque ad suum perducat finem: sicut nec medicina perfectè bona, nisi hominem sanet, quantunvis illum adjuvet; sed quanvis lex vetus dirigendo duceret in finem divinæ legis, seu felicitatem æternam, non tamen perducebat, cùm non conferret ex se gratiam, hoc enim reservabatur Christo, *Lex* enim *per Moysen data est, gratia, & veritas per Christum facta est*, ut dicitur Joan. 1. ergo.

125 Secunda concl. *Lex vetus seu Mosaica, contenta in Exodo, Levitico, Numeris, & Deuteronomio, est vere divina, à Deo immediatè lata, & per Angelos Moysi tradita promulganda.* Concl. non solùm adversatur Manichęis, blasphemantibus, legem veterem esse opus diaboli: sed & nonnullis veteribus, Authorem ejus, quoàd aliqua, agnoscentibus Moysen; aliisque asserentibus, non Ministeriô Angelorum, sed ab ipso Verbo Divino immediatè traditam Moysi. Constat autem concl. ex Scrip. Et quidem esse divinam, ex illo Christi D. Matth. 15. *Irritum feciſtis mandatum Dei.* Esse autem à Deo immediatè quoàd omnia latam, liquet Exodi 20. v. 1. ubi lex Mosaica incipit tradi his verbis: *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos... Non habebis Deos alienos coram me, &c.* Singula deinceps legis præcepta, moralia,

ce-

cęremonialia, & judicialia, eôdem tenore traduntur, ita enim ubiquè habet: *Hęc dicit Dominus*, aut: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens.* Miniſterium verò Angelorum exprimitur ad Galat. 3. ubi lex dicitur *ordinata*, id eſt (ut gloſſat D.Th.) ordinanter data *per Angelos in manu Mediatoris*, id eſt Moyſis. Id quod Stephanus teſtatur Act. 17. dicens: *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum.*

126 Utrumque autem congruebat, ut oſtendit D. Th. q.98. a.2.& 3. Primum quidem, nam lex vetus ordinabat ad Chriſtum per modum diſpoſitionis; ejuſdem autem eſt diſponere ad finem,& ad illum perducere: quare ab eodem Deo lata eſt,à quo lex nova,ad ipſum perducens. Profectò, ſi Moyſes quædam propriâ authoritate mandaſſet, magna eſſet confuſio, nec enim diſcernere poſſemus,quid Moyſes, quid Deus ipſe mandarit. *Secundum* verò, quia lex vetus, ut dictum eſt, erat imperfecta, & diſpoſitio quędam ad novam: congruum ergo fuit,ut illam Deus per cęleſtes miniſtros pręmitteret, hanc verò ipſe factus homo immediatè daret ſuô ſanguine conſecratam: ſicut & architectus navem per ſe ipſum compaginat, cujus materiam per artifices ſubminiſtrantes præparat. Et inde Apoſt. ad Heb. 1. excellentiam Evangelii commendat, quòd per illud *locutus eſt nobis Deus in Filio*, in veteri autem teſtamento, eſt factus ſermo per Angelos.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

127 Opp.1.cont.1.p.1. concl. Dicit enim Deus ipſe Ezech.20. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*; ſed lex non dicitur bona, niſi propter bonitatem præceptorum quæ continet: ergo. *Præt.* Lex vetus, nec erat ſalutifera, imò noxia; nec obſervatû poſsibilis: ergo nec bona. Conſeq.tenet ex dictis N. 38. ant. verò quoàd 1. p. conſtat ex illo Rom.7. *Sine lege peccatum mortuum erat; ego autem vivebam ſine lege aliquando; ſed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus ſum.* Quoàd 2. verò ex illo Petri Act.15. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus?* *Præt.* Lex vetus præcipiebat, aut ſaltèm permittebat

ali-

aliqua mala, rationi & charitati adversa, ut odium inimicorum, Levitici 19. uxorum pluralitatem, earum repudium, & fœnerari alienigenis. Deut. 21. & 23. *Demùm*, quia non nisi terrena promittebat, quorum abundantia nociva utplurimùm est, juxta illud Salviani: *Qui primi sunt in divitiis, sæpè in vitiis.* Et illud Poëtæ: *Effodiuntur opes irritamenta malorum*: ergo. *En* argumenta, quibus Cerdo, Marcionis Magister, horumque infandi sequâces Manichæi, legem veterem propellebant, sed innatissimè.

128 Ad 1. enim resp. cum D.Th. q. 98. a. 1. ad 1. sermonem ibi esse de præceptis cæremonialibus, quæ non appellantur *mala*, sed *non bona*, id est, non perfecta, neque ad vitam per se sufficientia, quia non conferebant gratiam peccatorum lotricè, cùm tamen eisdem cæremoniis se peccatores ostenderent, ac confiterentur: unde signanter adjunxit: *Et judicia, in quibus non vivent*, id est, per quæ vitam gratiæ obtinere non possunt. Et in hoc sensu dixit Apost. 2. Cor. 3. *litteram*, seu legem veterem, *occidere*, & ad Heb. 8. vetus test. culpâ non vacasse, quia nimirùm, spiritûs vitam, seu gratiam, vî suâ largiri non poterat; & hunc defectum, imperfectionem, seu infirmitatem, *culpam* appellat. *Ad* 2. resp. similiter S.D. ad 2. & 3. quòd lex dicitur occidisse; non quidem effectivè, sed occasionaliter, ex sua imperfectione; quia non dabat gratiam, quâ impleretur quod mandabat; & sic occasio sumpta fuit ab hominibus, non data à lege: unde dùm cap. 5. dixit. *Lex subintravit, ut abundaret delictum*, ly *ut* non dicit causam, sed consecutionem, ex hominum enim infirmitate consecutum est, ut, datâ lege, peccata cumularent; *nescio enim* (inquit August.) *quomodò hoc ipsum quod concupiscitur, fit jucundius cùm vetatur.* Et Lyricus: *Nitimur in vetitum, cupimusque negata.* Dicitur autem lex *jugum grave quod ferre non poterat*, quia servari non poterat sine gratia adjuvante, quam lex non dabat.

129 Ad 3. N. ant. Nec obstat primum quod in prob. adducitur, odium enim inimicorum, non fuit in lege præceptum, aut permissum; cùm potiùs locô adductô dicatur: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*:

un-

unde verbum illud ; *odio habebis inimicum tuum* , non extabat in lege , ſed erat inanis Phariſæorum interpretatio , ex præcepto dilectionis à contrario deducta ; nec aliud innuitur Matth.5. Quod autem juberentur illi Cananæos & Jebuſæos perdere , non erat odii juſsio , ſed executio juſtitiæ: Imò Prov.25. præcipiebatur : *Si eſurierit inimicus tuus , ciba illum.* Illæ ſimiliter Pſalmorum phraſes : *Averte mala inimicis meis : Erubeſcant & conturbentur in ſeculum* , & id genus, non ſunt (Auguſtinô interprete) malorum imprecationes, quaſi David optaſſet mala inimicis ſuis; ſed futurorum prophetiæ,ac ſi dixiſſet : *Advertes mala inimicis meis.* Nec etiam obſtant ſecundum & tertium , Deus enim diſpenſavit cum Judæis , ut plures uxores ducerent , & , ut per libellum repudii poſſent uxores dimittere , & alias ducere. De quo in tract. de Matrim. *Fœnerari* autem alienigenis (ut quarto occurramus) non fuit a Deo approbatum , aut permiſſum ut licitum , ſed impunè toleratum pro foro externo , ad vitandum majus malum. *Ad ult.* R. terrenorum abundantiam (quam Deus Judæis tanquàm pueris promittebat , ut in illis futura delinearet) utilem eſſe poſſe, ſi nimirum,moderatus ſit uſus : *Divitiæ* enim, ut Aug. ait , *ſi fuerint ſupra nos , demergent nos ; ſi fuerint infra nos , attollent nos.*

130 Opp.2.cont.1. & 2.p.2.concl. Lex vetus , & fuit imperfecta , & defacto ceſſavit, ut conſtat Heb.7. ergo non fuit lata à Deo , cujus *perfecta , & perpetua ſunt opera* , ut dicitur Deut. 32. & Eccleſ.3. *Præt.* Deus vult omnes homines ſalvos fieri , ut dicitur 1. ad Thimoth. 2. ergo non fuit Author veteris legis , ad ſalutem humanam utiquè inſufficientis. *Ad* 1.reſp. D.Th.a.2.ad 1. & 2. præcepta legis veteris , tametſi abſolutè imperfecta , fuiſſe perfecta ſecundum quid , ſeu ſecundum tempus; non ſecùs ac illa,quæ pueris dantur : unde ad Gal.3.dicitur : *Lex pedagogus noſter fuit in Chriſto.* Quapropter, & ceſſare debuit ; nec enim debent eſſe perpetua opera Dei, niſi quæ ipſe fecit, ut in æternum perſeverent , qualia ſunt perfecta. Lex autem vetus reprobatur tempore perfectionis gratiæ , non tanquàm mala, ſed tanquàm infirma & inutilis pro iſto tempore ; quia , ut

ſub-

ſubdit, *nihil ad perfectum adduxit lex.* *Ad* 2. reſp.ad 4.quòd licèt lex illa non ſufficeret ad ſalutem, aderat tamen ſimul cum lege aliud auxilium à Deo, quô ſalvari poterant,ſcilicèt, fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres: & ideò Deus non defuit illis.

131 Opp.3.cont.3.p. ejuſdem. Quia Exodi 20. legitur: *Locutus eſt Dominus ſermones hos.* Et ſtatim: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, & eôdem modô ſæpè deinceps. *Quòd* ſi ullîus miniſteriô uſus eſt, ille fuit Moyſes,juxta illud Joan.1. *Lex per Moyſen data eſt.* Et illud Exodi 33. *Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem*: ergo. *Ad* 1.reſp.D.Th.a.3.ad 1. ex Greg. neg.conſ. Ille enim qui loquebatur Moyſi, modò *Dominus* (quia ipſius perſonam referebat) modò *Angelus* (propter officium quod gerebat) vocatur. *Ad* 2. R. quòd ſicut Chriſtus per ſe ipſum revelavit Apoſtolis legem,quam ipſi Orbi promulgarent: ſic Deus per Angelos tradidit Moyſi, ut ipſe denuntiaret populo; ideoquè dicitur *Moyſis* tanquàm promulgatoris. Illud autem Exodi intelligendum eſt, juxta Aug. ſecundum opinionem vulgi, exiſtimantis, Moyſem orê ad os loqui cum Deo, cùm per Angelum ei loqueretur; nam paulò poſt optatiſsimè adjecit Moyſes: *Oſtende mihi gloriam tuam*, nempè, quam nondùm viderat. An autem poſtea faciem, ſeu eſſentiam Dei viderit,ut Paulus in raptu; ſub judice eſt, & affirmat D.Th. 2.2. q.174.a. 4. eò quod Num.12. dicitur de illo: *Palàm, & non per enigmata Deum videt.* Vide Cajet. hîc, & to.1. noſtræ Epitomês à N.259.

DUBIUM II.

Utrum præcepta Legis Veteris fuerint triplicia, videlicèt,moralia, cęremonialia, & judicialia?

132 COncl. eſt affirm. & D.Th. q.99. Colligiturque ex illo Deut.5. *Loquor tibi omnia mandata mea, & cæremonias, atque judicia.* Ex illo etiam Rom. 7.

Lex

Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Sanctum quidem, quantùm ad cæremonialia (nam sanctum dicitur quod est Deo dicatum) *justum*, quantùm ad judicialia; *bonum*, seu honestum, quantùm ad moralia, ut observat D.Th.a.4. *Prob.*deinde rat. D.Th. Quia legis divinæ est ordinare homines adinvicèm,& ad Deum;utrumque autem in communi pertinet ad dictamen legis naturæ, ad quod referuntur *moralia præcepta*, sed utrumque egebat determinatione, cùm principia naturaliter cognita,sint communia; determinatio autem præcepti de colendo Deo, fit per *cæremonialia præcepta*; præcepti verò de justitia inter homines servandâ, per *judicialia*: ergo. *Hinc* patet discrimen inter hujusmodi præceptionum genera, nam à moralibus, (quæ dictamina sunt juris naturæ) reliqua derivantur, nempè, cæremonialia respectû divini cultûs, judicialia verò respectû tranquillitatis humanæ. Et hinc subsequitur alterum discrimen, nempè, quòd moralia sunt simpliciter de jure naturæ, reliqua verò de jure positivo divino, sicut cæremonię, & judicia nostra, de positivo humanô.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

132 Opp.1. Præcepta moralia sunt legis naturæ, à qua secernitur Vetus: ergo ad hanc non pertinent. *Præt.*Ratio ipsa naturalis decalogum homines docebat: ergo opus non erat in tabulis legis scribi, lex enim divina illic debet nobis suppetias ferre, ubi natura succumbit. *Demùm*: Lex vetus dicitur *littera occidens* 2.Cor.3.sed præcepta moralia non occidunt, sed vivificant, juxta illud Psal.118. *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me*: ergo. *Ad hæc* arg.resp. D.Th.q.99.a.2. *Ad* 1. quidem,legem veterem non distingui omninò à naturali, sed tanquàm ei aliquid superaddens. *Ad* 2. verò, quòd multorum ratio, ob pravam consuetudinem, non solùm oberrabat circa ea quæ pertinent ad conclusiones legis naturæ, judicans licita, quæ sunt intrinsecè mala;sed obscurabatur etiam circa ipsa principia, non quidem in universali, sed in particularibus agendis: Unde oportuit contra utrumque defectum homini subveniri per authoritatem legis divinæ. Recole dicta N.21. &

28. *Ad ult.* autem, quòd littera legis dicitur occidere etiam quantùm ad moralia *occasionaliter*, quatenùs præcepit bonum, non prębens auxilium gratiæ ad illud ſervandum.

133 Opp. 2. Omnis lex hominibus data, eſt directiva humanorum actuum, ſeu moralium: ergo lex vetus ſola præcepta moralia continet. *Præt.* Divinus cultus, quem cæremonialia reſpiciunt, eſt actus virtutis, nempè religionis: ergo pertinet ad moralia, quę ſunt de virtutum actibus: ergo quæ cęremonialia dicuntur, ſub moralibus concluduntur. *Demùm*: Actus juſtitiæ, ſicut reliquarum virtutum, pertinent ad præcepta moralia; ſed judicium videtur eſſe actus juſtitiæ: ergo moralia includunt etiam judicialia: ergo. *Ad* 1. N. conſ. Quanvis enim cæremonialia ad mores etiam pertineant; at quia naturali luminê non eliciuntur ex dictamine naturæ, ſed divinô, aut humanô arbitratû, à moralibus ſecernuntur. Itaque Deum colere, principium morale eſt; hôc autem vel illô ritû, cæremoniale. Per quod patet ad 2. *Ad* 3. R. quòd actus juſtitiæ in generali pertinet ad prębcepta moralia; ſed determinatio ejus in ſpeciali, ad judicialia: quemadmodùm, quòd omnis malefactor puniendus ſit, præceptum eſt morale; quòd autem fur ſit ſuſpendendus, & hæreticus comburendus, judicialia ſunt.

134 Undè cùm judicialia partim conveniant cum moralibus, ſcilicèt quòd à ratione derivantur, ad moreſque pertinent; & partim cum cæremonialibus, in hoc ſcilicèt, quòd utraque ſpeciales ſunt determinationes generalium prębceptorum, conſequens factum eſt, ut nonnumquàm connumerentur inter moralia, uti Deut. 5. *Audi Iſrael cęremonias atque judicia*; quandoquè verò inter cæremonialia, ut Levit. 18. *Facietis judicia mea, & prębcepta mea ſervabitis*: in priori enim loco *judiciorum* nomine comprehenduntur moralia, & in poſteriori, cæremonialia. *Nota* hîc, quòd actus exteriores (quibus homo ſuam erga Deum ſervitutem profitetur, & ad divinum cultum pertinent) vocantur *Cęremonię*, ſive à Cærere, quam frugum Deam colebant, quaſi *Cæreris munia ſeu dona*: ſive à Cęre oppido juxta Romam, ubi,

ubi, Româ à Gallis captâ, Romanorum ſacra oblata ſunt.

135 Opp.tandem: Præcepta moralia & judicialia pertinent ad juſtitiam, cæremonialia verò ad religionem: ergo alia oportuit adjicere de fortitudine, tẽperantia, aliiſque virtutibus. *Præt.* Ultra adducta, alia tria paſsim memorantur in lege, ut *teſtimonia*, *mandata*, *juſtificationes*: ergo. *Ad* 1.R. ex D.Th. a.5. in corp. & ad 1. quòd agenda, ſeu actus virtutum, non cadunt ſub præcepta, niſi quatenùs habent aliquam rationem debiti. Debitum autem, ſeu juſtum eſt duplex, unum ſecundum regulam rationis, ſeu *morale*, aliud ſecundum regulam legis determinantis, ſeu *legale*; & quia ſola juſtitia inter virtutes importat rationem juſti, ſeu debiti, ideò moralia, eatenùs ſunt legê determinabilia, quatenùs pertinent ad juſtitiam, cujus quædam pars eſt religio: Unde juſtum legale, vel pertinet ad judicialia, vel ad cæremonialia.

136 Ad 2.reſp.S.D. *teſtimonia*, & *juſtificationes* non eſſe præcepta, ſed ordinari ad horum impletionem, ad quam inducitur homo, tùm authoritatê præcipientis, quam quæ indicant ſeu declarant, vocantur *teſtimonia* ut illud Deut.6. *Audi Iſrael*, *Dominus Deus tuus*, *Deus unus eſt*. Illud Geneſ. 1. *In principio creavit Cælum & terram*. Et id genus plura. *Tum* utilitatê impletionis, & ſic ponuntur præmia & pœnę, quæ *juſtificationes* dicuntur, proùt Deus juſtè punit, aut præmiat. *Mandata* autem diſtinguntur à præceptis, quòd his neceſſaria ad virtutis ordinem jùbentur; illis verò, utilia, & ad melius. *Vel* præcepta dicuntur, quæ Deus per ſe ipſum juſsit; mandata autem, quę per alios mandavit, ut ipſum nomen ſonare videtur. *Nota* tamen, quòd juſtificationes, ſeu pertinentia ad præmium vel ſupplicium, dici etiam poſſunt *teſtimonia*, quatenùs ſunt proteſtationes quædam divinæ juſtitiæ: & ſimiliter omnia legis præcepta poſſunt dici *juſtificationes*, proùt ſunt executiones legalis juſtitiæ.

DU-

DUBIUM III.

De singulis generibus præceptorum Veteris Legis summatim.

CONsideratâ legê Veteri, & assignatâ præceptorum ejusdem distinctione, differit S.D. de singulis generibus distinctis, à q.100.ad 105. inclusivè, adeò fusè & perspicuè, ut nullâ expositione, sed solâ lectione opus sit. Nonnulla tamen scitû digniora hôc & seq.dub. delibare placuit, ut vel hinc ad jugem & attentam Textûs inspectionem lectores provocentur.

136 Igitur circa præcepta moralia sciendum est, quòd illorum triplex est gradus, ut docet D.Th. q.100.artic.11. *Nam quędam* (inquit) *sunt communissima, & adeò manifesta, quòd editione non indigent, sicut mandata de dilectione Dei & proximi, & alia hujusmodi, quę sunt quasi fines præceptorum: unde in eis nullus potest errare secundum judicium rationis. Quędam verò sunt magis determinata, quorum rationem statim quilibet, etiam popularis, potest de facili videre; & tamen quia in paucioribus circa hujusmodi contingit judicium humanum pervertì, hujusmodi editione indigent; & hæc sunt præcepta Decalogi. Quædam verò sunt, quorum ratio non est adeò cuilibet manifesta, sed solùm sapientibus: & ista sunt præcepta moralia superaddita Decalogo, tradita à Deo populo per Moysen & Aaron.*

137 *Sed quia ea quę sunt manifesta, sunt principia cognoscendi ea quę non sunt manifesta; alia præcepta moralia superaddita Decalogo reducuntur ad præcepta Decalogi per modum cujusdam additionis ad ipsa. Nam in primo præcepto Decalogi prohibetur cultus alienorum deorum, cui superadduntur alia præcepta prohibitiva eorum quæ ordinantur in cultum idolorum, sicut habetur Deut.*18. Non inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam suam, ducens per ignem, nec sit maleficus, atque incantator, nec phitones consulat, neque divinos, nec quærat à mortuis veritatem. *Secundum autem præceptum pro-*

hi-

libet perjurium: superadditur autem ei prohibitio blasphemiæ, Levit.14. & prohibitio falsę doctrinę, Deut.13. Tertio verò præcepto superadduntur omnia cæremonialia.

138 *Quarto autem præcepto de honore parentum, superadditur præceptum de honorificatione senum, secundum illud Levit.* 19. Coram cano capite consurge, & honora personam senis, *& universaliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam majoribus, vel ad beneficia exhibenda vel æqualibus, vel minoribus. Quinto autem præcepto, quod est de prohibitione homicidii, additur prohibitio odii, & cujuslibet molitionis contra proximum, sicut illud Levit.*19. Non stabis contra sanguinem proximi tui; *& etiam prohibitio odii fratris, secundum illud:* Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. *Præcepto autem sexto, quod est de prohibitione adulterii, superadditur præceptum de prohibitione meretricii, secundum illud Deut.*24. Non erit meritrix de filiabus Israël, neque fornicator de filiis Israël: *Et iterùm prohibitio vitii contra naturam, secundum illud Levit.*18. Cum masculo non commisceberis, cum omni pecore non coîbis.

139 *Septimo autem præcepto de prohibitione furti, adjungitur præceptum de prohibitione usurę secundum illud Deut.* 18. Non fęneraberis fratri tuo ad usurã; *& prohibitio fraudis, secundum illud Deut.* 25. Non habebis in sacculo diversa pondera; *& universaliter omnia, quæ ad prohibitionem calumniæ, & rapinę pertinent. Octavo autem præcepto, quod est de prohibitione falsi testimonii, additur prohibitio falsi judicii, secundum illud Exodi* 23. Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à veritate devies; *& prohibitio mendacii, sicut ibi subditur:* Mendacium fugies; *& prohibitio detractionis secundum illud Levit.* 19. Non eris criminator, & susurro in populis. *Aliis autem duobus præceptis* (scilicèt de prohibitione concupiscentiæ alienę, & alieni) *nulla alia adjunguntur, quia per ea universaliter omnis mala concupiscentia prohibetur.* Hęc S.D. quibus nihil præclarius ad distinctionem præceptorum moralium. *Et* hinc habes id quod ar.3. ejusdem quæst. docet, nimirùm, primum & tertium genus illorum, non computari inter præcepta Decalogi, in quibus tamen utrumque con-

tinetur ; primum quidem , ut principia in conclusionibus, alterum econversò. Qualiter autem immutabilia sint & indispensabilia , & ad quæ se extendant , diximus sup.à N.18. An, & qualiter ignorari possint, t.2.à N.448.

140 Circa præcepta verò cæremonialia , sciendum est, quòd cùm quatuor fuerint cæremoniarum differentiæ , nimirùm , *sacrificia* , *sacramenta*, *sacra* , & *observantiæ* ; totidem etiam erant cæremonialium præceptorum genera. Hanc autem divisionem ostendit S.D. q. 101. a.4. *tum*, quia in variis Scrip. locis sic nominantur, *tum*, quia in cultu Dei, ad quem cæremoniæ earumque præcepta ordinabantur, considerari possunt, & ipse *cultus* (specialiter consistens in *sacrificiis* in Dei reverentiam oblatis) & *instrumenta colendi*, quæ dicuntur *sacra* , ut tabernaculum , vasa , & hujusmodi; & *colentes*, quorum institutio ad cultum fiebat per consecrationem quandam , ad quod pertinent *sacramenta* : ad singularem autem illorum conversationem (quâ ab aliis distinguebantur) pertinebant *observantiæ* in cibis , vestimentis, & hujusmodi.

141 Inter sacrificiorum genera præcipuum & sanctius erat *holocaustum*, quia totum comburebatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur. Secundum verò gradum tenebat *hostia pro peccato* , quę comedebatur solùm in atrio à Sacerdotibus in ipsa die sacrificii. Tertium verò *hostiæ pacificæ pro gratiarum actione* , quæ comedebantur ipsô die , sed ubique in Hierusalem. Quartum demùm *hostiæ pacificæ ex voto*, quarum carnes poterant etiam in crastino comedi. *Et est ratio hujus ordinis* (inquit D.Th. q.102.a.3.ad 10.) *quia maximè obligatur homo Deo propter ejus majestatem ; secundò propter offensam commissam; tertiò propter beneficia jam suscepta; quartò propter beneficia sperata.* *Plura* etiam extiterunt in lege veteri *Sacramenta* , tàm pro Laicis , quàm pro Sacerdotibus & Ministris Templi , ut circumcisio, agnus paschalis, consecratio Sacerdotum , esus panis propositionum , ablutio manuum & pedum , pilorum abrasio , & similia , de quibus ubertim S.D.a.5.

142 Varia pariter fuerunt *sacra*, seu divini cultûs instrumen-

menta, ut Tabernaculum, Arca fœderis, Propitiatorium, Mensa panum propositionis, Altare thymiamatis seu incensi, Altare holocausti, & plura demùm vasorum genera, nempè, acetabula, phialę, thuribula, cyathi, lebêtes, hydriæ, mortariola, lucerna, &c. de quibus accuratè differunt Josephus lib. 3. antiq. & Pineda lib. 3. de Templo Salomonis. *Præcipuę* demùm observantiæ, quibus Judæi à Gentilibus ex Dei præcepto discernebantur, erant, abstinentia à suffocato, sanguine, pinguedine, carne suilla; ab animalibus quæ non haberent ungulam divisam, quæque etiam non ruminarent: Manducatio panum azimorum, lactucarum agrestium, & aliorum id genus, quorum significationem fusè ac mirè explicat S.D. a. 6. Ejusdem generis hæc erant: *Non coques hædum in lacte. Non arabis in bove & asino. Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est. Qui tetigerit mortuum, immundus erit usque ad vesperam.* Omnium autem & singulorum cæremonialium præceptorum causas, seu rationes, *tum* litterales ex ordine ad cultum illîus temporis, *tùm* mysticas ex ordine ad Christum figurandum, optimè assignat S.Doct. totâ laudatâ quæst. 102. *Asserit* autem Geneb. sub finem Chronologiæ, ex Burg. aliisque, numerum illa complesse 613. ex quibus 248. erant affirmativa, juxta numerum membrorum ossorumque humani corporis; reliqua verò 365. negativa, numero dierum anni respondentia.

143 Circa præcepta demùm judicialia, sciendum est, eorum rationem in duobus consistere, ut scilicèt, & ordinent homines adinvicèm secundum justitiam & æquitatem, & ut non habeant vim obligandi ex sola ratione, sed ex institutione divina: unde solùm ex consequenti erant figuralia, quatenùs videlicèt, status hominum quem disponebant, figuralis erat, *omnia enim in figura contingebant illis*, ut dicitur 1.Cor.10. Erant autem quadruplicia, juxta quadruplicem ordinationem humanam, ut ostendit D.Th. q.104. a.4. Est enim in populo ordo Principis ad subditos, istorum adinvicèm, ad extraneos, & ad domesticos, ut patris ad filium, uxoris ad virum, & domini ad servum, & econversò: Quæ-

dam igitur legalium præceptorum (ut ex Scrip. liquet) de principibus lata erant, quemadmodùm, tum creandi essent, tum etiam & se erga populum gererent, & vicissim à populo colerentur. Alia concives invicèm instituebant, circa emptiones & venditiones, aliosque contractus, judicia, & pœnas. Alia data sunt circa êxteros, de bellis gerendis, suscipiendis peregrinis, & hujusmodi. Alia demùm superaddita sunt ad domesticam conversationem, ut de servis, uxoribus, & filiis. Hęc in summa D.Th. q. 104. Singulorum autẽ rationes divinô penè ingeniô enucleat totâ q.seq. 105.

DUBIUM IV.

Quando, & qualiter lex Vetus cessaverit?

144 SUpp. ut fidê certum, legem Moysis per legem Christi omninò cessasse; id enim sæpè testatur Apost. *Translato Sacerdotio* (inquit ad Heb. 7.) *necesse est, ut legis translatio fiat.* Et cap.8. *Novum testamentum veteravit prius.* Et ad Ephes.2. *Legem mandatorum decretis evacuans.* Ratio etiam convincit: Præsente enim veritatis solê, necesse fuit, ejus umbram aboleri; enimverò lex illa non erat in perpetuum posita, sed quousque veniret plenitudo temporis; atqueadeò non tàm propriè dicitur ablata, quàm impleta, juxta illud Christi D. *Non veni solvere legem, sed adimplere*, id est, non veni illam abrogare, aut infringere, aut tollere, quasi esset perpetua; sed adimplere, id est, ad complendum tempus quousque erat posita, perficiendasque veritates quarum gerebat umbras, ut exoleviſſe noscatur. Et hinc videas, propriùs veteres cum D.Th. de legalium cessatione inquirere, quàm neotericos quosdam de abrogatione. Vide M.Sot. l.2.q.5.a.4.

145 Nec obstat quòd Baruch 3.prædicetur lex vetus in æternum duratura: *Et lex* (inquit) *quę est in ęternum.* Nec etiam obstat, quòd memoria creationis aliorumque beneficiorum Dei, ob quam Sabbatum, ac reliquæ legales solemnitates institutę sunt, perseverare nunc debeat. Ad 1.

enim resp.D.Th.q.103.a.3.ad 1.legem dici ęternam rationê moralium, hæc enim, cùm sint juris naturę, semper obligant, quatenùs talia, quanvis non ut Mosaica; ratione verò cæremonialium, quantùm ad veritatem per ea figuratam. *Ad* 2. resp.ad 3.& 4. quòd cultus, ad quem ratio illa litteralis referebatur, erat in passione Christi in alterum migraturus: unde Sabbatum, creationem significans, mutatur in diem Dominicum, in quo commemoratur nova creatura, in Resurrectione Christi inchoata. Similiter, quia beneficia illi populo exhibita, significabant nobis à Christo collata, novæ solemnitates antiquis succedunt, ut Phase, festum Passionis & Resurrectionis dominicæ; Veteri Pentecostes, nostrum; Neomeniæ, festum Deiparæ, in qua primò apparuit illuminatio veri Solis per copiam gratiæ. Festis demùm *Tubarum*, *Expiationis*, *Tabernaculorum*, & *Cętus atque Collectæ*, respectivè succedunt Festa Apostolorum, Martyrum, & Confessorum, Consecrationis Ecclesiæ, & Angelorum, vel etiam omnium Sanctorum, *Et* sanè *legalis festivitas*, *dùm mutatur*, *impletur*.Hòc suppositô, sit

146 Prima concl. *Lex vetus non ante Christi mortem, sed in ipsa & Resurrectione cessavit.* Est D.Th.q. 103. a.3. & 4. quem ferè omnes Theol. sequuntur. Et quoàd 1.p. prob. cont. Scotum asserentem, circunciſionem non obligasse, nisi usque ad institutionem baptismi,& exinde simul in consilio cucurrisse cum illo, usque ad Evangelii divulgationem. Prob. inquam, *tum*, quia legis umbræ & figuræ impletæ non fuerunt antequàm Christus jàm expiraturus diceret: *Consummatum est.* *Tum*, quia ipse Dominus usque ad mortem legem servavit, & servare præcepit, ut constat ex Evangelio. *Tum*, quia usque ad Christi mortem, statum habuit Mosaicum Tabernaculum, juxta Apost. ad Heb. 9. ergo & vetus Sacerdotium: ergo eousquè permansit & lex. *Demùm*, quia novum Testamentum, per quod vetus cessavit, non cæpit obligare ante Christi mortem, nec enim valet testamentum, non intercedente morte testatoris, ut ait Apost. ubi proximè,& probat Ulpianus lege 1. ff. de *testamentis.*

Quoàd

147 Quoàd 2.verò p.prob. cont. Scotum, Gabrielem, Suarez & alios, exiſtimantes, legalia non fuiſſe completè extincta uſque ad Pentecoſtem. *Tum* ex modò dictis: Tunc enim antiquæ legis impletæ ſunt umbræ, tranſlatũ Sacerdotium, Teſtamentum extinctum, novum confirmatum, hùc namque refertur (juxta PP.) illud, *conſummatum eſt*, & *velum in duo ſciſſum*: illic igitur agnoſcendum eſt utriuſque confinium, nempè abſolutionis alterius, atque alterius obligationis: Unde Leo Mag.ſer.7.de Paſſ. *Ut umbræ cederent corpori, antiqua obſervantia novo excluditur Sacramento; hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguinis aufertur, & legalis feſtivitas, dũ mutatur, impletur. Tum* ex illatione Pauli Rom. 7. ubi ex eo quòd ſumus liberati à peccato, infert, quòd ſumus pariter & à jugo legis exempti; ſed in morte Chriſti liberi facti ſumus à peccato: ergo & à lege. Id quod ejuſdem ibidem roboratur exemplò, ait enim, quòd ſicut mulier in morte viri, libera fit matrimonii legê, ita & Synagoga in morte Chriſti à legis obligatione. *Accedit* quòd Hieron. & Aug.licèt alitèr diſſentiant, ut ſtatim videbimus, in hoc tamen unanimes ſunt, ac reliqui PP. ergo. Adiecimus, *& Reſurrectione*, quia lex vetus, non modò Chriſti mortem, ſed & Reſurrectionem figurabat: unde nec ante iſtam fuit perfectè completa, ac penitus abolita; ideoquè PP.imò & Apoſt. articulum ceſſationis unîus legis, & obligationis alterius, non in puncto conſtituerunt, ſed totum triduum pro uno articulo reputarunt, ut optimè ait Mag. Sotus.

148 Secunda concl. *Lex vetus, à morte & reſurrectione Chriſti uſque ad divulgatum Evangelium, mortua quidem fuit, ſed non mortifera*, id eſt, non fuit neceſſarium, ſed nec illicitum, legalia ſervare; non quidem quòd in eis ſpem licêret ſalutis ſtatuere, ſed quòd mortuam jàm tunc Synagogam honore illô humari decêret. *Quoàd* 1.p. cum præcedenti recurrit. Quoàd 2.verò, adverſatur D.Hieronymo ep. quæ inter Auguſtinianas numeratur undecima. Eſt tamen cõm. Theol. (ſi unum Adrianum excipias) cum M.P.Aug.ep.9. & 19. D.Th. q.103.a.4. imò apertè docetur in C. Florent.

poſt-

postquàm enim sancit, legalia cessasse in ad adventu Christi, subdit: *Non tamen negat* (Sancta Synodus) *à Christi Passione usque ad promulgatum Evangelium, illa potuisse servari, dùm tamen minime ad salutem necessaria crederentur.* Quod sanè mirum est latuisse Adrianum.

149 Prob. autem efficaciter: Quia Scriptura passim testatur, Apostolos sæpè, post Christi mortem, observasse legalia. *Nec* valet dicere cum Hieron. ea illos servasse, non verè, sed piâ simulatione, ne Judæos scandalizarent, eorumque proinde conversionem impedirent. *Non* inquàm valet, *quia indecens videtur* (inquit D.Th. ad 1.) *quòd Apostoli ea occultarent propter scandalum, quæ pertinent ad veritatem vitæ & doctrinæ, & quòd simulatione uterentur in his quæ pertinent ad salutem fidelium.* Prob. deinde congruentiâ quam affert Aug. *Decuit enim* (inquit) *legalia, quæ ut viva post Christi mortem servari non poterant, ut mortua usque ad perfectam Evangelii divulgationem servari, ut cum honore mortua mater Synagoga sepeliretur; & nè homines existimarēt, si ea statim rejecta fuissent, veterem legem fuisse abominabilem, perinde ac Gentilium cultum, quem nulla unquàm mora sustinere Apostoli valuerunt.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

150 Opp. 1. cont. 1. p. concl. Cæremonialia quæ Christi Nativitatem, miracula, & doctrinam præfigurabant, ante ejus mortem erant impleta: ergo saltèm quoàd illa cessaverat lex. *Præt.* Fundamentum legis Mosaicæ, nempè circumcisio, cessavit in baptismi institutione: ergo & ipsa lex. *Demùm* Lucæ 16. dicitur: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem:* ergo ante Christi mortem expiravit, hanc enim Joannis prædicatio præcesit. *Ad* 1. N. conf. Servanda enim ea tunc erant, non quidèm tanquàm futurorum signa, sed simpliciter tanquàm Christi figuræ. *Ad* 2. N. ant. Licèt enim ex tunc non fuerit necessaria ad deletionem originalis (ad quam scilicèt sufficiebat baptismus) erat tamen necessaria ex Dei præcepto: necessitas enim adhibendi baptismatis, indicta non fuit nisi post passionem & resurrectionem, quibus per illud configuramur. Itaque à baptismi institutione, ad Christi mortem, circumcisio totaque lex mansit in præcep-

cepto ; baptiſmus autem erat in conſilio, ut apertè docet S.D.3.p.q.66.a.2. *Ad* 3. N.conſ. Senſus enim inducti teſtimonii eſt, quòd lex & Prophetæ uſque ad Joannem prædixerint Chriſtum eſſe venturum, quem ipſe jàm veniſſe oſtendit, & præſentem indigitavit. *Vel*, quòd à tempore Joannis evangelizari cæperit Regnum Dei, conſiſtens in bonis ſpiritualibus, cùm illucuſque lex & Prophetæ temporalia promiſerint, quorum contemptum docens Chriſtus, irridebatur tanquàm legi contrarius à Phariſęis, quibus laudatô teſtimoniô reſpondit.

151 Opp.2.cont.2.p. ejuſdem. Lex Evangelica non cępit obligare ante Pentecoſtem, cùm antea non fuerit promulgata: ergo nec antea ceſſavit vetus, quæ decretis Evangelicis evacuanda erat. *Præt.* Quia aliàs Deus pueros aliquandiù reliquiſſet ſine remedio originalis, utpotè, nec tunc profuiſſet circumciſio jàm abolita, nec baptiſmus nondùm cognitus. *Ad* 1.N.ant.& prob. Nam Chriſtus ipsô Reſurrectionis die legem novam diſcipulis ſufficienter propoſuit, intimavit, promulgavit, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & ex tunc univerſum obſtrinxit ſuâ Orbem legê ; præcepit autem tunc Apoſtolis ipſam divulgare, & in Pentecoſte miſit eis virtutem ex alto quæ ad eam functionem erat neceſſaria: Promulgatio igitur ab Apoſtolis facta, accidentalis fuit, eſſentialem ſupponens, ac tollens ignorantiam illucuſque excuſantem, ut diximus N.56. *Ad* 2.N.ant. ad prob.incluſam N.conſ. Nam tunc puer circunciſus à parente Evangelii ignaro, ſalvus fieret, non quidèm circumciſionis virtutê, quæ jàm vanida erat, ſed parentis fidê. Itaque circumciſio tunc nihil amplius valebat, quàm ſignum quô legê naturæ fiebat proteſtatio fidei, & quô Judęi ante octavum diem utebantur: ignorans igitur tunc invincibiliter Evangelium, rectè fidem ſuam applicabat, quę ſubinde infantulo prodeſſet, ſecùs ſi ſecùs. Aliud autem eſt de baptiſmo noſtro, continente in ſe ſanctificandi virtutem, à quovis applicetur.

152 Opp.3. cont.2. Quia Paulus ad Gal. 2. jurè reprehendit Petrum judaizantem: ergo. *Pret.* Legalium obſer-

ſervantiæ erant tunc mendacia, cum perſonarent venturum, quod venerat: ergo. *Ad* 1. Diſt. ant. Reprehendit judaizantem prȩcisè, N. judaizantem imprudenter, ac nimiè; adeò ut eſſet ſcandalo Gentilibus, & fortè etiam Judæis, circumciſionem propterea neceſſariam credituris, C. Verè quidèm peccavit Petrus, verèque fuit reprehenſus à Paulo, ut Auguſt. adverſus Hier. planè oſtendit; non quia legalia obſervaret, quod ſanè ſibi licebat, tanquàm ex Judæis converſo, & quod ipſemet Paulus ſæpè fecit ut liquet ex Actis; ſed ob imprudentem & nimiam in judaizando diligentiam: quæ tamen venialis ſolùm fuit, quia non putavit Petrus, tantum ſcandalum oriturum; & quidem *converſationis peccatum fuit, non doctrinæ*, ut rectè Tertull. ait. Actionem autem Petri *ſimulationem* vocat Paulus, non quòd non fuerit opus judaicum, ſed quòd non fuit factum intentionê judaicâ, tanquàm futurorum ſignum, virtutem ſuam retinens. *Ad* 2. N. ant. Quia obſervabâtur præcisè quatenùs Meſsiam, ejuſque Myſteria ſignificabant, præſcindendo ab iſtorum præteritione, futuritione, aut præſentia.

153 Inquires: Quô præcisè tempore cæperit Lex Moſaica eſſe mortifera? Reſp. incertum eſſe; valdè tamen probabile reputamus, id accidiſſe quadrageſimô circiter poſt Chriſti mortem annô, poſtquàm Templum Jeroſolymitanum unà cum Rep. Judaica à Romanis fuit everſum. Tunc enim divulgatô plenè Evangeliô, tumulata eſt Synagoga: adeoquè ex tunc legalia prorsùs mortifera remanſerunt, nec enim ſervari poterant ut viva, propter mendacium; nec ut mortua, propter ſepulturam. Abſtinentia autem ab idolothytis, ſanguinê, & ſuffocato, præceptâ in Conc. Apoſt. Act. 15. (& quæ duravit in Eccleſia ſaltèm uſque ad Conc. Gangrenſe, celebratum ſub Sylveſtro initiô ſeculi IV.) inducta non fuit ad obſervandum cæremonias legis; ſed ut coaleſcere poſſet unio Gentilium & Judæorum ſimul habitantium: ideoquè præcepta fuit, non in perpetuum, ſed in tempus, unde iſtô procedente, depoſitô à Judæis horrore circa illos cibos, omninò ceſſavit.

DU-

DUBIUM ULTIMUM

Qualis sit Lex Evangelica, & quænam contineat?

154 LEx Evangelica, si ęternam excipias, lex legum est, cujus gratiâ mundus creatus fuit, ad quam ferendam Deus ipse de Cælo descendit, quæque ejusdem Dei digitô scripta est in cordibus nostris, per quam denique solam, universo Orbi & inferi clauduntur, & ad æternam felicitatem Cæli referantur. *Variis* autem nominibus insignîtur: appellatur *Evangelica*, quia valdè bona nunciat, promittendo peccatorum remissionem, adoptionem filiorum, Cęlestem hęreditatem. Dicitur *nova*, quia illâ adveniente, omnia penitùs innovata sunt. Vocatur *lex gratiæ, spiritus vitæ, & libertatis*, quia gratiam confert, & à peccati servitute, ac veteris onere liberat. Nuncupatur *Lex fidei* propter majorem expressionem & determinationem articulorum illîus. Demùm *Lex amoris* audit, quia ad faciendum bonum inclinat amorê justitię, vetus autem à peccato coërcebat formidine pœnæ. Hinc illud Aug. contra Adimantum c. 17. *Brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, timor, & amor.* Hujus supracęlestis Legis numeros omnes & dignitates expendit Aug. D. à q. 106. ad 108. inclusivè, quorum ut selectiora delibemus, sit

155 Prima concl. *Lex nova principaliter est indita, secundariò autem est scripta.* Sic D. Th. q. 106. a. 1. communiter receptus. Et quoàd 1. p. constat, tum ex illo Jerem. 31. inductô Heb. 8. *Dabo leges meas in mentes eorum, & in corda eorum superscribam eas. Tum*, quia juxta Phil. 9. Eth. unaquęque res id esse videtur, quod est potissimum in ea; sed potissimum in nova lege, in quo tota ejus virtus consistit, est gratia Spiritûs S. ergo. *Quoàd* 2. etiam liquet: Quia lex nova habet quædam sicut dispositiva ad gratiam, & ad usum ejus pertinentia, quæ sunt quasi secundaria in hac lege, de qui-

quibus fideles verbô & scriptô instrui oportuit circa credenda & agenda.

156 Ad majorem concl. intell. nota, quòd cùm omnis lex sit essentialiter quid rationis, juxta dicta N. 1. nulla est essentialiter scriptura, aut gratia infusa. Unde lex vetus dicitur *Scriptura*, quia in scriptura habitualiter continebatur sicut in signo : Nova autem dicitur *gratia Spiritus S.* quia in ista, cum virtutibus sibi connexis, tenentur principaliter & habitualiter ea quę sunt novæ legis: quemadmodùm lex naturalis dicitur *habitus* non propriè, sed quia habitû tenetur, quatenùs in habitu syndereſis virtualiter continentur principia juris naturalis, ut ex D.Th. diximus N. 20. Vide omninò supra à N. 15.

157 Secunda concl. *Lex Evangelica triplicia continet præcepta, nempè, moralia, sacramentalia, & fidei.* Constat ex Evangelio. Sed sciendum, quòd moralia non fuerunt noviter instituta à Christo Domino, sed elucidata, & vindicata ab erroribus, quibus ex hominum malitia & incuria fuerant involuta, præcipuè 2. 5. & 6. decalogi; nam homicidii & adulterii solum exteriorem actum prohibitum existimabant: & licèt crederent, perjurium esse peccatum; juramentum tamen per se esse appetendum & frequentandum docebant. *Sacramentalia* verò præcepta ipse Dominus de novo tulit, quemadmodùm & Sacramenta ipse constituit. Præcepta demùm fidei, non sunt de novo data, sed quod implicitum erat, explicatum est: unde plura tenemur explicitè credere, quàm tenerentur antiqui, quoniam plura, eaque maxima, demùm accepimus.

158 Sic igitur lex nova sufficienter ordinavit interiores, & exteriores hominis actus, ut ostendit S.D. q. 108. aa. 1. 2. & 3. præcipiuntur enim externa sacramentorum opera ad gratiam inducentia, exteriores etiam virtutum actus, non quidèm omnes, sed ad salutem necessarii, seu ad usum gratiæ ex necessitate pertinentes. Deinde sermo Domini in monte (qui summa est Christianæ perfectionis) post declaratum beatitudinis finem, & commendatâ Apostolicâ dignitate, ordinat interiores homin is motus & quantùm ad se,

& quantùm ad proximum. Quantùm ad se, quoàd duos motus circa agenda, qui sunt voluntas, & intentio; voluntas dirigitur dum præcipitur ut abstineat ab actibus interioribus malis, & ab occasionibus malorum: intentio verò, dum dicitur, nè quid agamus propter humanam gloriam, & mundanas divitias. Quantùm ad proximum, dum præcipit, nè temerariè injustèque illum judicemus; nec tamen ita simus remissi, ut sacra committamus indignis. Docet tandem modum adimplendi Evangelicam doctrinam, implorando divinum auxilium, & conatum apponendo ad intrandum per angustam portam perfectæ virtutis, & cautelam adhibendo, nè decipiamur à falsis Doctoribus, & mandata servando, nec enim sufficit confessio fidei, vel solus auditus.

159 Ultima concl. *Convenienter in lege nova addita sunt consilia supra præcepta. Tum*, quia consilia sapientis amici maximam afferunt utilitatem Prov. 27. Christus autè est maximè Sapiens & amicus. *Tum*, quia est lex libertatis; consiliũ autem ponitur in optione ejus cui datur: in quo differt à pręcepto, importante necessitatem: Unde pręcepta legis novę sunt de necessariis ad salutem, ad quam illa immediatè introducit; consilia verò de his per quę homo meliùs & expeditiùs finem assequitur. Ut igitur homo, medius inter mundana & spiritualia bona, illis tanquàm fini non inhęreat, apponuntur præcepta; consiliis verò inducitur ad totalem, pro posse, illorum abjectionem, quæ ad salutem expeditior quidèm est, non tamen necessaria. Hinc præcipua Evangelica consilia sunt de paupertate, castitate, & obedientia, in quibus fundatur omnis Religio, & quibus mundana bona, scilicèt, divitiæ, carnis delitiæ, & honores, totaliter abdicantur. Et ad hæc tria generalia & perfecta cõsilia, particularia omnia & imperfecta reducuntur. Videatur M. Medina a. 4. *Quę* contra pręsentes concl. objici solent, ex dictis soluta manent. Hæc de legibus dicta sint satis.

*** *** *** ***
*** *** ***

TRA-

TRACTATUS II.

DE NECESSITATE GRATIÆ.

Ad q.109. Primæ Secundæ.



ONSIDERATIS Legibus, quibus à Deo ad bonum instruimur, consequenter de Gratia, quâ ab illo adjuvamur, differit S.D. à q.109. ad 114. seu ultimam Primæ Secundæ: quibus gratiæ necessitatem, essentiam, divisionem, causam, & effectus, præclarissimè, Augustinum perpetuò æmulatus, exponit. Quę quidèm nos, claritatis ergô, & ut Scholæ morem geramus, præsenti Tractatû, & duobus sequentibus, ipsâ opitulante divinâ gratiâ, & utrôque Doctore duce, contemplabimur.

160 Sed priusquam disputationes exordiamur, operepretium erit, nonnulla præfari ad dicendorum intelligentiam. Primùm, nomen *gratia* tripliciter in Scripturis, PP. & prophanis authoribus sumi; primò pro dilectione alicujus, quâ ratione dicitur, aliquem habere gratiam alicujus, quia eum habet gratum, & hôc modô dicitur Lucę 1. *Invenisti gratiam apud Deum.* Secundò pro dono gratis dato, sicut consuevimus dicere: *Hanc gratiam facio tibi*, quô sensû dicitur Ephes.4, *Unicuique nostrum data est gratia, &c.* Tertiò demùm pro gratiarum actione, qualiter dixit David 2.Reg. 2. *Et ego reddam gratiam.* De gratia in prima acceptione, agit S.D.1.p.q.20. ubi de amore Dei differit: De illa verò in tertia acceptione, 2.2.q.166. ubi de gratitudine sermonem instituit.

161 Sola igitur secunda gratiæ acceptio est hujus locî propria. Quæ rursùs tripartitur, juxta triplex genus donorum,

rum, gratis & liberaliter à Deo collatorum. *Prima* est generalis & impropria, comprehendens quodcumque beneficium liberaliter nobis à Deo concessum, quantunvis naturale sit; quâ ratione, rerum creatio & conservatio dicitur *gratia* ab Augustino super Psal. 144. alibique: sicut & Angelorum immortalitas, actione 11. Sextæ Synodi. Hanc autem gratiam non negavit Pelagius, imò PP. Concilii Palestini fefellit, concedens necessitatem gratiæ ad opera salutaria; sed dolosè *gratiæ* nomine intelligens beneficium creationis, seu liberum arbitrium gratis à Deo concessum, ut testatur Aug. ser. 11. de verbis Apostoli cap. 7. *Secunda* est quadantenùs propria, significans dona quędam naturalia omninò indebita, qualia sunt, in statu naturæ lapsę, auxilia quędam intra ordinem naturæ specialia, quæ ad opera ejusdem ordinis difficilia dantur, ut infra patebit. *Tertia* demùm est propriissima, & significat dona, supra totum naturę debitum nobis per Christum exhibita, in ordine ad nostram salutem: & hęc est Theologica gratię consideratio, de qua potissimùm acturi sumus, quanvis de secunda acceptione mentionem interdùm faciamus.

162 Hęc autem gratia supernaturalis dividitur in *internam*, de qua statim, & *externam*, ad quam reducuntur omnes causæ, media, & objecta externa, quibus mens nostra excitatur ad res divinas cognoscendas, vel amandas, qualia sunt, prædicatio verbi Dei, exempla Christi, & Ss. lectio Scripturarum, miracula, & id genus. *Interna* subdividitur in gratiam *gratum facientem*, per quam ipse homo Deo conjungitur, & *gratis datam*, per quam unus homo alteri ad salutem cooperatur. Prima comprehendit omne donum supernaturale, homini collatum ad propriam ipsius justificationem; inter quæ primatum obtinet gratia habitualis sanctificans, cum donis permanentibus quæ illam veluti proprietates consequuntur. Deinde auxilia, & actus, quibus ad justificationem disponimur; auxilia etiam & actus, quibus justificatus vitam meretur ęternam. Quæ gratia appellari solet *actualis*, quia non est permanens, sed confertur per modum transeuntis. Quanvis autem omnis gratia sit gratis da-

data ; sic tamen specialiter appellatur illa, quæ ad aliorum utilitatem confertur ; cùm enim vocari non possit *gratum faciens*, jurè nomen genericum retinet. Hujus divisionem tradit Apost. 1.Cor.12.& optimè explicat D.Th.q.111.a.4. De reliquis gratiæ supernaturalis divisionibus Tract.seq. ex professo.

163 Deinde prçmittendum est, extremos contra Gratiam extitisse errores. Alii enim adeò liberum arbitrium extulerunt, ut gratiæ necessitatem & efficaciam auferrent: Alii econtrà ultra modum gratiæ tribuentes, liberum ademerunt arbitrium. Primum effutierunt Basilides, Valentinus, Marcio, Origenes, hujusque sequaces, Dydimus, Evagrius Ponticus, Jovinianus,& Rufinus ; ex quorum fæce & cineribus prosilivit pestilentissima illa Pelagiana Hydra, in varios status, veluti totidem capita, sese fundens, quam Hercules Ecclesiæ, incomparabilis August. contrivit penitùs. *In* secundum verò impegerunt Lutherani, & Calvinistæ, horumque sectatores Jansenistæ, & Quesneliстæ,qui, juxta errantium consuetudinem, in medio veritatis consistere non valentes, Pelagianismum declinantes, in Manichçismum inciderunt:Quisquis igitur mente catholicâ nefaria ista exhorret dogmata, utrorumque latebras insidiasque devitet ; & ita confiteatur esse liberum arbitrium, contrà Manichæum, quòd fateatur Dei indigêre auxiliô, contrà Pelagium : hæc enim est media, tuta, & regia via, quam strenui illi Sacri belli Duces Hieronymus, & August.ostendunt, & tenet, ac tenuit semper Mater Ecclesia. Utraque autem hæresis adeò nota est, ut superfluum duxerim, illîus historiam texere,quam videre licet apud Authores:nostrum erit, præcipua utriusque capita, decursû horum Tractatuum, obiter recensere, & ipsius gratiç opê convellere.

164 Præmittenda insuper est distinctio quadruplicis statûs (aliis omissis) in quibus homo considerari potest, nimirùm *naturç purç*, ut vocant, *integræ*, *innocentis*, *& lapsæ*, quorum duos ultimos expertus est, reliquos verò possibiles judicamus. *Primus* esset conditio naturç sine peccato & sine gratia, in quo miseriis illis omnibus subjaceret homo,

quas

quas in ſtatu lapsûs experîtur. *Secundus* ſuperadderet primo donum entitativè naturale, ſubjiciens appetitum rationi in ordine ad finem naturalem : unde integritas iſta naturę, eſſet naturalis, & hominis non elevati ad finem ſupernaturalem, prorsùſque diſtincta ab integritatis donô Adæ conceſsô, quod fuit ſupernaturale & à gratia habituali proveniens, ut author eſt D.Th. 1.p. q.93. a.1. Adeoquè ſtatus iſte ſecundus non eſt pars tertii, ſed ab illo omninò diſtinctus. *Tertius* igitur ſtatus fuit feliciſsimus ille conditionis Adę, in quo, rationê juſtitiæ originalis, non ſolùm ratio perfectè ſubjiciebatur Deo, ſed appetitus rationi, & corpus animæ, ac innumerabilium prærogativarum apparatus mirificè ſplendebat. Nec brevitas felicitatis, repugnat ſtatui, quia naturâ ſuâ & per ſe ſtabilis erat & permanens.

165 Status demùm *naturę lapſæ* eſt ille, in quem miserè, ob Prothoplaſti culpam, de felici innocentię conditione cecidimus, in quo perſeverat homo, etiam poſt reſtitutam baptiſmate, aut pœnitentiâ, gratiam habitualem ; quia iſta non tollit fomitem, qui à peccato eſt, & in peccatum inclinat ; ſed remanet, juxta Tridentinum, ad agonem, cum aliis miſeriis quas experimur. Differentiam primi, & ultimi ſtatûs unicò verbô explicat Cajet. *Tanta eſt* (inquit) *quanta inter perſonam nudam ab initio, & perſonam ſpoliatam.* Homo igitur conditus in puris naturalibus, & lapſus, conveniunt, quòd uterque ſine donis ac nudus incedit ; ſed hujus nuditas & ſpoliatio, privatio eſt ac pœna peccati, illîus verò nuditas non eſt privatio nec pœna, ſed mera negatio ac naturæ conditio.

166 Audiendi hîc non ſunt Ant. Roſende, & Contenſonus, ſtatum puræ naturę impoſsibilem judicantes; ille quidèm (Janſenium ſequutus) abſolutè ; hic verò, de potentia ordinaria. Utrumque enim falſum eſt : Et quidèm primum prædamnatum apparet, quia in nullo differt à proſcriptis illis Michaëlis Baii propoſitionibus, nimirùm : *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur, id eſt deſtitutum Juſtitia originali, & gratia ſanctificante.* Et: *Humanæ naturæ exaltatio in conſortium divinę naturæ, debita fuit*

in-

integritati primæ conditionis ; ac proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis. Et sanè, Deo & gratiæ contrarium est, asserere, ita gratiam naturæ debitam esse, ut non possit eam Deus sine injustitia denegare.

167 Secundum autem nullô nititur fundamentô : nec enim datur, aut dari potest, appetitus innatus naturæ ad visionem beatificam, quidquid ille dicat, aliàs impleri posset intra ordinem naturę. Nec oppositum docet D. Th. 3. contrag. c. 50. non enim loquitur ibi de appetitu innato, sed de elicito, seu desiderio ; hoc autem non fertur in visionem Dei in se, hæc quippè nec cognosci, nec appeti potest intra naturæ ordinem : fertur igitur erga primam causam videndam eô modô, quô possibile sit intra ordinem naturæ. Quod quidèm desiderium infrustraneum est, loquendo congruenter, licèt absolutè frustrari possit. Possibilitas autem visionis beatificæ, hôc solùm modô (scilicèt congruenter) probari potest ex principiis naturalibus.

168 Nulla pariter sunt fundamenta, quæ ex Jansenio mutuatur Rosende ad Bajanam naturę puræ absolutam impossibilitatem firmandam. Nec enim illorum errori favent August. & Cæleſt. Papa, quippè supernaturale donum, quod simul cum natura accepit Adam, appellant *naturale*, quemadmodum originale peccatum dicitur etiam ab Aug. *naturale*, seu peccatum naturæ, juxta illud Ephes. 2. *Eramus natura filii iræ.* *Nec* ratio suffragatur. Nam contemplatio abstractiva Dei authoris naturę, & amor per eam regulatus, satiarent appetitum hominis conditi in puris naturalibus. *Nec* implicat, velle Deum creare hominem relinquendo illum anxium & inquietum, defectû beatitudinis perfectæ : sicut absolutè potest beatos suâ felicitate privare. *His* præ-libatis, differamus jam de necessitate gratiæ ad verum cognoscendum, bonum prosequendum, à malo declinandum, atque in accepta justitia perseverandum. Sit igitur

*** *** *** *** ***
*** *** *** ***

DISPUTATIO I.

De necessitate Gratiæ ad cognitionem veri.

DUBIUM UNICUM.

Utrum homo lapsus possit cognoscere sine speciali gratia singulas, omnesque veritates naturales speculativas, aut practicas?

169 ANte resol.supp.1. quòd Deus, tàm in ordine naturæ, quàm gratiæ, movet quandoque hominem ad actus sibi quodāmodò debitos ac proportionatos; & hæc motio dicitur *auxilium generale*: interdùm verò movet ad actus, erga quos nullam proportionem aut exigentiam habet; & hæc motio dicitur *auxilium speciale*, ut colligitur ex D.Th.infrà q.113.a.10. *Supp.*2. ex tract. sequenti, auxilia (seu generalia, seu specialia vocentur) alia dare posse, alia illud supponere & applicare ad actum, & de his est sermo in præsenti, non de conferentibus posse; ideoquè consultò inquirimus: *Utrum possit cognoscere sine speciali gratia, &c.* Certum enim est, quòd *sine gratia speciali, & etiam generali, potest cognoscere, &c.* *Supp.*3. plures esse veritates *naturales*, quarum cognitio per sensibilia haberi non potest, ut futura contingentia, præterita nullum sui vestigium relinquentia, secreta cordium, in abysis latentia, & id genus, quę, citra dubium, specialem requirunt gratiam ad sui cognitionem: Solùm ergo procedit dub. de veritatibus quæ ex sensibilibus acquiri possunt. His supp. sit

170 Concl. *Homo lapsus potest cognoscere cum solo concursu generali singulas divisivè veritates naturales, tàm speculativas, quàm practicas; secùs omnes collectivè, sed ad hoc speciali, intra naturæ ordinem, indiget gratia.* Quoàd 1.p.est ferè com-

communis cònt. quosdam antiquos, quibus adhærent Vazquez, Montesinos, Granados, & Conten. Intelligitur autem, non de quolibet homine rationis compote, sed de excellenti ingeniò prędditis, quorum aliqui propriâ industriâ, alii verò, aliorum saltèm disciplinâ, possunt sine speciali auxilio, quamlibet veritatem cognoscere. Sensus igitur est, quòd non est veritas naturalis, quam homo lapsus, si acutissimus sit, cognoscere non possit cum solo auxilio generali. Et prob. Quælibet enim, quantunvis difficillima, proportionatur, tùm physicè, tùm moraliter, naturali intellectûs virtuti, quia & continetur intra illius objectum, & nullum impedimentum retardare illum potest, quominùs expeditè illam attingere valeat. *Mitto* alias rationes, quibus hæc pars frequenter probari solet, sed inefficaciter, ut benè notat M. Bolivar.

171 Secunda verò prob. Quia intellectus hominis lapsi, quamlibèt acutissimi, non est sufficienter expeditus, seu moraliter proportionatus, ad totam veritatum naturalium collectionem, tot obstantibus prędjudiciis, multitudine, scilicèt, propè infinitâ illarum, brevitatê vitæ, corporis indispositionê, hebetudine sensuum, frequenti circa temporalia solicitudinê, & similibus, quæ insinuari videntur illô Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*: ergo. *Quòd* autem tale speciale auxilium ordinis sit naturalis, vel inde constat, quòd desideratur ad assequendas veritates naturales, & ad superandas difficultates in earum assecutione occurrentes. *Accedit*, quòd infusio scientiarum naturalium, & specierum ad eas requisitarum, favor est intra naturæ ordinem, quantunvis specialis: ergo. *Atque* iisdem rat. prob. utraque p. concl. quoàd veritates practicas, in universali, & quasi speculativè cognoscendas. Cognitio autem earum in particulari, seu judicium proponens hîc & nunc voluntati objectum prosequendum, si cum actu voluntatis bono connectatur (quale est imperium thomisticum) eandem gratiam requirit, ac voluntatis actus, generalem, aut specialem, juxta dicenda dub. seq. eadem enim militat ratio.

Quòd si cum actu voluntatis non conjungatur, sufficit auxilium generale, quanvis actus voluntatis gratiam requirat specialem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

172 Opp.1.cont.1.p.concl. Voluntas hominis lapsi inexpedita seu moraliter impotens mansit ad aliqua opera moraliter bona naturalia, ut, ad diligendum Deum authorem naturæ, & id genus alia difficilia; ad quæ proindè eget speciali Dei auxiliô: ergo pariter. *Prɛt.* Ad assensum conclusionis Theologiæ, utique naturalem, speciali opus est gratiâ, cùm necessariò dependeat ab assensu supernaturali alterius saltèm prɛmissɛ: ergo. *Ad* 1.R.ex S.D.hîc a.2.ad 3.disp. esse: *Quia, magis est natura humana corrupta per peccatum quantùm ad appetitum boni, quàm quantùm ad cognitionem veri.* *Ad* 2.(quod nimis probat, necessitatem scilicèt auxilii supernaturalis) Dist.ant. Speciali opus est gratiâ præsuppositivè, C. formaliter, N. Positô enim assensu præmissæ supernaturalis, & alterius præmissæ, nullô eget intellectus speciali auxiliô ad assentiendum conclusioni naturali. *Vel* dicendum, conclusionem non loqui da veritatibus naturalibus, à supernaturali dependentibus.

173 Opp.2.cont.eandem. Homo per lapsum contraxit debilitatem rationis, quâ difficilis redditur ad veri cognitionem: ergo ad istam speciali indiget auxiliô, nam generali, etiam ante lapsum, egebat. *Prɛt.* Ad superandam gravem tentationem, à studio veritatis retrahentem, speciali opus est gratiâ, juxta infrà dicenda: ergo & ad illam assequendam. *Postremò*: Homini lapso non debetur illud mentis acumen, quô superare valeat difficultates emergentes in cujuslibet veritatis naturalis assecutione: ergo nec auxilium ad idem exactum: ergo istud non generale est, sed speciale. *Ad* 1.R. sermonem hîc esse de acutissimis hominibus, quibus, emergentes difficultates in altioribus veritatibus eruendis, non adeò magnę sunt, ut ad illarum victoriam speciali egeant auxiliô. *Ad* 2.N.cons.quia veritas assequenda, est intellectui proportionata, juxta dicta. *Ad* 3. N.ant. si de homine quasi indeterminatè, seu potiùs de natu-

tura humana, sit sermo: huic enim in aliquibus individuis debitum est tale acumen, sicut robur, pulchritudo, alique perfectiones. *Vel* N.conf. Stat enim, quòd principium ad operandum conferatur ex speciali gratia, concursus autè ad operandum generalis sit, & debitus habenti principium; ut patet in omni habitu supernaturali, nam lumen gloriæ v.g. indebitum est homini, cui tamen ex suppositione quòd illô sit perfusus, debitum est auxilium ad operandum cum illo, seu videndum Deum.

173 Opp.3. illud Amb. *Omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu S. est*: ergo. *Præt.* Pro assecutione veri (quantunvis naturalis) & oramus, & gratias agimus; at oratio, & gratiarum actio clarissimę sunt specialis auxilii testificationes: ergo. *Ad* 1. (quod nimis probat) resp. D.Th.a.1. ad 1. omne verum esse à Spiritu S. ut ab infundente naturale lumen, & movente ad intelligendum & loquendum veritatem; non tamen tanquàm inhabitante per gratiam, sed hoc solùm est in quibusdam veris cognoscendis & loquendis, & maximè in pertinentibus ad fidem, de quibus est sermo in illo 1. Cor. 12. (quod eô loci glossat Amb.) scilicèt: *Nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu S.* *Ad* 2. N.min. universaliter intellectam; cùm enim propter peccata, quibus iram Dei exacerbamus, digni efficiamur, ut Deus concursum (etiam generalem) nobis denèget, locum erga istum habent & oratio, & gratiarũ actio. Sanè frequèter oramus pro pluvia, & serenitate obtinenda, & pro obtenta gratias agimus, quas tamen certũ est, concursû generali à Deo largiri.

174 Opp.4.cont.2.p. Omne terminans appetitum naturalem innatum, est naturæ debitum, adeoquè propriis viribus consequibile cum solo generali auxilio; at collectio omnium veritatum naturalium terminat appetitum innatum intellectûs humani post lapsum, continetur enim intra illîus objectum specificativum: ergo. Prob. maj. tum, quia aliàs appetitus innatus esset frustraneus. Tum, quia ideò non datur in nobis ad visionem beatificam, quia hæc est impossibilis per vires naturæ. *Omissis* variis solutionibus, planè insufficientibus. R. terminum appetitûs innati esse possibilem

lem juxta appetitûs conditionem ; si enim iste sit perfectus, & undequaquè completus, exigit terminum physicè & moraliter possibilem ; si autem imperfectus sit, terminari potest ad aliquid moraliter impossibile, physicè tamen possibile, & talis est appetitus intellectûs nostri ad dictam collectionem. Sufficit autem, ut frustraneus non sit, quòd à Deo authore naturę (etsi specialiter adjuvante) reduci possit ad actum. Visio autem beatifica est naturæ viribus, tam physicè, quàm moraliter impossibilis.

175 Hanc solutionem colligit Godoy ex Ferrar. 1. contrag. c. 4. dub. 2. circa finem. Nec distinctio appetitûs innati penès perfectum & imperfectum, libera est, ut quidam liberè ait, imò necessariò adstruenda ; cùm ex una parte certum sit, potentiam quamlibet appetitû innatô ferri in omne contentum sub illius objecto specificativo, ut ostendimus tomô 1. N. 177. Et ex alia occurrere possint impedimenta circa illud insuperabilia propriis viribus à potentia, & hujus innatam propensionem imperficientia. *Quòd* si hæc solut. non placuerit, dicatur, intellectum propendêre quidèm innatè in omnes veritates naturales, non autem in earum collectionem, nec istam contineri sub objecto specificativo illius, istudque solùm esse verum naturaliter attingibile, id est, propriis viribus cum solo concursu generali.

176 Unô verbô : Bifariàm intelligi potest, quòd objectum intellectûs nostri pro hoc statu est *naturaliter attingibile*, nimirùm, vel propriis viribus intellectûs cum solo concursu generali Dei : vel intra ordinem naturæ, & absque supernaturali Dei auxilio, sed cum solo naturali (seu generale istud sit, seu speciale.) Primô modô, quanvis sub se contineat singulas veritates naturales, de quibus est lis, non tamen illarum collectionem, nec consequenter in istam, sed in illas intellectus innatè fertur. Secundô verò modô & singulas continet, & earum collectionem ; acproinde intellectus in utrasque innatè propendet, in quamlibet quidèm perfectè, in collectionem verò imperfectè ; quia nimirùm hęc non est moraliter proportionata, sed solùm physicè ; illa verò, & physicè, & moraliter. *Per* cognitionem autem

tem collectionis veritatum, non intelligitur hîc (ut quidam autumat) unica cognitio simul attingens omnes illas. Sed multiplex successiva, & diuturna, omnes illas collectivè attingens.

DISPUTATIO II.

De necessitate Gratiæ ad Volitionem, & Operationem boni.

DUBIUM I.

Utrum homo lapsus possit elicere aliquos actus undequaquè moraliter honestos intra naturæ ordinem, absque speciali gratia?

SUpp. ad omnem effectum supernaturalem requiri auxilium ejusdem ordinis; cùm istud proportionari debeat & effectui in quem influit, & causę quam adjuvat; & hinc S.D. aa. 5. 6. & 7. seq. firmat necessitatem gratię supernaturalis ad meritum vitæ æternæ, ad prępparationem ad gratiam justificantem, & ad ipsam justificationem, & reparationem à peccato, de quibus nos sequentibus Tract. disseremus. Hôc igitur pro nunc suppositô, sit

178 Concluſ. *Potest homo lapsus aliquos hujusmodi actus elicere sine gratia habituali, charitatis imperio, influxu Fidei, gratia salutari theologica, aut speciali intra naturæ ordinem, cum solo Dei generali concursu.* Quoàd 1. & 2. p. est diffinita à S. Pio V. Gregorio XIII. & Urb. VIII. in damnatione prop. 25. 40. & 45. Michaëlis Baii, & novissimè à Clemente XI. in Const. *Unigenitus* proscribente varias Quesnelli propositiones ex Bajo & Jansenio desumptas, & maximè n. 38. & ferè omnes sequentes usque ad 59. continentes eundem errorem, jam prædamnatum à CC. Arausicano II. cap. 4. &

5.

5. & Trident. sess. 6. can. 7. Si enim ad operis rectitudinem, gratię & charitatis influxus desideretur, omnia peccatorum opera essent prava; etiam pii illi motus justificationem prę-cedentes, & ad illam disponentes, quod utraque Synodus damnat, definiens, præfatos actus esse Spiritûs Sancti dona, non adhuc quidèm inhabitantis, sed tantùm moventis: ergo si ad hujusmodi actus opus non est gratiâ habituali, & charitate, multò minus necessariæ erunt ad actus virtutis acquisitæ, seu naturalis.

179 Præt. Scrip. sæpè hortatur peccatores ad eleemosynam, & alia bona opera, quod non faceret, si illa non possent fieri à peccatore sine permixtione peccati. *Demùm*: Aug. de Sp. & litt. cap. 24. ait: *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil proficiunt aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet hominis pessimi invenitur.* Concinit Chrysost. Hom. 67. ad populum: *Non potest malus* (inquit) *omninò malus esse, sed evenit, ut aliquid habeat boni; neque bonus esse omninò bonus, sed nonnulla solet habere peccata*: ergo.

180 Secunda autem p. est æquè certa, pariter definita adversus Bajum, asserentem propositione 27. *Omnia infidelium opera esse peccata, & Philosophorum virtutes esse vitia.* Quem errorem ex Orco revocavit Jansenius, sæpè illum inculcans lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 17. & novissimè refricavit Quesnel. in propositionibus 26. 27. 28. & 29. proscriptis laudatâ Const. *Unigenitus.* *Constat* insuper ex Scripturis Sacris, sæpè referentibus, aliqua infidelium opera esse à Deo remunerata, ut de Obstetricibus Ægyptiis constat Exodi 1. & de Nabuchodonosore Ezech. 29. *Ex quo* (inquit Hier.) *intelligimus, etiam Ethnicos, si quid operis boni fecerint, non absque mercede Dei judicio prętereire.* Unde Aug. 5. de Civit. cap. 15. ait: Deum virtutes Romanorum amplissimô imperiô muneraße. Et c. 27. dicit, esse quędam facta infidelium à gratia Christi alienorum, *quę secundum justitiæ regulam non modò vituperare non possumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus.* Id quod variis exemplis Romanorum con-

confirmat l.15.c.18. Et lib.1.de nuptiis & alibi laudat, & donum Dei appellat quorundam Gentilium puditiam conjugalem. Et quasi Bajum, Jansenium, Quesnell. eorumque sequaces carperet, subdit cap.3. *Quis autem audeat dicere, donum Dei esse peccatum?* Opus autem vel ex minima circunstantia pravum, totum est tale, ut ostendimus to. præced. ex D. Thom. num. 365. quod propterea nefas est, *laudabile, imitandum, à Deo muneratum, aut ipsius donum* appellare: ruit ergo penitùs Novatorum evasio.

181 Præfocaverat errorem istum (multò post tempore nasciturum) D.Th.2.2. q.10.a.4. exprofessò ostendens, *non omnem actionem infidelis esse peccatum, tum* ratione desumptâ ex Aug.quia,scilicèt,per infidelitatem non corrumpitur totaliter bonum naturæ; *tum*, quia infidelis potest bonum agere non referendo in infidelitatis finem. Quam rationem assignat etiam Rom.14. lect.1. dicens: *Cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat; non tamen opus ejus est meritorium, quia non est gratia informatum.* Quibus penitùs convellit oppositi erroris fundamentum, & negativum in infidelibus veras virtutes;nec enim honestas objectiva actionis perit, nisi per appositionem pravi finis, aut alterius circunstantiæ: Non ergo requiritur, quòd positivè referatur in ultimum finem, quia in istum ex se tendit bonum illud rationi conforme, quod est objectum operis objectivè boni, ut docet S.D. suprà q.19. a.10. & expendimus tomô præced.N.395.

182 Tertia p. est com.cont.Greg.Arimin. Vazquez, & Contensonum, quorum primus, & ultimus gratiam actualem salutarem & supernaturalem exigunt ad posse;Vazquez verò,ad actum secundum; & quidèm gratiam specialem ordinis naturæ, sed per Christum dandam, & quam CC. contra Pelagium necessariam esse dixerunt. Prob.autem ex Trident.sess.6. can.1. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ, vel per humanę naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.* Ubi manifestè supponit, ex libero arbi-

trio

trio & sine gratia theologica, posse fieri bona opera non conducentia ad salutem. Bona, inquam, undequaquè. Nec enim adeò stolidi erant hæretici, ut dicerent, per vera peccata (qualia sunt opera ex solo officio, seu objecto bona) hominem justificari. *Secundò*, quia supra laudati Pont. sequentes (inter alias) damnaverunt Baii prop. *Liberum arbitrium sine gratia, & Dei adjutorio, non nisi ad peccatum valet... Cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum habet, agnoscit... Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus: & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.* Quæ omnes propositiones (inquit M.Lemos to.3. p.2. pag.30. initiô) damnatæ sunt à C. Trid. & Arausicano citatis, quas etiam priùs S. P. Aug. damnavit. Et quidèm prima propositio nullam continet censuram in oppositam sententiam: solùm ergo damnatur ratione doctrinæ, quę eadem est ac reliquarum, nec multùm diversa apparet ab illa quam rejicimus, si fortè non est eadem, ut censent Tannerus, & Lessius.

183 Prob.3. ex Aug. apertè sentiente, Infideles bona illa undequaquè honesta, de quibus N. 180. fecisse ex solis naturæ viribus, & sine gratia superaddita, ut constat ex ratione, quam ibidem assignat, quia scilicèt, *non usqueadeò in anima humana, imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: Unde meritò dici possit, etiam in impietate vitæ suę, facere aliqua legis, vel sapere.* Et iterum: *Ipsi homines erant, & vis illa naturę inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & sapit; etsi non esset illa pietas quæ transfert in vitam æternam.* Prob.4. ex D.Th. hîc a.2. docente, propter eandem Aug.rat. hominem in statu naturæ corruptæ posse *per virtutem naturę suæ* aliquod bonum particulare agere. *Nec* refert, quòd exemplum afferat de operibus ad commoditatem naturæ, aut externam gubernationem, pertinentibus. *Non*, inquam, refert, quidquid Contensonus post Vazq. contendat, *tum*, quia loquitur de illis proùt deliberatè fiunt. Qualiter (juxta eundem) repugnat esse moraliter indiffe-

ren-

rentia in individuo. *Tum*, quia q.24.de veritate a.14.eandem doctrinam tradés, affert exemplum eleemosynæ,quam nemo dubitat esse moraliter honestam.

184 Prob. demùm rat.D.Th.hîc, quâ & reliquæ Concluſ.pp.demonſtrantur. Homo in ſtatu integritatis & innocentiæ poterat per ſua naturalia & cum ſolo generali Dei concurſû omne bonum morale, ſuæ naturæ proportionatum, velle, & operari: ergo & poſt lapſum poteſt ſimiliter aliqua hujuſmodi, ut colere parentes, egenis ſubvenire, & alia id genus facilia,cùm naturalis illa propenſio in bonum honeſtum rationi conſonum, non fuerit penitùs extincta per peccatum, ſed ſolùm debilitata, & infirmata juxta Trident.ſeſſ.6.can.5. infirmus autem poteſt per ſe ipſum aliquem motum habere, tametſi moveri non poſsit motû hominis ſani, niſi auxiliô medicinæ ſanetur. Liberum igitur arb. quia non eſt extinctum, poteſt aliqua bona moralia operari; quia verò læſum, ſauciatum, vulneratum, non valet quæ difficilia ſunt. Unde mediò modô ſe habet inter ſanum, & extinctum, ut docet Trid.ſeſſ. 6. cap.1. *Jam* autem dictum eſt N.181. ad adæquatam operis honeſtatem non requiri, quòd referatur in Deum per amorem illîus, ex ſe enim in illum cenſetur relatum, niſi in pravum finem ab operante poſitivè referatur; objectum enim, quod reſpicit, in ultimum finem ex ſe refertur. Quô præcluditur Ariminenſis evaſio. Vide M.Lemos, ubi ſuprà à pag.17.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

185 Opp. 1. cum Bajanis, & Queſnelliſtis cont. 1.p. Aug. ſæpè aſſerentem, omnia quæ ſine charitate à nobis efficiuntur, eſſe peccata, nec aliquid ſine illa, præter peccatum, effici poſſe. Et loquitur de charitate diffuſa in cordibus noſtris, ut conſtat (innumeris aliis omiſsis) ex illo cap. 3. de Sp.& litt. *Nec liberum arbitrium quidpiam,niſi ad peccandum, valet, ſi lateat veritatis via, & cùm id quod agendum, & quò nitendum eſt, cæperit non latere, niſi etiam delectet & ametur, non agitur, non vivitur benè, non ſuſcipitur, ut autem diligatur, Charitas Dei diffunditur in cordibus.* Quibus ultimis verbis ſermo eſt, non de amore virtutis in genere, ut vult

Vaz-

Vazquez, & approbat noviſsimè M. Manſus in ſummario propoſitionum Queſnelli propè finem; ſed de charitate diffuſa in cordibus noſtris, ut vel ſolâ grammaticali verborum conſtructione liquet, & optimè notat Illuſt. Godoy: ergo. *Reſp.* ſenſum eſſe, quòd reſpectû ad vitam æternam ſub ratione meriti, nihil ſine charitate poteſt liberum arbitrium, niſi peccatum, quô per demeritum recedit ab illa. Et ſic interpretanda ſunt alia CC. & PP. teſtimonia, ſiquę, ob ſimilitudinem verborum, in perverſum ſenſum detorquere nitantur Novatores, ſæpè enim imitantur falſos illos teſtes, eadem ferè Domini verba allegantes Matth. 26. ſed in diverſiſsimo ſenſu.

186 Opp. 2. cont. 2. p. cum Janſenio eundem Aug. præf. in Pſal. 31. dicentem: *Nemo computet bona opera ſua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit.* Et in Pſal. 167. *Ea quippè ſola ſunt bona opera, quæ fiunt per dilectionem Dei: Ad hoc autem neceſſe eſt, ut antecedat fides, quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, niſi prius credat in Deum.* Demùm l. 4. in Julian. c. 3. ubi idem oſtendit ex illo Apoſt. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ex quo infert, opera omnia infidelium eſſe peccata, & virtutes Philoſophorum non fuiſſe veras virtutes, ſed vitia. *R.* Aug. ſolùm velle, nullum opus ſine fide eſſe ſalutare, & ad vitam æternam perducens, vel conducens; homini quippè ad illam ordinato nihil aliud eſt abſolutè bonum; nihilque abſolutè malum, niſi ab ea abducens. *Scito* (inquit ult. locô objectô S. D. ſui interpres) *nos illud tantùm dicere bonum hominis, illam bonam voluntatem, illud opus bonum ſine gratia Dei à nemine poſſe fieri, per quod ſolùm poteſt homo ad æternum Dei donum, regnumque perduci.* Unde ibidem permittit Juliano dicere, bona quædam opera fieri per vires naturæ, modò fateatur, eſſe ſterilia ad vitam æternam.

187 Et hinc meritò infideles *ſteriles arbores* appellat, quia nequeunt fructum ſalutis afferre. Vocat autem *peccata* omnia infidelium opera, ab ipſis, quà talibus reduplicativè, ſeu ex errore fidei contrariô procedentia, cujuſmodi

eſt

eſt eleemoſyna v.g. in honorem falſi numinis. Ita etiam accipitur illud Apoſt. quod Aug. frequenter allegat: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Sic enim *intelligendum eſt* (inquit D.Th. lect.3.) *Omne quod eſt contra fidem, peccatum eſt, etſi ex genere ſuo bonum eſſe videatur.* Dùm autem veras virtutes Ethnicis Phil. negat, nomine *veræ virtutis* intelligit eam, *quæ* (ut ipſe ibidem ait) *liberandis & beatificandis hominibus deſerviat*, unde ſubdit: *Si ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis Chriſtus per fidem promiſit, nihil proſunt homini virtutes, non ſunt veræ virtutes.* Accedit quòd illorum opera, objectivè ſeu ex ſe honeſta, frequentiſsimè prava evadebant ex inani gloria, adeoquè habitus ex illorum iteratione productus, non virtus erat, nè naturalis quidèm, ſed vitium. *Quia* tamen poterant opera bona benè facere, & ſine ulla mala circunſtantia (nec dubium quin ſic aliquandò fecerint) meritò damnatus eſt Bajus univerſaliter aſſerens: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.* Nec opus eſt ſpeciali gratiâ ad hujuſmodi opera, quibus veræ acquirantur virtutes, ut perperam autumat Mag. Manſus. Nomine enim *divini muneris*, cui illas tribuendas eſſe aſſerit Aug. locô laudatô in Julian. intelligit Mag. Parens concurſum generalem, quem etiam ingratus ille negabat ad actum naturalem honeſtum. *Mitto*, quòd in locis objectis, non ſolîus fidei; ſed & charitatis influxum requirit Aug. unde neſcio quâ fronte illa objiciat Janſenius, apertè negans charitatis imperium, nè in prædamnatum Bajanum errorem impingat.

189 Opp.3. cum Greg. Vazquez, & Contenſono plura Scrip. Summorum Pontif. CC. & PP. teſtimonia, quibus inſinuari videtur, nullum opus bonum efficere poſſe hominem ſine gratia. Joan. 15. dicit Dominus: *Sine me nihil poteſtis facere.* Et Paulus 2.Cor.3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Similiter Cæleſtinus I. epiſt. ad Epiſc. Galliæ cap. 7. ait: *Nemo, niſi per Chriſtum, libero benè utitur arbitrio.* Et c.9. *Deus in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta cogitatio, omniſque motus bonus voluntatis ex Deo ſit*, quod & Sozimi prædeceſ-

ſoris ſui authoritate confirmat. Idem & Sacra CC. adverſus Pelagianos & Semipelag. ſæpè docuerunt, præſertim Carthag. can. 4. Arauſ. II. can. 9. in quibus diffinitum eſt, *gratiam Dei neceſſariam eſſe ad ſingulos actus*, quod & ipſe Pelagius (ut Auguſt. refert) in Conc. Paleſtino fateri coactus eſt. Idem denique paſsim docent PP. & maximè Aug. ejuſque præcipui Diſcipuli, Proſper, Fulg. Hilarius, Anſel. Bernardus, aliique, quos ad nauſeam adducunt Adverſarii.

190 R. his & ſimilibus teſtimoniis validè firmari concurſum prævium thomiſticum, ratione cujus omnia opera bona (etiam naturalia) in Deum tanquàm authorem referimus novô titulô, à RR. non probatô; quia non modò dat ſufficientiam ad actum, ſed movet præviè potentiam ad illum. Hic autem concurſus prævius, relatè ad actus noſtros naturales, dicitur *phyſica prædeterminatio*; ad ſupernaturales verò, vocatur *gratia ab intrinſeco efficax*, ſeu auxilium *quo*. Datô ergo, quòd non loquantur determinatè de operibus ſalutaribus (quod ex contextu apparet) ſed de omnibus actibus bonis universìm, dicendum eſt cum D. Th., quòd *opera noſtra, aut ſunt virtute naturæ, aut ex gratia Divina: Si virtute naturæ, cùm omnes motus naturę ſint ab ipſo Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moveri poteſt ſine ipſo: Si verò virtute gratiæ, cùm ipſe ſit author gratiæ, manifeſtum eſt, quòd nullum opus meritorium ſine ipſo fieri poteſt.* Sic exponit ſuper cap. 1. Joan. illud Chriſti: *Sine me nihil poteſtis facere.* Et eôdem modô interpretatur in 2. d. 28. q. 1. a. 1. ad 1. & 2. objecta Apoſt. verba, *Non quòd ſufficientes ſumus, &c.* dicens: Quòd ſi illud *aliquid* ſit bonum morale, non ſumus ſufficientes ſine generali Dei concurſû; ſi verò ad vitam æternam conducens, non ſumus ſufficientes ſine ſpeciali concurſu ſpecialique gratia; & tandem q. 24. de verit. a. 14. utramque interpretationem tradit: *Ad ea* (inquit) *quæ ſunt in contrarium, patet ſolutio; quæ, vel procedunt de bono meritorio, vel oſtendunt, quòd ſine operatione Dei, homo nullum bonum facere poteſt.* Quid amplius quærit Contenſonus? Quid apertius? Qui inculcatius?

Ad

191 Ad reliqua test. cùm eandem resonent sent. eâdē utrâque interpretationē occurrendum est. Et quidem prima traditur ab ipso Conc. Arausi. 2. can. 7. his præclarissimis verbis: *Si quis dixerit, hominem per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem portinet vitæ æternę, cogitare ut expedit, aut eligere posse, hęretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio, sine me nihil potestis facere: & illud Apostoli, non quòd idonei sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* In utroque igitur ordine verificantur verba Christi. Apost. Pont. CC. & PP. quia in utroque dependemus à Deo, gratis & liberaliter dante sufficientiam, & actum, quem (suppositâ illâ) potest denegare. In ordine quidem supernaturali, confert posse seu sufficientiam donando gratiam supernaturalem evehentem, quam *sufficientem* vocamus; dat autem actum salutarem aliâ supernaturali gratiâ, quâ ad illum nos adjuvat & applicat. In ordine autem naturali, post donatum liberum arbitrium, quò possumus operari conformiter ad rationem, donat & actum, prævie ad illum movendo; nec enim confert nobis posse ad eliciendum actum independenter ab ipso aut ejus providentia, hoc enim posse creaturæ repugnat.

192 Hæc autem gratia, supponens sufficientiam ad actum naturalem, non est salutaris, acproinde, non est dicenda *theologica*, nisi fortè nomine *gratię theologicæ* intelligatur gratia requisita à PP. contra Pelagium; hic enim negabat, & gratiam supernaturalem dantem sufficientiam ad opera salutaria, & insuper omnem gratiam superadditam sufficientiæ in utroque ordine, quantunvis specialis non sit, sed concursus generalis, ut docēt Abulen. Lesius, Bellarm. Tannerus aliique, & apertè constat ex verbis Hieron. epist. ad Ctesiphontem: *Audite quæso* (inquit) *audite sacrilegum* (Pelagium scilicèt) *Si inquit, voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, sputa jacere, &c. semper mihi auxilium Dei necessarium erit?* Quam interrogationem tanquàm absurdam extemplò confūtat S. D. *Audi ingrate, imò sacrilege Apostolum prædicantem, &c.* Negavit ergo Pelagius Dei concursum ad operationes naturales & politicas,

id

id quod idem Hieron. iterùm asserit lib. 1. contra Pelag. initiô.

193 Hinc legitimam accipiunt intelligentiam quædam asserta, quæ in hac materia circunferuntur ex Scrip. CC. & PP. ut optimè ostendit M. Bolivar. dub. 2. §. 6. sufficiat, præter dicta, unum, aut alterum indicare. Infertur ergo, ad singulos actus necessariam esse gratiam Dei, non solùm ut faciliùs fiant (quod concedebat Pelagius) sed ut simpliciter fiant, quod negabat. *Infertur* præt. verum esse id quod Aug. sæpè repetit, nempè, *hominem ex se tantùm valere ad peccatum*, quod sanè coincidit cum illo C. Arausc. can. 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*; quia scilicèt lib. arbitrium non habet sufficientiam, seu posse ad actum bonum non donandum à Deo; seu quia talis sufficientia est indigens aliô, sine cujus opê impossibile est, existere actum bonum: ex se autem est potens ad peccatum, cujus solus est prima causa, cùm à Deo esse aut dependêre non possit. Vide M. Lemos ubi sup. n. 83. Propositio autem Baii nempe: *Liberum arbitrium, non nisi ad peccatum valet*, jurè damnata est in sensu ab illo intento: negabat enim libero arb. sufficientiam, seu potentiam antecedentem ad actum bonum: negabat etiam sufficientiam ad actus salutares in homine non adimplente præceptum. Prop. autem Aug. & C. solùm denotat impotentiam consequentem, ac si dicerent: *Impossibile prorsus est, liberum arb. elicere actum bonum, sine gratia, superaddita ejus sufficientiæ*; licèt enim habeat sufficientiam, est tamen sufficientia creata, indigens aliô, & impotens conjungere actum cum carentia ulterioris gratiæ à sufficientia.

194 Opp. 4. ad idem. Nam Ecclesia pro omnibus bonis operibus Deum orat, eique, illis peractis, gratias agit. R. Ecclesiam postulare à Deo bona moralia proùt ad salutem conducentia. *Dato* autem, illos absolutè postulare, dicendum, illos liberè à Deo conferri, quod sufficit ad orationem & gratiarum actionem, oratio enim ut sic non probat gratiam strictè sumptam, sed solùm quando applicatur ad res excedentes donum creationis, & efficaciam na-

tu-

turalium virium, qualiter Aug. invictè ex oratione adversus Pelagianos ostendebat necessitatem specialis gratiæ ad surgendum à peccato, & ad benè operandum in ordine ad vitam æternam.

195 Opp.5. Actus entitativè naturalis honestus, si per charitatem ordinetur in ult. finem supern. requirit gratiam salutarem dandam per Christum: ergo. *Præt.* Voluntas hominis lapsi, nedùm est ad bonum & malum indifferens, sed etiam magis est ad malum, quàm ad bonum propensa, nam *in natura corrupta prævalet inclinatio concupiscentiæ, quæ in homine dominatur*, ut ait D.Th.2.2.q.136.a.1. ergo: *Ad* 1.N.conf. Non enim præfatus actus gratiam requirit salutarem ratione suæ bonitatis moralis, quæ naturalis est; sed ratione valoris & dignitatis quam à gratia & charitate extrinsecùs derivat. *Ad* 2.N.conseq. cùm enim major illa propensio in malum non tollat, quanvis minuat, naturalem inclinationem in bonum rationi consonum, potest homo lapsus ex viribus naturæ aliqua hujusmodi bona opera elicere.

196 Opp.6. cum Contensono. Ex præcepto charitatis tenemur omnia nostra opera in Deum, ut in ultimum finem, referre, saltèm virtualiter: ergo ad bonitatem moralem operis requiritur quòd operans, finem ult. intendat, quod sine salutari gratia præstare non potest. *Hoc* arg. si quid probat, convincit, ad honestatem moralem necessariò requiri influxum fidei, & charitatis imperium, quod in Bajo, & sequacibus Jansenistis & Quesnelistis anathematizavit Ecclesia. Patet sequela, cùm enim finis ultimus hominis sit supernaturalis, nequeunt opera nostra in illum ordinari sine fidei directione & charitatis imperio. *Resp.* ergo N.ant. Cùm enim præceptum charitatis sit affirmativum, obligat quidèm semper, at non pro semper: Sufficit ergo ad honestatem moralem operis ex objecto boni, quòd illud non referatur ab operante in finem pravum, aut aliâ malâ circunstantiâ vitietur (ad quod sanè pro semper tenetur) nam hôc ipsô, tale opus sponte sua tendit in Deum totius honestatis fontem & finem, saltèm virtualiter & inter-

pretativè, ut sæpè diximus: non secùs ac lapis in centrum, nisi violenter extra illud detineatur, aut impellatur.

197 Opp. tandem ad probandum, requiri auxilium speciale intra naturæ ordinem: Homini lapso non debetur auxilium ad honestè operandum: ergo. Prob. ant. *tum*, quia cùm sit indifferens ad bonum & malum, non potiùs unum, quàm aliud, illi debetur. *Tum*, quia aliàs non sine injuria illi denegaretur. *Tum*, quia neutiquàm posset Deus illud denegare in casu, quo teneretur homo actum elicere, aliàs omissio peccaminosa tribueretur Deo, non conferenti auxilium debitum & aliunde necessarium ad actûs præcepti elicientiam. *Tum* demùm, quia auxilium collatum homini justo ad actus salutares ad quos expeditus est, censetur semper gratia specialis: ergo & auxilium quod datur homini lapso ad actus naturales honestos, quantunvis ad aliquos sit expeditus.

198 N. ant. Ad 1. prob. R. quòd licèt indifferenti, non unum potiùs extremum, quàm aliud, sit debitum semper & pro omni operatione; aliquando tamen & pro aliqua operatione debetur. Et sanè argumentum probat, quodlibet auxilium esse in omni statu gratiam specialem. *Ad* 2. N. ant. Quia, cùm non omni homini, nec semper & ubiquè, debeatur, sæpissimè absque ullâ prorsus injuria denegatur; & quanvis aliquibus in quibusdam occasionibus sit debitum, juxta providentiam generalem; nullam tamen, illud denegando, inferret injuriam Deus, qui, ut Aug. ait, reddit debita nulli debens. *Ad* 3. N. ant. & prob. imò hujus suppositum, nimirùm, quòd auxilium deberetur homini instante præceptô, cùm enim debitum conferendi auxilium ad actum honestum, nec aliquem hominem, nec aliquem actum bonum determinatè respiciat, sed aliquos vagè, non debetur huic homini ad hunc actum, de quo hîc & nunc instat præceptum. *Ad ult.* Dist. ant. Censetur semper gratia specialis, absolutè, & in ordine ad naturam hominis, cui confertur, C. reduplicativè, & in ordine ad statum gratiæ, in quo est justus, N. ant. & conseq.

199 Ut aliis arg. occurras, scito 1. quòd, quia concursus

sus ad actum honestum, non huic aut illi individuo naturæ debetur, sed naturę ipsi; ideò collatus huic individuo præ alio, dici potest *gratia specialis*, non absolutè, sed respectivè. *Secundò*, quòd bona debita naturę, & quę dantur per providentiam generalem, misericorditer nihilominùs conferri dicuntur, juxta illud Psal. 24. *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas.* *Tertiò*, condonationem, quâ Deus pro sua benignitate voluit, non omnes pœnas ab homine per peccatum promeritas, illi infligere, gratiam specialissimam fuisse, illâ tamen suppositâ, concursus ad bonum morale ordinis naturæ, gratia specialis non est. *Demùm*, hanc causalem esse veram: *Quia in Angelo pro primo instanti non erat potentia ad peccandum, debebatur ei auxilium ad bonum*; non autem econversò: nam etiamsi deberetur tale auxilium, cùm istud, nec det, nec auferat posse, sed omninò supponat; inferre non posset impotentiam peccandi pro illo instanti.

DUBIUM II.

Utrum possit homo diligere Deum Authorem naturæ super omnia, dilectione completè efficaci sine speciali gratia naturali, aut supernaturali?

200 SUpp. 1. diversitatem statuum naturæ humanæ, traditam suprà N. 164. *Secundò*, communem distinctionem amoris divini in naturalem & supernaturalem, quàm assignat D. Th. hîc a. 3. ad 1. & inficiatus est Bajus propositione 34. inter damnatas. *Tertiò*, divisionem amoris naturalis Dei in inefficacem (qui est quædam velleitas, seu simplex complacentia de bonitate Dei, compatibilis cum peccato lethali) & efficacem, seu super omnia, efficaciter repellentem quidquid divinę bonitati adversatur, simulque imperantem impletionem totius legis naturæ. *Quartò*, subdivisionem amoris efficacis, penès efficaciam incompletam, & completam. Primam habet dùm ordinat

in Deum omnia hîc & nunc occurrentia, non autem omnia ſimpliciter ordinabilia, quod proprium eſt completè efficacis, qui, ſi parum duret, vocari ſolet *affectivè* efficax, ſi verò diù perſeveret, *effectivus*. His ſuppoſitis,

201 Certum eſt ex Trident. quòd ad dilectionem Dei ſupernaturalem, ſupernaturali opus eſt gratiâ. *Deinde* certum eſt, in nullo ſtatu egêre hominem ſpeciali gratiâ ad amorem naturalem Dei inefficacem, aut etiam incompletè efficacem; uterque enim eſt voluntati proportionatus, tàm phyſicè, quàm moraliter, cùm verſetur erga bonitatem divinam, valdè allicientem ad ſui amorem; nec difficile ſit, pauca & facilia in Deum ordinare, quod ſolùm requirit incompleta efficacia. *Tandem* certum eſt, hominem in ſtatu innocentiæ & integritatis, potuiſſe Deum Authorem naturæ ſuper omnia, ſeu efficaciter completè diligere ſine ſpeciali gratia: nam ſic Deum diligere, eſt homini connaturale, quia naturali appetitû vel amore quælibet res amat ſuum bonum propter bonum commune totîus univerſi, quod eſt Deus, qui omnia ad ſuum amorem convertit, ut ait Dionyſius.

202 Prima concl. *Homo lapſus nequit Deum authorem naturę ſuper omnia diligere dilectione plenè efficaci ſine ſpeciali gratia naturali, aut ſine habituali, ut principio elevante (attenta Dei lege) ſi mortali peccato ſit infectus.* *Quoàd* 1.p. eſt com. cont. Scot. & quoſdam antiquos, Molinam, nónulloſque modernos. Traditur autem expreſsè à D. Th. hîc a. 3. ubi, prę-ter auxilium Dei moventis, ſeu generale, requirit auxilium gratiæ naturam ſanantis, ſeu ſpeciale. Prob. rat. *tum*, quia rebellio appetitûs veluti recurvi & inclinati in bonum privatum, valdè difficilem reddit præfatum amorem, ſufficientem imperare totîus legis naturæ obſervantiam, & hujus efficax propoſitum includentem. *Tum*, quia licèt natura infirma valeat propriis viribus, & cum ſolo concurſu Dei generali, aliquod opus bonum efficere; ſecùs præſtantiſsimum quod natura ſana & integra elicere poteſt, qualis profectò eſt amor de quo loquimur.

203 Quoàd 2. verò p. nimirùm, talem gratiam eſſe ordi-

dinis naturę, est frequentior cont. Ill. Alvarez, Zumelem, Curielem, Contensonum, aliosque, existimantes, dilectionem efficacem Dei Authoris naturæ, non posse non esse entitativè supernaturalem in statu lapsûs. Prob. autem evertendo fund. Contrar. Possibilis est in hoc statu lapsûs amor purè naturalis Dei, non obstanti elevatione ad finem supernaturalem. *Tum*, quia aliàs nulla prorsus esset, rebus ut nunc, distinctio illa duplicis amoris Dei, naturalis, scilicèt, & supernaturalis, adeoque vera esset propositio damnata Michaëlis Baii. *Tum*, quia homò in statu integritatis (in quo elevatus utiquè erat) poterat Deum super omnia diligere amore purè naturali, utpotè propriis viribus elicitô cũ solo Dei moventis auxiliô, seu generali, ut in præsenti docet D. Th. *Tum*, quia virtutes morales acquisitæ, coëxistentes in justo cum infusis, proprios (seu naturales) eliciunt actus, ut ostendimus to. præced. à N. 665. *Tum*, quia cognitio naturalis Dei auth. naturæ, permanens in homine elevato, sufficiens est naturalem Dei amorem regulare; illumque profectò regularet in homine gentili, cui non esset propositum Evangelium, adimplente prçceptum, quô obstringeretur, diligendi Deum super omnia, non obstanti elevatione comprehendente omnes, juxta hanc providentiam: ergo.

204 Quoàd ult. traditur à Sapientiss. Mag. & Antecess. meo Joanne Bap. Escuder, optimè conciliante sententias Illust. Godoy & M. Bolivar, in speciem oppositas. Et quidem, non exigi in eo casu gratiam habitualem, attentâ naturâ rerum, prob. Quia amor ille naturalis, de quo est lis, nec est forma justificans (id enim & supernaturali negatur in Tract. de Justif.) nec subjecto præbet effectum aliquem cum peccato mortali incompossibilem, solùm enim reddit hominem actualiter conversum ad Deum auth. naturæ; quæ conversio omninò compatibilis est cum aversione habituali peccati lethalis: cum quo proinde neutiquàm incompatibilis est amor ille: ergo ad istum non requiritur gratia habitualis, nequidem ut principium expediens, attentâ naturâ rerum.

Quòd

205 Quòd autem desideretur, attentâ Dei lege, prob. quia per hanc obstringitur homo lapsus ad frequenter eliciendos supernaturales actus, & maximè ad amorem Dei, quos nisi eliciat, legem naturæ diù servare nequit: unde per istos expediri debet ad servandam illam: cùm ergo ad connaturalem elicientiam actuum supernaturalium, habituali opus sit gratiâ, necessaria erit ista tanquàm principium expediens ad legis naturæ observantiam, quam amor, de quo disputamus, includit. *Homo* igitur ille ad talem amorem, eget *primùm* speciali gratiâ naturali, tanquàm principiô per se in illum influente: *Deinde* gratiâ habituali, tanquàm principiô expediente ad diuturnam totîus legis naturæ observantiam: *Demùm* auxiliante supernaturali, ad eliciendum supernaturalem, quô ad gratiam habitualem se disponat. *Quòd* si homo in statu lapsûs, sit Deo gratus, solâ gratiâ speciali naturali opus habet, ob appetitûs rebellionem, & difficultates in eo manentes.

206 Concl. 2. *Homo in puris naturalibus conditus indigeret, ad præfatum amorem, gratia speciali, de ordine tamen naturæ.* Est ferè com. cont. Ill. Alv. Greg. Mart. & Montesinos, solum auxilium generale requirentes. Prob autem facilè ex dictis: Esset quippè in eo statu appetitûs rebellio, quanvis non esset pœna, sed naturæ conditio, juxta dicta N. 165. nec enim esset tunc subjectio appetitûs; cùm hæc pertineat ad integritatis donum, quô nudus tunc esset homo, quanvis non spoliatus: Subsisterent proinde difficultates illæ, perfectissimum divini amoris actum retardantes, ad quas declinandas speciali, in ordine naturæ, opus est gratiâ. *Præt.* Quia talis amor importat efficacem intentionem & electionem observantiæ totîus legis, requirentis utiquè gratiam specialem: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

207 Opp. 1. cont. 1. p. concl. Potest quis ex solis naturæ viribus mori pro patria, vel pro parentibus: ergo potiùs pro Deo; acproinde illum super omnia diligere. *Præt.* Intellectus potest naturaliter cognoscere, Deum ut Authorē naturę, esse super omnia diligendum: ergo & voluntas, &c.

Ad

Ad 1.N.ant. cùm enim talis actus sit heroicus, & arduus, speciale requirit auxilium ordinis naturalis ut minimùm; nec oppositum aliquando dixit Anſel. ut quidam autumant: dixit quidèm, *posse hominem, nè mendacium dicat, mortem subire*; non tamen dicit, *id posse solis naturæ viribus. Dato* autem ant. R. disp. esse, *tum*, quia est magis separatus à sensibilibus, quæ efficatiùs nos movent. *Tum*, quia dilectio Dei efficax imperat totîus legis naturæ impletionem; secùs dilectio creatorum bonorum. *Ad* 2. Dist.ant. Quasi speculativè,C. Practicè sic diligendum hîc & nunc proponendo,N. Hoc enim judicium eandem requirit gratiam ac actus quem regulat, juxta dicta N. 170.

208 Opp.2. cont.2.p. ejusdem. Suppositâ elevatione, implicat quòd aversio à Deo authore naturæ, non sit aversio ab illo ut authore gratiæ: ergo idem de amore dicendum est. *R.* omissô ant. disp.esse, quia ratio authoris naturalis,est (juxta captum nostrum) fundamentum rationis authoris supernaturalis: recedens autem à fundamento, eo ipso à fundato recedit; sed non continuò accedit ad istud, qui ad fundamentum accedit. Porrò, conversio & aversio se habent ad modum accessûs, & recessûs. *Si dicas.* Inter Deum, ut est author naturæ, & ipsum, ut est autor gratiæ, est connexio infallibilis: ergo dilectio affectivè dans esse Deo, quà authori naturæ, dat illi affectivè esse, ut authori gratię: connexorum enim non stat unum (seu in re, seu affectivè) ponere, quin pari modô ponatur & aliud. *Dist.* ant. in esse entis,C. in esse objecti amoris,aut sub formalitatibus authoris in utroque ordine,N.Quippè licèt in re nõ possit esse entitas authoris naturæ absque entitate authoris superni; posset tamen esse author naturæ, quin esset de facto author gratiæ, si nempè, Angelos & homines absque elevatione ad finem supernaturalem creasset. Dilectio autem naturalis terminatur ad Deum, non sub conceptu entitatis (quâ ratione supernaturalis est) sed sub conceptu authoris naturę.

209 Opp.3.ad idem: Efficax dilectio Dei authoris naturæ,includit (saltèm indirectè) propositum efficax supernatu-

naturale adimplendi totam legem supernaturalem : ergo. Prob.ant. *tum*, quia includit propositum efficax placendi Deo in omnibus ad quæ talis homo tenetur ; suppositâ autem elevatione, tenetur placere illi in observantia legis supern. *Tum*, quia est dilectio Dei super omnia avertentia à Deo authore naturę , à quo sanè avertit transgressio legis supern. *N.* ant. Ad 1.prob. Dist.maj. In omnibus ad quæ tenetur ex vi legis naturalis directè,C.ex vi legis supern.aut naturalis indirectè N. *Ad* 2. Dist. ant. Super omnia directè avertentia à fine naturali,C.super omnia indirectè avertentia, N. Transgressio autem legis supern. indirectè solùm avertit à Deo authore naturę.

210 Opp.4. ad idem: Si possibilis foret talis amor merè naturalis in homine lapsô , duplici præceptô teneretur iste Deum diligere , naturali, scilicèt, & supernaturali ; sed hoc est falsum, *tum*, quia non est assignabile tempus instantiæ prçcepti naturalis dilectionis; *tum* , quia omittens dilectionem , instante præceptô , duplex incurreret omissionis peccatum , in confessione aperiendum ; cujus tamen nullus (quantumvis timoratus) mentionem in confessione facit. *N.maj.* Quia per dilectionem supern.diligitur Deus etiam ut author naturæ, & quidèm perfectiùs , quàm dilectionê naturali : unde opus non est istam elicere , nisi fortè in casu invincibilis ignorantię elevationis; tunc enim teneretur homo non ignorans Deum authorem naturæ , illum amare pro posse dilectione naturali. *Dices* : Ergo homo lapsus nullô obstringitur naturali prçceptô; quodlibet enim perfectiùs actû supernaturali , quàm naturali, adimpletur. *R.* disp.esse, quia homo lapsus præceptô supernaturali tenetur ad dilectionem supernaturalem , attingentem Deum etiam ut authorem naturæ ; ideoquè opus non est præceptô naturali : Dum autem tenetur subvenire indigenti , aut honorare parentes , non tenetur id præstare ex supernaturali motivo;ideoquè nô cessat naturale præceptum de prædictis operibus.

211 Opp.5. cum D.Godoy ad probandum , præfatam dilectionem exigere (attentâ naturâ rerum) gratiam habitua-

tualem, tanquàm principium expediens. *Tum*, quia D.Th. in hoc a. 3. requirit ad illam, in ſtatu naturæ corruptæ, *auxilium gratiæ naturam ſanantis*, quod nihil eſt aliud, quàm gratiâ ſanctificans; nec enim eſt ſermo de ſanitate à rebellione (cùm iſta permaneat) ſed à contagione culpæ, quam ſola gratia habitualis expellit. *Tum*, quia talis amor, cùm reddat hominem converſum ad Deum, incompoſsibilis eſt cum peccato habituali, avertente à Deo: cùm ergo iſtud expellere de ſe non poſsit, requirit gratiam habitualem, quâ tollatur. *Tum*, & præocupatur ſolutio, quia quanvis ſit converſio actualis, retractat nihilominùs converſionem præteritam ad creaturam, quâ retractatâ, ceſſat peccatum habituale, quod eatenùs perſeverat, quatenùs talis converſio non retractatur.

212 Ad 1.R. loqui D.Th. de auxilio illîus gratiæ ſpecialis ordinis naturę, quâ vires, per rebellionem apperitûs infirmæ, roborantur ad operandum tale bonum: unde *naturam ſanans* idem eſt, ac *naturam expediens*, & hâc *gratia ſuperaddita* (ſeu non debitâ) *naturalibus bonis*, dixerat, non indiguiſſe hominem integrum, ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia. *Ad* 2. conſtat ex dictis N. 204. *Ad* 3. (quô ibi dicta impugnantur) R.1. nimis evidenter probare, nimirùm, amorem illum naturalem eſſe formam juſtificantem, & tollentem peccatum habituale, quô nihil abſurdius. *R.*2. N.ant. Ad prob. Diſt.ant. Quatenùs converſio non retractatur, ſi Deus velit offenſam remittere, poſitâ retractatione, C. ſi ſecùs, N. & hoc omnes fateri tenentur; cùm certiſsimum ſit, offenſam non remitti aut tolli, niſi per gratuitam Dei condonationem.

213 Opp.6. ad idem: Quia aliàs infideles, & peccatores fideles, amorem illum interdùm elicerent; ſed hoc eſt falſum, tunc enim Deus illos amicabiliter redamaret; cùm tamen illos odiô habeat tanquàm inimicos, quia in peccato exiſtentes: ergo. *R.*1. N. maj. Requiritur enim gratia habitualis ex lege divina, licèt non ex natura rei. *R.*2. N. min. Datô enim, quòd infidelis Deum naturaliter diligeret, ob ignoratam invincibiliter prę fatam Dei legem, non con-

ti-

tinuò Deus illum amicabiliter redamaret, ut enim Deus dicatur & sit amicus amantis ipsum, opus est, quòd iste sine peccato lethali sit. Infidelis autem, quantunvis Deum naturaliter super omnia diligeret, in peccato suo remanêret, utpotè carens justificationis formâ,& dispositione ad illam, qualis esse non potest actus ille dilectionis, cùm sit entitativè naturalis. *Hinc* habes, quòd licèt pueri in limbo detenti, hujusmodi Dei amorem elicerent, non propterea essent naturaliter beati, quæcumque enim beatitudo secum fert carentiam miseriæ, & consequenter peccati.

214 Opp.7. cont.2. Nam homo in statu naturæ puræ teneretur ad præfatum amorem: ergo haberet ex vi providentiæ generalis quidquid requiritur ad illius elicientiam, quælibet enim obligatio supponit sufficientiam & posse. *Præt.* Juxta D.Th. 2.2. q.137. a.4. *Plerumque cadit in nostra potestate electio, sed non executio*: ergo quòd executio observantię totîus legis non esset in potestate hominis puri, specialemque proinde exigeret gratiam, non infert, idem dicendum de efficaci illius electione, quam includit amor quem versamus. *Ad* 1. omissâ solut. Godoy, & Ferre, R. cum Bolivar, & Escuder, specialem gratiam illam,non fore necessariam ad sufficientiam aut posse, quod integrũ supponere; sed ad actum duntaxàt, tanquàm ad illum applicans: Quia tamen impedimenta, actum retardantia, tolleret, dicitur gratia specialis; non secùs ac gratia requisita ad vincendam gravem tentationem, de quo infrà. *Tum* præterea, quia, non deberetur potentię,multum de se ad oppositum propensæ.

215 Ad 2. in quo dissolvendo multum, sed frustrà, insudarunt laudati MM. Godoy, & Ferre, R. plerunque quidem ita esse, quoties nimirùm, eligitur id quod non plenè est in eligentis potestate (ut in eligente v.g. perseverantiam finalem, cujus executio exigit auxilium se tenens ex parte Dei, quod imperari non potest per electionem perseverantię.)Nihilominùs ut inplurimùm verum est quod assumitur in 2. prob. concl. nempè, quòd si electio in nostra potestate sit, & executio est: Et sic contingit in diligente

na-

naturaliter efficaciter completè Deum, & habente propositum servandi totam naturæ legem; eligit enim id quod in sua potestate plenè positum est, talis siquidem amor de se habet vim & efficaciam ad imperandam totius legis observantiam, eamque in executione ponendam.

DUBIUM III.

Utrum ad observantiam totius legis naturæ quoad substantiam, indigeat homo lapsus speciali gratia?

216 SUpp. ex dictis, posse hominem lapsum quædam legis naturæ præcepta sine speciali gratia adimplere; potest enim efficere sine illa opera quædam moralia undequaquè honesta. *Supp.* prę. ut omninò certum, contra Pelagianos, in nullo statu posse hominem præcepta naturalia adimplere, quantùm ad modum operandi, ut scilicèt, ex gratia, meritoriè, ac fructuosè ad vitam æternam, ea adimpleat sine charitate & gratia sanctificante, quæ est principium meriti. His supp.

217 Prima concl. est affirm. comm. cont. Duran. & Scotum, traditur à D. Th. a. 4. & prob. *Tum* ex dictis: ostensum est enim, opus esse speciali gratiâ, post lapsum, ad servandum præceptum dilectionis Dei authoris naturę, quod est primum legis naturalis. *Tum* ex CC. Milevit. Afric. Arausic. & Trident. sess. 6. can. 2. anathematizantibus dicentes, *per Jesu Christi gratiam nobis non præstari, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.* *Tum* ex Aug. lib. de hęres. dicente, hoc pertinere ad hęresim Pelagianam, ut credant, sine gratia hominem posse facere omnia divina mandata. *Et sanè* (ut evasiones præcludamus) CC. & PP. loquuntur de adimpletione præceptorum naturalium quoàd substantiam, non autem de observantia supernaturalium, aut de fructuosa naturalium. *Nec* loquuntur de gratia generali, sed de speciali. *Primum* constat, *tum*, quia requirunt gratiâ, ob infirmitatem naturæ ex

pec-

peccato contractam : ergo illam non exigunt ad obſervantiam præceptorum ſupernaturalium, aut fructuoſam naturalium, ad quas profectò ſpeciali, in omni ſtatu, opus eſt gratiâ. *Tum*, quia juxta CC. & PP. illâ gratiâ indiget homo lapſus, quâ non indigebat integer, quæ ſolùm erat reſpectû adimpletionis naturalium quoàd ſubſtantiam. *Demùm*, quia alias eandem requirerent gratiam ad obſervantiam alicujus, ac omnium, ut patet. *Et hinc* liquet etiam ſecundum : quia indigentia gratiæ generalis, non ex infirmitate, ſed ex natura provenit ; adeoquè homini integro & infirmo communis eſt, & ad cujuſlibet præcepti adimpletionem, in quolibet ſtatu, neceſſaria : ergo.

218 Secunda concl. *Præfata gratia ſpecialis dat poſſe morale, & quodammodò phyſicum.* Sic Godoy, Ferre, Bolivar, & Eſcuder in Ms. Et quoàd 1.p. patet, quia impotentia moralis ad actum, nihil eſt aliud, quàm difficultas ad illum ; at voluntas habet maximam difficultatem ad obſervantiam totîus legis naturæ, &c. ergo gratia illam ſuperans, dat poſſe morale, ſeu facilitatem. *Quoàd* 2. verò p. prob. 1. ex D. Th. q. 24. de verit. a. 12. ad 13. dicente: *Aliquando poteſt* (quis) *contra habitum agere, licèt cum difficultate: non tamen manente habitu poteſt contingere, quòd diù maneat nihil ſecundum habitum agens* : ergo hominem lapſum operari aliquando contra impetum appetitûs, ad malum illum impellentis, difficile quidèm eſt ; ſed ſemper contra talem impetum operari non poteſt ; at impotentia contrapoſita difficultati, eſt phyſica : ergo. Prima conſ. tenet, quia potior eſt inclinatio appetitûs contra rationem, quàm habitûs vitioſi.

219 Præt. Phyſicè impoſsibile eſt, quòd homo lapſus, conſtans duabus naturis invicèm pugnantibus, poſsit ex propriis ita prævalêre, quòd ſemper amplectatur bonum honeſtum, in quod natura rationalis propendet, relictô ſenſibili, ad quod ſenſitiva inclinatur : ergo etiam eſt phyſicè impoſsibile, quòd homo lapſus, per ſolas vires naturæ, omnia legis naturalis præcepta adimpleat. *Diximus* talem gratiam conferre *poſſe quodammodò phyſicum*, quia homo lapſus caret viribus ad vincenda omnia impedimenta, præfa-

tam

tam adimpletionem retardantia, & hæc impotentia *phyſica* quodammodò dici poteſt, & non ſolùm *moralis*, quæ cum ſola difficultate recurrit. Habet nihilominùs homo lapſus, ad dictam obſervantiam, potentiam phyſicam antecedentem, ſumptâ potentiâ phyſicâ pro virtute contentivâ effectûs: verè etenim prœcontinet omnes actus adimpletivos præceptorum naturalium, cùm ſint entitativè naturales.

220 Tertia concl. *Ad prædictam legis naturę obſervantiam, ultra ſpeciale auxilium naturalis ordinis, requiritur in homine lapſo gratia juſtificans, ſeu habitualis, non quidem ex natura rei, ſed juxta hanc providentiam.* Supponit Concil. requiri ſpecialem gratiam auxiliantem intra naturæ ordinem; id quod omnes fatentur, & conſtat, quia etiam ſuppoſitâ gratiâ ſanctificante, eſt homini lapſo valdè difficile obſervare ex motivo honeſto naturali totam legem naturæ, ob remanentem appetitûs rebellionem: ergo. *Quoàd* 1. verò p. eſt com.cont.aliquos antiquos. Traditur à D.Th.a.8.docente, quòd homo in peccato mortali exiſtens, poteſt quidem ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundum aliquod tempus; *ſed quòd diù maneat abſque peccato mortali, eſſe non poteſt.* Prob. autem illius rat. Quia ratio ſubdi debet Deo, ſicut rationi appetitus inferior: ergo ſicut in iſto, rationi non ſubdito, neceſſe eſt, inordinatos contingere motus, ita & peccata in ratione, Deo non ſubjecta. *Præt.* Impoſsibile eſt, quòd habitualiter adhęrens creaturæ tanquàm fini ultimo, nunquàm juxta, ſed ſemper contra illum operetur: ergo & quòd totam legem obſervet gratiâ habituali privatus, ſeu in mortali exiſtens.

221 Quoàd aliam verò p.prob. contra D.Godoy, evertendo ex dictis N.204. ejus fund. Oſtenſum enim ibi eſt, dilectionem efficacem Dei authoris naturæ (quam obſervantia, de qua eſt lis, includit) non exigere ex natura rei gratiam ſanctificantem: ergo. *Præt.* Talis obſervantia non eſt metaphyſicè incompoſsibilis cum peccato lethali, homini quippè illô infecto conferre poteſt Deus, de potentia abſoluta, omnia & ſingula auxilia ad hujuſmodi obſervantiam exacta: ergo.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

222 Contra 1.concl. nihil objiciendum occurrit, quod ex dictis non posit facilè solvi. Opp. ergo 1. cont. 2. p. 2. Homo non servans totam naturæ legem, proculdubiò peccat: ergo habet posse physicum ad illam servandam, nemo enim peccat in eo quod vitare non potest saltèm potentiâ physicâ. *Resp.* D.Th. 3.contrag.c.160. his præclarissimis verbis: *Licèt ille qui est in peccato, non habeat hoc in propriæ potestate, quòd omninò vitet peccatum; habet tamen potestatem nunc vitare hoc vel illud peccatum; unde, quodcumque committit, non immeritò ei imputatur ad culpam.* Ex quibus liquet, quòd licèt peccator non habeat plenam potentiam physicam ad servandam totam naturæ legem, quia tamen illam habet ad singula illîus præcepta servanda, eô ipsô quòd aliquod non servet, peccat, quia quodlibet ex illis, proùt hîc & nunc servandum occurrit, physicè servare potest. De quo latiùs infrà, dum de impotentia vitandi omnia venialia erit sermo.

223 Dices: D.Thomam apertè docere oppositum in 2. d.28.q.1.a.2. ubi solutionem modò datam, sic refert. *Dicunt* (quidam quos exagitat) *quòd homo in peccato mortali existens, potest quidem hoc vel illud peccatum vitare, non tamen omnia, sicut etiam de venialibus dicitur: Dicunt etiam, quòd potest homo in peccato mort. existens, ad tempus vitare nè in peccatum cadat; sed non diù. Ista autem positio* (subjungit) *multipliciter apparet falsa.* Quod pluribus ibi probat: ergo. *Resp.* Cajet.Ferrar. & J.à S.Th. S.Doct. mutasse sententiam hîc, & 3.Cont.Gent. c.160.& q.24.de verit.a.12.Quanvis enim id non adnotet, pro more; satis superque manifestat, solvendo argumenta, quę in adversum ibi adduxerat. *Quia* tamen alii Thomistę hanc solut. non approbant, dicendum, nullam esse antilogiam, nec enim hîc negat potentiam physicam ad diù standum, constitutam per continentiam effectûs, quam in Sententiariis expressè concedit; sed solùm, stantem in viribus ad superanda impedimenta, quam nullibi admittit: Unde omnia consonant, nam potentiam physicam in primo sensu, ubique agnoscit; in secundo verò

rò sensu, ubiquè negat. Vide suprà N. 219.

224 Opp. 2. cont. 1. p. 3. Opus entitativè naturale, quale est observantia illa, non exigit gratiam justificantem: ergo. *Dist.* ant. Non exigit per se, & tanquàm principium eliciens, C. Per accidens, & tanquàm removens prohibens, N. Requiritur ergo gratia habitualis, quâ removeatur peccatum prohibens susceptionem auxiliorum exactorum ad illam observantiam. *Dices*: Homini existenti in peccato confert Deus auxilium supernaturale ad actum contritionis, quod quidem majus est omnibus auxiliis, ad observantiam totîus legis naturæ, exactis: ergo. *Præt.* Hujusmodi auxilia conferret Deus homini in pura natura existenti, qui amicus Dei nõ esset: ergo. *Ad.* 1. R. disp. esse, quia actus cõtritionis est ultima dispositio ad gratiam habitualem, secùs observantia totîus legis naturalis: unde illa exigere non potest gratiam in subjecto præsuppositam; benè tamen ista, non quidèm absolutè, sed ex suppositione peccati, quod solâ gratiâ sanctificante auferri potest. *Ad* 2. R. quòd homo ille non esset quidem Dei amicus, sed nec inimicus foret, secùs homo lapsus, gratiâ habituali privatus.

225 Opp. 3. cont. eandem. Quia aliàs posset homo certò scire, se esse in gratia, cùm scire possit, se nullum diù violasse naturale præceptum graviter obligans. *Præt.* Sequeretur, hominem conscium sui peccati gravis, tenêri de illo statim penitêre: esset enim illud, juxta dicta, occasio proxima in alia ruendi, quam sub mortali cavêre tenetur. *Nego* utramque sequel. primam quidèm, quia non potest homo scire, quantô tempore possit sine gratia habituali à præceptorum naturalium violatione abstinêre; & datô, quòd hoc sciret, non potest scire, se nullum præceptum violasse, juxta illud Pauli 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius, sed non in hoc justificatus sum.* Et illud Psal. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine.* *Et hinc* etiã secũda nulla est, quia non constat homini, quantô tempore, existens in mortali, possit à novis abstinere; quòd si certò sciret, imminêre morale periculum in alia labendi, teneretur ad pœnitentiam recurrere; non quidem ratione præcepti, sed ratio-

tione peccati vitandi.

226 Opp.4. cum Godoy cont. 2.p. ejusdem. Dilectio naturalis efficax Dei super omnia, requirit ex natura rei gratiam justificantem: ergo. *Præt.* Quia aliàs magis necessaria foret ad observantiam totîus legis gratia auxilians, quàm sanctificans; sed hoc adversatur CC. & PP. utramque gratiam æqualiter ad id requirentibus: ergo. *Ad 1.* N. ant. cujus falsitatem ostendimus N. 204. *Ad 2.* N. min. CC. enim, & PP. loquuntur juxta præsentem providentiam, & attentâ Dei lege, quâ ratione, tàm necessaria est gratia justificans, quàm auxilians. Non autem loquuntur attentâ naturâ rei, & de potentia absolutâ, qualiter auxilians magis necessaria est, quàm sanctificans.

DISPUTATIO III.

De necessitate Gratiæ ad vitandum malum.

DUBIUM I.

Utrum possit homo omnia collectivè peccata venialia vitare sine speciali gratia & privilegio?

227 EX dictis dub. præced. constat, quænam requiratur gratia ad diù vitanda omnia peccata mortalia, non enim stat diuturna legis impletio, sine diuturna vitatione mortalium. *Præt.* Fidê certum est, contra Jovinianum, posse justum venialiter peccare. *Constat* etiam, omnia necessaria ad nunquam mortaliter peccandum, à fortiori requiri etiam ad vitationem collectionis omnium venialium; plùs enim est vitare omnia venialia, quàm mortalia. *Insuper*, posse hominem lapsum singula peccata venialia vitare, aliàs non imputarentur illi, cùm nemo peccet in eo quod vitare non potest. *Certum* denique est, posse illum absque omni peccato veniali esse brevi

vi aliquô temporis spaciô, ut docet D. Th. 3.p.q.79. a. 4. ad 2. His suppositis,

228 Conclusio est neg. & fidê certa, *tum* ex Scrip. 2. Paralip. 3. *Nec enim est homo, qui non peccet.* Jacobi 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Prov. 24. *Septiès in die cadit justus.* *Tum* ex CC. Milevit. can. 7. & 8. & Trident. sess. 6. can. 23. diffinientibus, *Justum sine peccato veniali esse non posse: nec posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio.* *Concinunt* universi PP. & suffragatur ratio D.Th. a. 8. Nisi enim ex speciali privilegio extinguatur fomes, aut saltèm ligetur, quanvis possit homo singulos appetitûs sensitivi insultus reprimere, non tamen omnes; quia dùm uni resistere nititur, fortasis alius insurgit, nec semper ratio potest esse pervigil ad illos vitandos.

229 Secunda concl. *Hujusmodi Privilegium soli Beatissimę Virgini Deiparę fuit concessum.* Concl. quoàd partem affirm. est fidê certa, adversus Calvinum, ut constat ex Trident. sess. 6. can. 23. *Si quis* (inquit) *hominem semel justificatum dixerit ... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.* Nomine autem *Ecclesiæ*, Cætum PP. & Theolog. intelligit, quoniam inter Ecclesiæ decreta non id hactenùs fuerat relatum, ut optimè notat M. Sotus lib. 3. de nat. & gratia cap. 4. *Quoàd* negativam verò, *nulli scilicèt alteri Sanctorum fuisse concessum*, est cont. Galaminum, & Cath. simile privilegium tribuentes Jeremię, & Joanni Bapt. aliosque, illud asserentes Jacobo Minori. Est tamen adeò certa, ut universi Theologi (si Curielem, & Suarez excipias) oppositum variis censuris notent; & plures cum Lorca hęreticum absolutè pronuntient. Utut sit, prob. hæc pars, *tum*, quia Scripturæ, CC. & PP. expressè affirmant, omnes justos venialiter quandoquè peccasse, ut vidimus n. prœced. non licet autem excipere quempiam ab illa universali, absque fundamento in ipsis Scrip. CC. aut PP. *Tum*, quia Trid. solam Beatiss. Deiparam excepit; exceptio autem firmat regulam in contrarium: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

230 Opp.1.cont.1. Nullus peccat in eo, quod vitare non potest: ergo, vel non requiritur speciale privilegium ad vitanda omnia venialia, aut nullus illô carens, ea non vitando, peccaret. *Omissis* variis solut. videndis apud MM. Godoy, Ferre, & Bolivar. R. Dist. cons. Nullus, ea collectivè non vitando, peccaret, C. Divisivè non vitando, N. Ut enim homini lapso imputentur venialia peccata, seu horum non vitatio, satis est, quòd singula possit vitare, nec vitet: speciale autem privilegium, non ad singula vitanda desideratur, sed ad omnia: Nullus igitur tali privilegiô carens, potest aut tenetur ista vitare, sed illa: Adeoquè præceptum prohibens venialia, non collectionem respicit, sed singula; nec enim collectivè vitanda occurrunt, sed divisivè: quemadmodùm, & scandala omnes & singuli homines vitare tenentur, nec ullus illa inducendo excusatur, quia nimirùm, possunt singula vitare, qualiter vitanda se offerunt, quantunvis necesse sit, illa quandoquè (Domino testante) evenire.

231 Sic nodum istum perpetuò solvit D.Th. *Hujus motus singulos* (inquit hîc a.8.) *ratio reprimere potest* (& *ex hoc habet rationem peccati, & voluntarii,*) *sed non omnes.* Et suprà q. 4. art. 3. ad 2. *Non potest homo vitare omnes hujusmodi* (concupiscentiæ) *motus, propter corruptionem prædictam* (fomitis) *sed solum sufficit ad rationem peccati voluntarii, quòd possit vitare singulos.* Tertio cont.Gent. cap.160. *Licèt ille, qui est in peccato, non habeat hoc propria potestate, quòd omninò vitet peccatum, habet tamen potestatem vitandi hoc, vel illud peccatum: unde, quodcumque committit, voluntariè committit; & ita non immeritò ei imputatur ad culpam.* Postremò idem sæpè repetit q.24. de verit. a.12. nimirùm, in corp. & ad 1.7. & 10. & ad 7.& 8. in adversum. *Notanda* sunt autem verba S.Doct. in corp. illius art. *Patet ergo ex dictis* (inquit) *quòd nec liberum arb. tollimus cùm dicimus, quodlibet peccatum singulariter, liberum arbitrium posse vitare, vel facere: nec iterùm tollimus necessitatem gratiæ cùm dicimus, hominem non posse vitare omnia peccata venialia, quanvis possit singula vitare, etiam*

ha-

habentem gratiam, antequàm gratia perficiatur in ſtatu gloriæ, & hoc propter fomitis corruptionem. Subdit autem, hâc doctrinâ *verificari Doctorum ſententias, quæ circa hoc variæ videntur.*

232 Inſtabis nihilominùs 1. Collectio omnium venialium fit ex ſingulis omnibus : ergo qui poteſt ſingula omnia vitare, poteſt & collectionem. *Præt.* Homo neceſsitatem habens alicubi indeterminatè exiſtendi, quanvis liber ad exiſtendum determinatè hîc, vel ibi, nequit obligari ad nullibi exiſtendum, nec, ſi obligaretur, peccaret alicubi exiſtendo : ergo ſi homo lapſus neceſsitatem haberet in aliquod veniale indeterminatè incidendi, quantunvis liber ad ſingula vitanda, obligari non poſſet ad non peccandum venialiter, nec, ſi obligaretur, peccaret non obediendo. *Adhæc* : Si homo lapſus ſingula venialia vitaret, vitaret & omnia : ergo ſi poteſt ſingula, poteſt & omnia. *Demùm*: Non aliter Deus daret potentiam phyſicam ad omnia vitanda, niſi dando illam ad ſingula : ergo ſi de facto habet homo potentiam phyſicam ad vitanda ſingula, habet ad omnia.

233 Ad 1. Diſt. ant. Fit ex ſingulis, copulatìm ſumptis, C. ſeorſim acceptis, N. ant. & conſ. *Ad* 2. R. diſp. eſſe, quia licèt homo ſit neceſsitatus ad peccandum aliquandò venialiter ; non tamen ad ſemper ſic peccandum : Eſt autem neceſsitatus ad ſemper eſſendum in aliquo loco : hæc igitur neceſsitas major eſt illâ. *Ad* 3. N. conſ. quę evidenter inſtatur in vitatione ſcandali, & occupatione loci : quippè, ſi homines actû vitarent ſingula ſcandala, omnia profectò vitarent; ſicut & omnia occuparent loca, qui ſingula actû occuparent. *Communis* igitur defectus eſt, quia in actuali vitatione ſingulorum, non datur locus diſtinctioni penès collectivè, & diviſivè ; hęc enim eſt optima conſeq. *Vitat hoc, & hoc, & ſic de ſingulis : ergo vitat omnia collectivè.* Loquendo verò de potentia ſingula vitandi, locum habet diſtinctio: ideoquè à potentia vitandi ſingula, non tenet conſeq. ad potentiam vitandi omnia collectivè. *Ad ult.* Diſt. ant. Niſi dando illam ad vitanda ſingula, abſque neceſsitate cadendi in aliquod vagè, C. Cum tali neceſsitate, N. Potentia au-

tem quæ nunc datur ad vitanda singula venialia, conjuncta est cum necessitate cadendi in aliquod vagè. Sed Deus posset ampliorem conferre, nimirùm, sine prædicta necessitate in aliquod indeterminatè labendi.

234 Opp.2. cont.1.p. 2.quòd Beatiss. Deipara recitando dominicam orationem veraciter dicebat, *Dimitte nobis debita nostra*: ergo. *Præt.* Chrysost.hom.45. in Matth.docet, Sacratissimam Virginem ex inani gloria dixisse Filio in nuptiis, *vinum non habent. Demùm*, Aug.lib.novi,& vet. Test.c.12.ait, illam *in morte Domini stupore quodam dubitasse. Ad* 1.R. illa verba dixisse, non nomine propriô, sed Ecclesiæ. *Ad* 2. sic respondet D.Th. 3.p. q.27. a.4.ad 3. *Dicendum, quòd in illis verbis Chrysostomus excesit. Possunt tamen exponi, ut intelligatur, in ea Dominum cohibuisse, non inordinatum inanis gloriæ motum quantùm ad ipsam, sed id quod ab aliis posset æstimari.* In qua solutione consideranda est (ut Cajet.advertit) reverentia, modestia, sapientiaque tanti Doctoris. Ferre non potuit Chrysostomi dictum, nec tamen clamavit accusando, & exagerando; sed modestissimè dixit *excesit.* Sapientissimeque subjungit, verba ipsa reduci posse ad sanum sensum, quidquid Author senserit subticens. *Ad* 3.resp. ibidem ad 2. Augustinum, aliosque, per *gladium*, animam Virginis pertransiens, intellexisse dubitationem, non quidem infidelitatis, sed admirationis, dùm videret Filium & abiecta patientem, & mirifica patrantem.

235 Opp.2. cont.2.p. ejusdem, August. lib. de perfect. justitiæ c.ult. alibique docentem, *quòd qui tale principium alicui concederet, non multùm erraret, nec se audere eorum sententiam reprehendere. Præt.* De J.Bap. canit Ecclesia, illum in desertum fugisse, *nè levi saltèm maculare vitam famine posset*: ergo. *Ad* 1.resp. J.à S.Th. Aug. significare, illud non esse immediatè contra fidem, sed inferiori censurâ notandum: vel potiùs, quòd noluit Aug. de hoc plenè judicium ferre, sed indecisum reliquit. *Postquàm* verò Trident. solam Beatiss. Deiparam excêpit à regula universali Scrip. non trepidant aliqui, hæreticam reputare sententiam excipientem alios; quanvis alii mitiùs eam notent. *Ad* 2. Di-

cen-

cendum, minimè ex illo inferri, vitasse Baptistam omnia venialia; sed quæ *famine*, seu locutione, committi solent, officio Præcursoris specialiter repugnantia. Hujusmodi autem privilegium vitandi omnia venialia in aliqua determinata materia, non modò Præcursori, sed & aliis Sanctissimis Viris concessum piè creditur, ut Beatissimo Joseph, D. Benedicto, & Angelico nostro Doctori, de quo canit Ecclesia: *O munus Dei gratiæ, vincens quodvis miraculum! Pestifero superbiæ nunquàm persensit stimulum.*

DUBIUM II.

Utrum ad victoriam gravis tentationis indigeat homo lapsus speciali gratia?

236 TEntatio nihil est aliud, quàm *probatio*: unde sumitur in bonam, & malam partem: In bonam quidèm, pro probatione hominis, provocando ipsum ad bonum, qualiter Deus sæpè tentat justos, immittendo ipsis tribulationes, ut dùm patienter sustinent, appareat eorum virtus, in eaque proficiant, juxta illud Deut. 13. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum*: Et sic tentavit Abraham Gen. 22. *Sumitur* autem in malam partem, pro inductione ad malum, qualiter Deus *neminem tentat*, ut dicitur Jac. 1. sed tentatur sic homo à propria carne, à diabolo, & mundo: & in hoc sensu loquimur hìc de tentatione; quæ si vehementer inclinet ad malum, & retrahat à bono, per propositionem alicujus magni boni apparentis, vel magni mali imminentis, dicitur *gravis*; si secùs, vocatur *levis*: Quia tamen gravitas, vel levitas tentationis attenditur respectivè ad subjectum; contingere potest, ut sit gravis respectû unîus, quę respectû alterius foret levis, ut de metu diximus tom. pręced. n. 207.

237 Præmittendum est insuper, tentationem (seu levem, seu gravem) trifariàm vinci posse; faciendo scilicèt oppositum, aut ex motivo supernaturali, aut naturali ho-

ne-

nesto, aut ex pravo. Et quidèm certum est, nullam primô modô vinci posse sine supernaturali auxilio gratiç : tertiô autem modô, omnem sine ulla gratia superari posse; quanvis hoc potiùs sit inimico succumbere, quàm absolutè vincere; tunc enim incidit quis in unum laqueum, alium vitare cupiens. *Certum* prætereà est ex supradictis contra Greg. Vazquez, & Conten. ad victoriam levis tentationis ex motivo naturali honesto, specialem Dei gratiam non requiri; talis enim victoria est opus facile, non excedens physicè, nec moraliter, vires hominis, quantunvis infirmi. Unde inter proscriptas Baii propositt. hæc numeratur: *Non solùm fures sunt ac latrones, qui Christum viam veritatis, & vitæ negant; sed etiam qui dicunt, tentationi ulli sine gratiæ ejus adjutorio hominem posse resistere.* Pelagius autem (ut prædictorum deceptionem unô verbô detegamus) blasphemè affirmabat, posse nos sine Dei gratia taliter resistere tentationibus, ut victoria nostra placêret Deo, & æternô esset præmiô digna; *id quod mirum est* (inquit M. Sotus) *non attendisse Gregorium.*

238 Concl. *Homo lapsus nullam superare valet ex motivo honesto gravem tentationem sine speciali Dei auxilio.* Est com. cont. Scotum, Durand. Ricard. alioque veteres, asserentes, hominem lapsum, quamlibet, etsi non omnem, vincere posse ex prędicto motivo gravem tentationem sine speciali gratia. Omissis autem variis Scrip. CC. & PP. test. adduci solitis in favorem conclus. quia illam inefficaciter suadent (ut planè ostendit M. Bolivar. dub. 10. §. 2.) prob. rat. D. Th. sæpè insinuatâ: Homo enim per peccatum mansit infirmus, ejusque arbitrium viribus attenuatum, ob amissum integritatis donum: ergo indiget speciali auxiliô ad opus valdè difficile, quale est vincere inimicum fortem, graviter oppugnantem. *Præt.* Urgente gravi tentatione, prævalet inclinatio voluntatis in bonum sensibile, vehementiùs eam alliciens: ergo non debetur illi auxilium ad amplexum honesti, tepidè illam inclinantis, quô tentationem superet: ergo auxilium, quô ad victoriam eget, non debitum & generale est, sed speciale.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

239 Omiſsô argumentô, quô Vazq. ſuadêre nititur ex Scrip.CC. & PP. ſpeciale deſiderari auxilium ad victoriam cujuſvis tentationis, etiam levis; quia id minimè indicant, ſed unicè oſtendunt noſtram à Deo in operando dependentiam, & indigentiam divini auxilii ad rectè cogitandum, operandum, aut vincendum (quod ultrò fatemur, & pro viribus propugnamus, ut dictum eſt ſuprà à N.190.) *Opp.* 1. cum eodem ad idem. Omnis tentatio, etiam carnis & mundi, tribuitur diabolo tanquàm ſuperiori moventi, ut docet D.Th. exponens illud Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, &c.* ergo victoriâ cujuſvis tentationis, vincimus diabolum, hoſtem utiquè validum, & nobis longè potentiorem. Quòd ſi aliquandò non graviter tentet, ſpeciali Dei gratiæ tribuendum eſt: ergo. *R.* ad generalem ſuavem Dei providentiam ſpectare, quòd diabolum liget, nec permittat, quòd ſemper graviter nos oppugnet, cùm ſimus ad bonum, & malum indifferentes, & ad bonum innatè propenſi: ſicut ad eandem pertinet, quòd non ſinat diabolum operari omnia mirabilia quæ poteſt, nè turbetur ordo univerſi: unde quòd homo non graviter aliquando tentetur, naturæ ipſius debitum eſt; tametſi, ex ſuppoſitione quòd graviter tentetur, non debitum, ſed ſpeciale ſit auxilium exactum, ut vincat. Reliqua arg. ad idem, ſoluta manent ſuprà à N.197.

240 Opp.2.cont.concl. Homo in ſtatu purę naturæ, cùm teneretur gravi reſiſtere tentationi contra legem naturę, poſſet illam vincere, & quidèm abſque ſpeciali gratia, quam ſtatus ille excluderet: ergo & in ſtatu lapsûs. *N.ant.* quoàd 2.p. & prob. quâ ad illud convincuntur PP.Salmant. Nec enim ſtatus puræ naturę excluderet omnem gratiam, ſed ſupernaturalem duntaxàt. *Quòd* ſi Deus, de potentia abſoluta, hominem conderet in pura natura, puritate excludente quamlibet ſpecialem gratiam (etiam intra naturæ ordinem) poſſet quidèm homo ille, potentiâ antecedenti, tentationes illas vincere, non tamen conjungere actualem victoriam cum ſtatu illo, à quo per gratiam requiſitam ad

ta-

talem victoriam, extraheretur. Non autem repugnat, quòd homo in aliquo statu habeat potentiam ad aliquem actum, cujus existentia conjungi non possit cum illo statu; nullus quippè actus existere potest sine generali gratia, plures tamen elicere posset homo conditus in pura natura, puritate excludente omnem gratiam, etiam generalem.

241 Opp. 3. Succumbens gravi tentationi, potest illam vincere, alias non peccaret; sed nullam tunc habet gratiam specialem: ergo sine ista potest homo lapsus illam vincere. *Mirum* est quàm multis, & variis huic argumento occurrant Theologi, ut videre est apud Godoy, Ferre, & Bolivar. Nos autem breviter respondemus, gratiam specialem exactam ad vincendam gravem tentationem, non dare voluntati sufficientiam, ut vincat (alias non peccaret succumbendo) sed conferre duntaxàt actualem victoriam: Dat ergo hujusmodi gratia specialis posse morale expediens, & difficultatem tollens; non autem posse simpliciter: ideoquè imputatur lapsus, hâc deficiente gratiâ; impotentia enim moralis, difficultas quædam est, non impotentia simpliciter: Unde hæc propositio est vera: *Voluntas sine speciali gratia potest vincere gravem tentationem*; hęc autem falsa: *Voluntas potest vincere gravem tentationem sine speciali gratia.* *Ad* formam ergo C. totum. Vel Dist. cons. claritatis gratiâ: Potest, potentiâ antecedenti, C. consequenti, N.

242 Dices: Potenti potentiâ antecedenti, seu per modum actûs primi, in aliquem actum, est debitum aliquandò auxilium exactum ad illum: ergo si homo lapsus est sic potens ad victoriam gravis tentationis, erit illi quandoquè debitum auxilium ad illam; adeoquè non erit speciale. *Dist.* ant. Si potentia sit facilis, expedita, & propensior in actum, quàm in ejus oppositum, C. si secùs, N. ant. & cons. Potentia enim hominis lapsi ad victoriam gravis tentationis, non est facilis, sed difficultatibus plena, & pronior ad succumbendum, quàm resistendum: unde auxilium efficax ad victoriam, nunquàm est illi debitum, sed semper speciale.

243 Ex dictis colligitur 1. cont. Illust. Alvarez, præfa-

fatam specialem gratiam esse entitativè naturalem, cùm talis sit victoria, ad quam desideratur; & aliàs hæc facilior sit dilectionê efficaci Dei naturali, & composibilis, juxta omnes, cum peccato mortali: non igitur indiget supernaturali gratiâ, nè ut expediente quidèm (qualiter quidam illã exigunt ad præfatam dilectionem) eò quòd istam incompossibilem reputant cum peccato. *Collig.* 2. concl. loqui universaliter de homine lapso, quantunvis justo, utpotè etiam in isto remanet appetitûs rebellio, ex qua provenit debilitas virium. *Collig.* demùm, præfatam gratiam conferri nobis ex meritis Christi, quibus tribuenda est omnis specialis gratia, quantunvis naturalis sit.

DISPUTATIO ULTIMA.

De necessitate gratiæ ad finalem perseverantiã.

DUBIUM UNICUM.

Utrum ad finaliter perseverandum requiratur speciale donum, à gratia habituali, & à communibus auxiliis (eam concomitantibus) distinctum; & in quo formaliter consistat?

244 SUpp. 1. cum D. Th. hîc a. 10. perseverantiam trifariàm accipi posse: Primò pro habitu mentis, per quem homo firmiter stat, nè removeatur ab honesto per tristitias irruentes. *Secundò* pro habitu, quô homo proponit perseverare in bono usque in finem. *Tertiò* pro continuatione boni usque ad finem vitæ. Primô, & secundô modô, simul cum gratia infunditur: sicut & continentia & cęteræ virtutes. Hîc autem solùm loquimur de perseverantia tertiô modò acceptâ. *Quæ* rursùs dupliciter sumi potest, aut enim est brevis, aut diuturna: Et quidem,

si

si diuturna sit, certum est, specialem requirere gratiam, id enim ad minùs constat ex can. 22. sess. 6. C. Trident. *Si quis dixerit, justificatum, sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, anathema sit. Certum* prætereà est, aliquid à gratia habituali distinctum desiderari ad quamlibet finalem perseverantiam, quantunvis brevissimam, aliàs omnes gratiam recipientes, perseverarent in finem. His prænotatis,

245 Prima concl. est affirm. intelligitur de omni perseverantia finali, etiam pro brevissimo tempore, & prob. 1. ex modò laudato Trident. can. qui, cum sit propositio indefinita & doctrinalis, æquivalet universali; adeoquè intelligitur de omni justificato in finem perseverante. Et idem habetur ex C. Arausc. II. can. 10. dicente: *Adjutorium Dei, etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono possint opere perdurare.* Porrò, sermonem esse de auxilio speciali (nedùm absolutè, verùm etiam respectivè ad statum justificationis) vel inde constat, quòd Trid. can. 6. ejusdem sess. perseverantiam finalem *magnum Dei donum* appellat, post Aug. de bono persev. cap. 2. ubi pariter ait, *ipsam perseverantiam magnum Dei esse donum, quo cætera ejus dona conservantur.*

246 Prob. 2. rat. Quia pluribus datur gratia habitualis cum auxiliis illam consequentibus, ad benè operandum, & diù in bono persistendum, qui tamen finaliter non perseverant: ergo perseverantia finalis est donum speciale, à gratia habituali, & auxiliis eam concomitantibus, distinctum. *Pret.* quia suppositâ gratiâ, & auxiliis ei annexis, petunt justi finalem perseverantiam, tanquàm donum à Deo misericorditer & liberè conferendum; ut enim ex Cypriano observat Aug. in omni ferè petitione orationis Dominicæ perseverantia finalis postulatur, & maximè illâ: *Adveniat regnum tuum*, juxta D. Th. 3. contrag. c. 155. ergo. *Tandem* & urgentius. Quia quælibet finalis perseverantia est specialissimus & præcipuus prædestinationis effectus, & adeò proprius, ut convertibiliter se habeat ad illam, ut expressè docet Aug. de correct. & grat. c. 9. ergo est speciale

do-

donum, diſtinctum à gratia habituali, & communibus auxiliis ipſi adjunctis, quę, cùm communia ſint reprobis & electis, non ſunt, proùt ſic, prædeſtinationis effectus, ſed providentię generalis ſupernaturalis.

247 Secunda concl. *Perſeverantiæ donum conſiſtit in conjunctione gratiæ cum morte, ex efficaci glorificationis intentione.* Eſt com. & conſtat, *tum*, ex Auguſ. nihil aliud in parvulis vel adultis requirente ad perſeverandum, niſi deceſſum in gratia. *Tum*, quia per ſolum deceſſum in gratia diſtinguuntur perſeverantes à non perſeverantibus, cùm iſti plus gratiæ, & donorum habeant interdùm in hac vita, quàm illi. *Tum*, quia nihil aliud homini collatum in hac vita, infert infallibiliter gloriam, aut infertur ex illa: auxilia enim, quantunvis efficacia, illam ex ſe non inferunt, cùm plures, qui plurima habuerunt, damnati ſint: Nec ex gloriæ electione aut conſecutione infallibiliter inferuntur; ut patet in parvulis baptizatis ante uſum rationis decedentibus, Cælum utiquè ingredientibus; cùm tamen nullum hujuſmodi auxilium ſuſceperint: ergo.

248 Hinc habes, perſeverantiæ donum, non conſiſtere in indiviſibili, neque eôdem modô omnibus dari: Quandoquè enim ſalvatur cum ſola protectione Dei extrinſeca, ut in decedentibus ſtatim poſt acceptam juſtificationem, nullâ elicitâ operatione, acproinde nullô acceptô auxiliô intrinſecô operativô: Quandoquè verô (ſi operari, & tentationibus reſiſtere oporteat) conferuntur auxilia efficacia intrinſeca ad operandũ, & reſiſtendum, eò frequentiora & majora, quò diuturnior fuerit perſeverantia, & graviores tentationes. *Habes* inſuper ex dictis, donum perſeverantiæ non omnibus dari; nec enim omnes prædeſtinantur; datur tamen omnibus juſtis auxilium ſufficiens ad perſeverandum; *tum*, quia tenentur perſeverare, ſeu ad nunquàm ponendum obicem conſervationi gratiæ, juxta illud Apocalip. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem.* *Tum*, quia Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. ait: *Qui ſunt Filii Dei, Chriſtum diligunt; qui autem diligunt Deum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus; quod utiquè cum divino auxilio præſtare poſſunt.* Et can. 18. *Si quis dixerit, Dei*

præ-

præcepta homini, etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.

249 Habes tandem cont. Jansenium & sequaces, quòd etiam in Angelis, & Protoparentibus in statu innocentiæ, (ultra auxiliũ *sine quo non*, seu sufficiens, dãs posse perseverare in accepta gratia) fuit necessum ad actû perseverandum, auxilium *quo*, seu efficax, dans ipsam perseverantiam: Nam auxilium *sine quo non*, seu sufficiens, omnes illi acceperunt, aliàs non imputaretur lapsus (seu non perseverantia) non perseverantibus: ergo necessarium erat ad actû perseverandum auxilium *quo*, seu efficax, quod acceperunt Angeli Sancti, secùs mali, & Protoparentes: Ideoquè Aug. lib. 12. de Civit. cap. 9. loquens de Angelis ait, *Sanctos fuisse amplius adjutos, alioquin æquè cecidissent.* De Protoparente verò, sic loquitur lib. de correp. & grat. cap. 12. *Primo itaquè homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.* Et cap. præced. *Acceperat* (Adam) *posse quod vellet, sed non accepit velle quod posset.* Porrò prefatum auxilium efficax ad finaliter perseverandum, est speciale, cùm sit præcipuus prædestinationis effectus, etiam in Angelis.

250 Et hinc rejecta manet sententia M. Lafosse negantis cum Jansenio, in natura innocente, necessitatem auxilii efficacis, seu *quo*, ad operandum & perseverandum in justitia accepta: Quam opinionem vocat charactêrem suę Scholę Augustinianæ, & quam novissimè mordicùs partim rejicit, partimquè approbat M. Mansus q. 2. & 3. de distinctione utriusque statûs naturę innocentis, & lapsæ, asserens, necessarium quidem illud fuisse ad operandum, secùs verò ad perseverandum in bono accepto. Quorum primum planè ostendit; secundum verò (in quo à nobis recedit) neutiquàm, ut infrà patebit, dùm ejus fundamentum dissolvemus. Pro nunc autem juvat ejus æquivocationem detegere. Ex quo enim Thomistæ asserant ex Aug. & Thoma, sufficere interdùm ad perseverandum, protectionem Dei externam, nec requiri auxilium *quo* intrinsecum operativum (juxta dicta N. 248.) infert, nec fuisse istud necessarium ad

per-

perſeverandum in ſtatu naturæ innocentis: quaſi non oportuerit in eo Angelos & Protoparentes ſupernaturaliter operari, ad quod, vel ipſemet præfati auxilii neceſsitatem nobiſcum aſtruit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

251 Opp.1.cont.1.Ad perſeverandum finaliter in gratia, ſufficiunt gratia ipſa cum auxiliis, eam de lege ordinaria conſequentibus, & cauſæ naturales mortem inferentes: ergo non requiritur aliud ſpeciale donum. Prob.ant. Nam gratia cum prædictis auxiliis, ſufficit ad omnia peccata vitanda per aliquod tempus, intra quod poſſunt cauſæ naturales mortem inferre: ergo. *Prꝛt.* D. Th. probat in præſenti neceſsitatem ſpecialis gratiæ ad perſeverandum, quia talis deſideratur ad protectionem, & directionem hominis contra tentationum inſultus: ergo, iſtis deficientibus, illa non requiritur. *Ad hæc*: Si à juſtificatione ad mortem, nec gravis ſuperanda tentatio, nec obſervatû difficile occurrat præceptum, nihil ſupernaturale includet finalis perſeverantia, quô à non finali diſtinguatur: tunc enim, præter gratiæ conſervationem, ſolùm interveniret mortis eventus, & illîus cum gratia conjunctio, quorum primum generale eſt, ſecundum naturale, tertium nullam ſupernaturalitatem addit ad conſervationem gratię: ergo.

252 R. ad 1. N.ant. Ad prob. N.conſ. Nam licèt tunc non interveniat ſpecialis gratia auxilians, intervenit ſpecialiſsimum Dei donum, ſcilicèt, conjunctio gratiæ cùm morte, infallibiliter connexa cum gloriæ aſſecutione, & ex hujus efficaci intentione procedens. *Ad* 2. R. loqui D. Th. de perſeverantia finali diuturna, exigente prꝛfatum auxilium dirigens & protegens; quod etſi brevis perſeverantia non deſideret(ut ultrò fatemur) exigit nihilominùs (quantunvis momentanea) ſpecialem gratiam, ſi finalis ſit; quam non finalis (quamlibèt diuturna) non requirit. *Adde*, quòd nec breviſsimę finali perſeverantiæ deeſt divina protectio quaſi præſervativa, quatenùs Deus eâ intentione mortem immittit, ut hominem liberet à tentationibus, in ipſum, (ſi diutiùs viveret) ſurrecturis, juxta illud Sapientię 4.

Rap-

Raptus est, nè malitia mutaret intellectum ejus. Et illud Aug. de præd. Sanct. c.14. *Ad largitatem Dei pertinet, ut tentationum subtrahatur incerto.* *Ad* 3.Dist.ant.Nihil supernaturale intrinsecum,C.extrinsecum,N.nam finaliter perseverans, habet gratiam, ex specialissima providentia, cum morte conjungendam, & cum gloria connexam; secùs non perseverans: illud autem supernaturalis gratia est, tametsi extrinseca.

253 Sed dices: Potest Deus velle conjunctionem gratiæ cum morte,& non ex intentione gloriæ;cùm enim connexio gratiæ cum gloria, non sit essentialis, potest Deus decernere,non conferre gloriam perseveranti in gratia in finem & in æternum: ergo nulla tunc esset differentia perseverantis à non perseverante. *Præt.* Quilibet prędestinationis effectus, ut electus ex intentione gloriæ, æquè infallibiliter cum ista connectitur ac perseverātia:ergo,vel quilibet est specialis gratia,vel talis non est perseverantia. *Ad* 1.C. cons. Sed nihil inde contra nos; loquimur enim juxta hanc providentiam,in qua,media efficacia ad finē,non ponuntur in executione, nisi ex intentione efficaci finis. *Ad* 2. N. ant. Quanvis enim alii prædestinationis effectus, reduplicatâ intentione gloriæ (ex qua eliguntur) cum gloria connectantur, non tamen econversò, cùm eadem gloria esse posset sine illis; perseverantia autem finalis, juxta hanc providentiam, connectitur cum gloria, & econversò: Unde licèt alii prædestinationis effectus, sub illa reduplicatione, sint specialis gratia distinguens prædestinatum à reprobo, adhuc specialior est perseverantia.

254 Opp.2. ad idem: Gloria debetur gratiæ, in qua veluti fructus in semine continetur, juxta illud: *Gratia Dei vita æterna*: ergo continuatio & conjunctio gratiæ cum gloria, ex debito, & non ex speciali gratia, contingit; adeoquè perseverantia non est speciale donum & indebitum habenti gratiam. *N. cons.* Quanvis enim justus habeat jus ad gloriam, quandiù est in gratia; non tamen habet jus, ut usque ad mortem in gratia conservetur, seu ut morscum gratia conjungatur; in quo consistit magnum illud & spe-

cia-

cialissimum perseverantiæ donum, quod est præcipuus prædestinationis effectus: sicut ultimus reprobationis, est mori in peccato. *Ut* alia argumenta dissolvas, scito 1. ex D.Th. q.24. de verit. a.13. hanc propositionem esse veram: *Justus potest vitare omnia mortalia usque in finem*; istam verò falsam: *Justus potest perseverare usque in finem*: Quia nimirùm, terminus primæ potentię, est *vitatio*, quæ actus liber est; terminus autem secundæ potentiæ, est ipsa *finalis perseverantia*, quæ actus liber non est, sed donum Dei, à solo illo effectivè proveniens, gratiam cum morte conjungente. *Scito* prætereà, quòd *non perseverare* imputatur homini, quatenùs importat ponere obicem gratiæ; secùs, proùt dicit carentiam conjunctionis gratię cum morte: Quanvis enim possit homo talem conjunctionem impedire, non tamen causare; cùm illa, præter extremum ab homine dependens, importet aliud, ab ipso non dependens.

255 Opp. 3. ex M. Manso, ad probandum, non fuisse necessarium auxilium *quo* seu efficax in natura innocente, ad perseverandum in accepta gratia, in primis illud Aug. lib. de correp. & grat. cap. 11. *Ille* (Adam) *non opus habebat eo adjutorio quod implorant isti, cùm dicunt, video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę*; Sancti autem in statu lapsûs implorant, ad perseverandum, auxilium *quo*, seu efficax: ergo istud non fuit necessarium ad perseverantiam innocentis Adę. *Prę.* D.Th. 2.2. q.137. a.4. ad 2. ait ex Aug. ubi modò, quòd *primo homini datum est, non ut perseveraret, sed, ut perseverare posset, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quę perseverandi difficultatem prębe-ret: sed nunc prædestinatis per gratiam Christi, non solùm datur ut perseverare possint; sed ut perseverent.* Profectò, si auxilium *quo* denegatum Adæ, ad hujus perseverantiam necessarium fuisset, causalis illa, nempè, *quia nulla corruptio, &c.* indigna foret Angelico Doctore, perpetuò docente ex Aug. auxilium necessarium ad operandum & perseverandum, non nisi indignis, & se impedientibus (qualis non erat innocens Adam) denegari: ergo, nè doctrinam utriusque Magistri funditùs evertamus, dicendum est, præfatum

au-

auxilium (Adæ tunc denegatum) non fuisse ad perseverandum in accepta gratia necessarium.

256 R. ad 1. de mente Aug. in hac p. dubitari non posse, *tum*, quia totô illô libro de correp. & grat. & de dono pers. passim docet (ut objiciens ipse fatetur) *primo homini datum fuisse adjutorium perseverantię, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo perseverare non posset.* Et ibi multifariàm ex Scrip. probat, adjutorium *quo*, seu *quo Deus facit, non nisi ut perseverantes sint, esse donum Dei; nec fieri posse, ut homo sine illo perseveret; & quòd Adam illo de facto perseveraret, si illud accepisset, sicut nunc illo de facto perseverant prædestinati.* Profectò auxilium, quô habitô, perseveratur, & quô deficiente, non perseveratur, necessarium est ad perseverandum, ut ex terminis liquet.

257 Nec similiter fas est, in dubium vertere mentem Angelici Doctoris, qui *Augustinus contractus* jurè audit: nam 3. contrag. cap. 155. apertissimè ostendit quinque rationibus, hominem ad perseverandum in bono, indigêre divinô auxiliô *quo*, seu efficaci, & faciente perseverare. Quę quidèm rationes ęquè procedunt de homine etiam in statu innocentię, ut planè ostendit Venerab. Mag. Lemos lib. 4. p. 2. tract. ult. cap. 1. & 2. & cuilibet eas consideranti patebit. Sufficiat primam hîc adducere, quæ talis est: *Omne quod de se est variabile, ad hoc ut figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis; homo autem variabilis est, & de malo in bonum, & de bono in malum* (quòd manifestè verificatur de illo in statu innocentiæ & integritatis) *ad hoc igitur quòd immobiliter perseveret in bono, quod est perseverare, indiget auxilio divino.* Idem & 4. reliquæ evidentissimè ostendunt.

258 R. igitur ad 1. Aug. eô loci solùm voluisse, auxilium *quo* non fuisse necessarium naturæ innocenti ut sanarêtur, secùs ad perseverandum. *Ad* 2. pariter R. nihil aliud ex Aug. docêre ibi D. Th. Nec obstat illud utriusque Doctoris, nimirùm, *auxilium quo, necessarium ad operandum & perseverandum, non nisi indignis, & se impedientibus, denegari*: Quia locum non habet in Angelis, & Protoparentes; sed in eis, denegatio gratiæ efficacis ad operandum, in simpli-

cem

cem Dei voluntatem, & judicia ejus inscrutabilia, reducenda est, ut præter alios PP. vel ipse Aug. est author lib. 11. de Gen. ad litt. sic de Angelis malis loquens: *Sed potuisset Deus ipsorum voluntatem in bonum convertere, quia Omnipotens est: potuisset planè; cur ergo non fecit? Quia noluit; cur autem noluerit, penès ipsum est.* Imò, quamvis nunc tale auxilium, *quibus non datur, ex justitia non detur, in pœnam precedentis peccati*, potest tamen non dari ex simplici Dei voluntate; *non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo*; ut ait D. Th. in 1. ad Anibal. d. 41. a. 3. Quippè, *hoc ipsum, quod est non habere debitum, sufficiens ratio est non donandi*, ut loquitur q. 6. de pot. a. 2. ad 8. & 9. Ecquis autem dicat, tale auxilium necessarium non esse nunc ad perseverandum, quantunvis illud Deus, (ut potest) pro suo libito, & non ex justitia denegaret?

259 Causalem autem illam desumpsit D. Th. ex Aug. loco nobis objecto dicente: *Fortissimo* (Adæ innocenti) *dimisit atque permisit facere quod vellet, infirmis servavit, ut ipso donante, invictissimè quod bonum est vellent & hoc deserere invictissimè nollent*, ut nimirùm appareret quid posset liberum arb. sine adjutorio Dei: *Quid valeat liberum arb. non adjutum* (inquit cap. 8. de cant. novo) *in ipso Adam demonstratum est: ad malum sufficit sibi; ad bonum non, nisi adjuvetur à Deo*: Causalis autem utriusque Doctoris congruentiam indicat denegationis auxilii *quo*, quantunvis ad perseverandum necessarii; sed ratio à priori est Dei beneplacitum, quô assignatô, alia inquirenda non est. Justissimè nihilominùs imputatur lapsus eis quibus non datur, *potenti enim facere bonum, & non facienti* (si adest obligatio) *peccatum est illi*, ut Jacobus ait Apost. Nec aliam rationem assignare possunt Authores gratiæ congruæ, cur Deus illam (ad perseverandum juxta illos utique necessariam) Angelis perseverantibus dederit, & non perseverantibus denegaverit. Vide to. 1. à n. 429. & sanè quis credat, mentem utriusque S. Doctoris latuisse omnes eorum Discipulos, & in iis, aliisque vindicandam, unum expectasse opponentem?

TRACTATUS III.

DE ESSENTIA, DIVISIONE, ET Causa Gratiæ.

Ad qq. 110. 111. *&* 112. *Primæ secundæ.*

260 EXPOSITA tract. prçcedenti existentiâ & necesitate gratię. Illius quidditatem, divisionem, & causam lustrandas suscipimus in præsenti, geminum ejusdem effectum (justificationem, scilicèt, & meritum) sequenti Tractatui reservantes. Sit igitur.

DISPUTATIO I.

De Essentia seu quidditate Gratię.

CIrca gratiæ essentiam, quatuor resolvit S. Doct. q. 110. *Primùm*, gratiam (sumptam pro beneficio à Deo collato creaturæ rationali, trahente eam, supra conditionem naturæ, ad participationem divini boni) esse aliquid reale nobis intrinsecum. *Deindè*, gratiam, si sumatur pro auxilio Dei, non esse qualitatem (habitualem) sed motum quendam, quô anima movetur ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum; sumptam verò pro dono habituali à Deo infuso, esse qualitatem. *Tertiò*, hujusmodi gratię donum seu lumen, quod est participatio divinæ naturæ, distingui à virtutibus infusis; non secùs ac naturale lumen rationis, ab acquisitis.

Po-

Postremò, tale donum non in potentiis animæ, sed in hujus essentia subjectari. Pro quorum elucidatione, sit.

DUBIUM I.

Utrum Gratia habitualis sit formalis participatio naturæ divinæ?

261 CONcl. est affirm. & totîus Christianismi gloria, quam propterea noctù & interdiu versare debemus. *Supponit* autem ut Fide certum ex Scriptura, & Trid. sess. 6. cap. 7. & can. 11. contra hæreticos nostri temporis, gratiam justificantem, seu habitualem, esse diffusam per Spiritum S. in cordibus nostris illisque inhærentem, quâ, Filii Dei, Fratres Christi, membra corporis ejus, organa Spiritus S. Templa Sanctissimæ Trinit. Cives Sanctorum, domestici, amici, & Familiares Dei, ac novæ creaturę efficimur. Pro illius intelligentia nota, quòd participatio physica (omissâ morali, consistente in voluntaria substitutione unîus locô alterius) alia est formalis, alia virtualis. Formalis datur, dùm ratio participata, physicè & intrinsecè reperitur in utroq; extremo, & de utroque formaliter prædicatur, ut optimè advertit Cajet. 2. 2. q. 24. a. 7. sive convenientia sit univoca (qualiter aër participat lucem Solis) sive solùm analoga (qualiter creatura participat justitiam, misericordiam, charitatem, aliasque perfectiones à Deo).

262 Virtualis participatio datur, dùm participans, & id à quo participatur, non conveniunt formaliter in perfectione participata, sed hæc alteri formaliter competit, alteri verò solùm virtualiter, vel eminenter: vel quia id, quod inferius formaliter habet, solùm eminenter invenitur in superiori, qualiter essentia hominis (huic formaliter conveniens) solùm eminenter reperitur in Deo: vel quia econversò repertum formaliter in superiori, solum virtualiter convenit inferiori; qualiter ratio generantis est in

ſemine, & id quod formaliter eſt in Deo, eſt virtualiter in omni creatura, in qua veluti in termino ſuę cauſalitatis relûcet. Senſus ergo concl. eſt, quòd gratia juſtificans, ita participat naturam divinam, quòd proprius & conſtitutivus conceptus naturę divinę, propriè & formaliter de gratia prædicatur, & in hoc ſenſu eſt communis Theolog. adverſus Nominales, & nonnullos alios, aſſerentes, gratiam ſolùm participare naturam divinam, quatenùs illam in aliquibus conditionibus imitatur.

263 Prob. autem 1. quia 1. Petri 2. homines per gratiam dicuntur *conſortes effici divinæ naturæ*, & alibi ſæpè dicitur in Scrip. illos *generari*, *naſci*, & *renaſci* ex Deo per gratiam, & in ejus filios revera adoptari; ſed generatio eſt vera naturæ communicatio, nativitas autem vera naturæ receptio, & filius ille ſolus dicitur, qui naturam patris verè exprimit & participat: ergo juſti per gratiam, divinæ naturæ formali participatione gaudent. *Præt.* Per divinam naturam intelligimus perfectionem illam, quę noſtrô concipiendi modô eſt cęterarum radix, & principium divinarum operationum, ut conſtat ex dictis to. 1. à n. 114. ſed gratia ſanctificans, talem perfectionem formaliter participat, cùm ſit radix charitatis, ac reliquarum virtutum infuſarum, participantium formaliter divina attributa, & principium operationum attingentium Deum ut eſt in ſe, tanquam objectum proportionatum, nimirùm, viſionis Dei intuitivæ, & amoris beatifici: ergo.

264 Poſtremò. Nam effectus gratiæ ſantificantis, ſunt veluti appendices formalis participationis naturæ divinæ: ergo in tali participatione ſita eſt illius eſſentia. Prob. ant. Tales effectus ſunt, hominem à peccato mundare, & interiùs renovare, jus ad hæreditatem cæleſtem eidem largiendo, & Deum intimè præſentem, & habitantem in nobis facere; ſed omnes iſti effectus præſupponunt formalem participationem naturæ divinæ, ut conſideranti patebit, & optimè expendunt Jo. à S. Th. & Contenſonus: ergo. *Ex dictis* conſtat, gratiam habitualem eſſe formalem participationem naturæ divinæ, ſub formali conceptu naturæ, ſeu

ſub

sub munere radicis reliquarum perfectionum, maximè verò videndi Deum in se ipso, in quo omnes Thomistę conveniunt.

265 An autem illam formaliter participet, etiam ut est ens infinitum per essentiam, actus purus, &c. negativè respondent Curiel, Salmant. Contens. & Ferre, quibus assentimur contra alios Thomistas, quos sequuntur Labàt, & Gonêt. Ducimur, *tùm*, quia D.Th. in 3. d.27.q.2.a.4. qq.3.ad 5. ait: *Inferiora participant perfectionem superiorum, secundum modum suum: & ideò participationes determinantur in participantibus ex capite & natura participantium*: ergo non potest gratia participare naturam divinam, eô perfectionis modô, quem in Deo habet; sed modus iste consistit in eo, quòd Deus sit ens infinitum, &c. ergo. *Tum* quia forma participata habet in superiori modum longè diversum ab eo, quem habet in inferiori; si enim superius & inferius haberent eandem naturam, & eôdem modô, non essent superius, & inferius, sed æqualia, & rueret participationis conceptus. *Demùm*, quia repugnat, quòd de gratia prædicentur perfectiones illę, ut vel ipse Gonet ultrò fatetur, expressè enim afferunt conditiones formaliter incommunicabiles, quia, & indivisibiles sunt; & indivisibilitatem formaliter explicant, adeòque non possunt formaliter participari, quin adæquatè participentur: Participatio igitur illorum, erit ad summum virtualis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

266 Opp.1. Gratia habitualis est semen Dei, juxta illud 1.Joan.3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ejus manet in eo*; at semen solùm virtualiter participat naturam generantis: ergo. *Præterea* ut gratia constituat hominem filium Dei adoptivum, non requiritur, quòd hujus naturam formaliter participet: ergo. Prob. ant. nam adoptio, quæ inter homines fit, non exigit, quòd adoptato communicetur natura adoptantis, sed sufficit, quòd in hujus hereditatem acceptetur: ergo. *Ad* 1. R. non vocari *semen Dei* per ordinem ad naturam Divinam, sed respectivè ad visionem beatam, cujus est radix, juxta illud: *Gratia*

Dei

Dei vita æterna. Unde D. Th. 1. p. q. 62. a. 3. ait: *Gratia gratum faciens, hoc modo comparatur ad beatitudinem, ſicut ratio ſeminalis in natura, ad effectum naturalem: unde 1. Joan. 3. gratia ſemen Dei nominatur.* *Ad* 2. N. ant. Ad prob. R. diſp. eſſe, quia in humanis ſupponitur id quod eſſentialiter requirit adoptio, nimirùm, adoptatum eſſe ejuſdem naturæ cum adoptante; ſecùs in illa, per quam homo adoptatur in filium Dei; unde fieri debet per gratuitam communicationem.

267 Opp. 2. Si gratia participaret formaliter naturam divinam, participaret conſequenter & attributa, quorùm illa eſt radix; ſed hoc eſt falſum, nec enim eſt infinita, omnipotens, &c. ergo. *Omiſſa* ſolut. M. Gonet concedentis abſolutè maj. diſt. illam. Participaret attributa, ad quorum actus elevari poteſt homo, C. Secùs, N. & diſt. conſ. Ergo non participat naturam divinam, adæquatè, & quatenùs radix eſt omnium attributorum, C. Inadæquatè, & quatenùs radîcat viſionem, & amorem Dei in ſe, N. Poteſt enim homo elevari ad hujuſmodi actus, adeoque, & gratia participare naturam divinam, ut illos radicantem; ſecùs ut radicé aliorum, quorum denominatio repugnat prorsùs homini.

268 Opp. 3. Natura Divina conſiſtit in ipſo intelligere actuali, juxta plures ex noſtris; at gratia non eſt formalis participatio intellectionis divinæ, cujus ſunt participationes fides & viſio: ergo. *Reſp.* quòd in ea ſententia defendi non poteſt, gratiam participare formaliter naturam divinam. Nam D. Th. hîc a. 4. expreſsè docet, *& gratiam eſſe participationem* (utique formalem) *naturæ divinæ, & non eſſe participationem cognitionis divinæ*, ſed hanc participari per fidem. Nihilominùs AA. illius ſententiæ reſpondent, divinum intelligere habere diverſa munia, ſcilicet, naturæ, intellectûs, & intellectionis, quorum primum, (ajunt) participat gratia, reliqua verò, fides, & viſio. Quod an ſubſiſtat, ipſi viderint, nobis autem probari non poteſt, propter dicta to. 1. à n. 118.

269 Opp. 4. Cum Gonet ad probandum, gratiam participare modos eſſendi à ſe, actûs puri, infinitatis, omnipo-

ten-

tentiæ, & similium. Gratia, cùm sit participativè supernaturalis, participat Deum ut supernaturalem; sed Deus est supernaturalis ratione talium modorum: ergo. *Dist.*min. est supernaturalis ratione talium modorum, supernaturalitate omninò incommunicabili, C. Supernaturalitate communicabili, N.min. & cons. nam, præter supernaturalitatem omninò incommunicabilem, quam habet Deus ratione modorum; gaudet & aliâ gratuitò communicabili, cujusmodi est conceptus radîcis operationum divinarum, quæ naturaliter soli Deo competit, sed gratuitò communicari valet aliis. Et quanvis inter gradualiter propria, nihil sit Deo proprius conceptû naturę, utpotè differentiali; secùs à toto genere divinitatis; sunt enim in Deo perfectiones, expressè significantes conditiones prorsùs incommunicabiles, ut sæpè dictum est; quas proinde videre quidem potest homo per gratiam, esse autem illas, neutiquàm.

270 Sed instabis: Si gratia non esset formaliter participativè natura divina, non inclinaret hominem ad videndum intuitivè Deum: ergo si formaliter participativè non est ens à se, infinita, actus purus, &c. non inclinaret ad videndas hujusmodi perfectiones. *R.* instantiam ab omnibus, & ab ipso opponente, solvi debere. Nam gratia inclinat hominem ad clarè videndum Trinitatem, quin sit formaliter Trinitas. Nec ipse Gonet concedit absolutè, gratiam esse formaliter ens à se, infinitam, &c. Sed solùm, partem capere, & partem reliquere talium modorum. N. igitur ant. Non enim gratia est formaliter natura divina, eò præcisè, quòd radîcat intuitivam Dei visionem; sed quia revelatum est, nos per gratiam ex Deo nasci, & renasci, filios ejus fieri, & naturæ divinæ consortes, & aliàs nulla est repugnantia in eo, quòd gratia sit & dicatur formaliter natura divina. Unde ex hoc pręcisè, quòd gratia inclinet ad videndum præfatos modos, non sequitur, esse formaliter illos; sed sufficit, si sit virtualis eorum participatio.

271 Oppones tandem cum eodem ad idem: Gratiæ consummatæ connaturaliter debetur essentia ut species repræsentans totum Deum, ut est in se ens infinitum & per essen-

essentiam : ergo & ipsa est participatio Dei, quà talis. *Præt.* Gratia sanctificans, aliquam partem seu modum infinitatis Dei in se capit, nimirùm, habere essentiam divinam pro objecto connaturali, & forma intelligibili, quanvis alios infinitatis divinæ conceptus non habeat : ergo. *Postremò.* Non magis repugnat participatio formalis essentiæ infinitæ, quàm infinitæ proprietatis ; at charitas nostra formaliter participat infinitam Dei charitatem, quà talem, quæ est proprietas naturæ infinitæ Dei : ergo hanc, quà talem, participat gratia. Prob.min. ex D.Th.2.2. q.24. a.7. ubi probat, charitatem viæ posse augeri in infinitum, *quia est participatio quædam infinitæ charitatis Dei* ; quæ quidem probatio esset nulla, nisi charitas esset formalis participatio charitatis divinæ, ut infinitæ ; nam quòd qualitas participet formam infinitam secundum gradum determinatum, non arguit posse illam in infinitum augeri; imò oppositum, ut patet in intellectu Angeli, sic participante intellectum Dei.

272 Ad 1. dist.ant. Ut species repræsentans modô finitô, C. infinitô, N. Unde non requiritur, quòd ipsa sit formaliter infinita, sed sufficit, quòd sit natura Dei radicans finitam infiniti visionem. *Ad 2.R.* illud non competere Deo ut infinito, cùm Angelo finito conveniat ; habet enim seipsum pro objecto, & specie intelligibili. Hoc igitur oritur in Deo ex proportione, quam cum seipso habet in ratione objecti & speciei intelligibilis : cùm enim sit summè immaterialis, seipsô est intelligibilis. Ad participationem autem formalem, necessariò requiritur, quòd ratio significata per nomen, formaliter reperiatur in participante. *Ad ult.* N.min. Ad prob. dicimus, D.Th. probare, charitatem viæ posse augeri in infinitum syncathegorematicè, quia est participatio virtualis infinitæ charitatis Dei ; nec enim infinitas charitatis vialis participare formaliter potest charitatis divinæ infinitatem, cùm hæc sit in actu, illa in potentia dumtaxàt. *Ad prob.* N.ant. Nec obstat exemplum; est enim duplex virtualis participatio infinitatis Dei. Alia finita actû & potentiâ, ut intellectus

An-

Angeli, sic actû finitus, quòd non est in potentia ad ulteriorem gradum: Alia finita in actu, sed infinita in potentia, qualis est intensio charitatis. *Et* sanè argumentum probat, infinitatem potentialem ignîs, & durationis Angelicæ, esse formales participationes infinitatis Dei, ejusque æternitatis.

DUBIUM II.

Utrum Gratia habitualis realiter distinguatur à charitate, ac reliquis virtutibus infusis?

273 COncl. est affirm. D.Th. hîc a.3. & ferè com. cont. Magistrum, Durand. Scot. Bellarm. & nonnullos RR. Supponit autem tanquàm fidê certum, habitus fidei & spei remanêre in peccatore fideli, amissâ gratiâ, adeoque, istam ab illis realiter distingui. Prob. autem. *Tum*, quia videtur conformis Scripturis, CC. & PP. loquentibus de gratia & charitate tanquàm de diversis, easque diversis nominibus vocantibus, ut videre est in pluribus testim. quæ adducunt Jo. à S.Th. Ferre, Labât, & alii; at nulla assignari potest ratio, cur unam & eandem rem diversis nominibus appellent, cùm tàm propriè & formaliter loquantur: ergo. *Tum* rat. D.Th. quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, idest, dispositio perfecti secundum naturam, ad optimum, idest, ad actum: ergo charitas, ac reliquæ virtutes supernaturales præsupponunt in anima naturam supernaturalem, scilicet gratiam; ac proinde ab illa realiter distinguuntur.

274 Conf. & præcluditur evasio: Quia virtus infusa non disponit subjectum præcisè ad operandum circa aliud, sed, ut ipsa natura operetur convenienter ad se: ergo præsupponit naturam, utiquè elevatam per gratiam, ut illam sic disponat ad operandum. *Et* sanè, si eadem forma, propter eminentiam, elevaret animam, & redderet illius potentias supernaturaliter operativas, posset utiquè eadem forma, (ob similem eminentiam) præbêre omnes effectus virtu-

tutum infusarum, & donorum Spiritûs S. atqueadeò non oportêret invicèm distinguere dona, virtutes Theologicas, ac reliquas infusas; quod sanè Theologiæ, imò & Scripturæ adversatur, præfata distinguenti.

275 Demùm: In quolibet ordine quatuor reperiuntur, nempè, substantia seu natura rei, finis ipsius, inclinatio, & motus in illum: ut in lapide, v.g. est propria natura, finis, qui est quies in centro, gravitas quę est propensio seu inclinatio in talem finem, & descensus, seu motus in ipsum: ergo & in ordine supernaturali similiter quatuor reperiuntur, nimirùm, gratia, tenens locum naturæ, visio beata, habens rationem finîs, charitas, ac reliquę virtutes infusæ, quæ sunt inclinationes in illum, & illarum operationes, quæ sunt motus, quibus talis finis acquiritur. Hanc rationem insinuat D.Th.q.27.de verit. a.2. dicens: *Sicut in rebus naturalibus aliud est natura ipsa, aliud inclinatio naturæ, & ejus motus vel operatio: ita & in gratuitis est aliud gratia à charitate, & cæteris virtutibus.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

276 Opp.1. Scriptura, CC. & PP. tribuunt eosdem effectus gratiæ, & charitati; per utramque enim dicimur justificari, vivere vitâ divinâ & supernaturali, amicos, & filios adoptivos Dei fieri: ergo sunt idem realiter habitus, quanvis, ob diversa munia, diversis nominibus appellentur. *Præt.* Quia aliàs possent gratia & charitas invicèm separari; sed hoc est falsum: ergo. Prob.min. nam si homo haberet gratiam sine charitate, esset Deo gratus, & filius ejus adoptivus, non tamen amicus; quod videtur absurdum. Deinde si haberet charitatem sine gratia, nec damnaretur, cùm non haberet peccatum lethale, charitati utique repugnans; nec salvaretur, quia, cùm non esset filius Dei adoptivus, foret incapax hęreditatis ejus.

277 Ad 1. R. cum Cajet. Jo. à S.Th. & aliis, effectus illos tribui gratiæ, & charitati, ob mutuam earum connexionem: quemadmodùm effectus benignitatis, patientiæ, & plurium aliarum virtutum, tribuuntur charitati ab Apost. 1.Cor.3. nec tamen eis conveniunt eòdem modò, sed gratiæ,

tiæ, ut principio radicali ; charitati autem , ut proximo. Nec omnis excellentia est utrique communis , nam esse primum principium formale supernaturalis esse , soli gratiæ convenit. *Ad* 2. N.min. Ad 1. prob. dicendum, tunc hominem fore amicum Dei radicaliter & remotè ; quia gratiæ debetur tanquàm radici charitas , seu principium proximum diligendi Deum. Ad 2. prob. R. casum repugnare, quia implicat proprietatem (& maximè vitalem) esse in subjecto sine essentia : Implicat præterea , charitatem esse informem, cùm sit essentialiter formata; formatio autem virtutis est à gratia, saltèm primordialiter.

278 Opp. 2. Gratia potest esse immediatè & proximè operativa, cùm sit verum accidens, & soli substantiæ repugnet immediatè operari, juxta Thomistas : ergo non opus est illam à charitate , & virtutibus realiter distinguere. *N. ant.* Ad prob. R. gratiam esse quidem accidens supernaturale, sed esse simul naturam (quæ in tali ordine nequit esse substantia) & inhærêre immediatè animę : huic autem mirabili accidenti repugnat prorsus immediatè operari; non secùs ac substantiæ quam elevat : accidentia verò quæ in potentiis immediatè operativis subjectantur, immediatè operativa sunt.

279 Ex dictis colliges 1. cont. Andream Vega lib. 7. in Trident. c. 25. gratiam esse simplicitèr perfectiorem charitate, quia hanc radicaliter continet tanquàm proprietatem. *Nec* obstat illud Apost. *Major autem horum est charitas* ; nec enim fit comparatio ad gratiam, sed ad virtutes, quarum illa est radix in esse virtutum supernaturalium, sicut & charitatis. *Colliges* 2. id quod docet D. Th. a. 4. nimirùm, gratiam habitualem subjectari immediatè in anima; cùm enim non sit virtus, sed quid prius virtute ; subjectari debet in anima, quę est prior suis potentiis, in quibus virtutes subjectantur. *Nec dicas*, peccatum, non in anima, sed in ejus potentia subjectari ; adeoquè idem de gratia philosophandum : quanvis enim potentia sit subjectum peccati actualis, secùs habitualis, seu maculę , cui gratia directè opponitur, ut alibi diximus , & iterùm Deô dante dicemus.

DIS-

DISPUTATIO II.

De Divisionibus Gratiæ.

280 POst elucidatam q. 110. gratiæ habitualis quidditatem, disputat S. D. q. 111. de Gratiæ divisionibus, quarum plures jam suprà indicavimus in ipsa fronte Tractatûs præced. Restat nunc tradere illas, quibus gratia actualis dividitur in *operantem*, & *cooperantem*; in *excitantem*, & *adjuvantem*; in *prævenientem*, & *subsequentem*: denique in *sufficientem*, & *efficacem*. Eas igitur sequentibus dubiis in examen vocabimus, alterô dumtaxàt exceptò ultimæ divisionis membrô, gratiâ scilicèt efficaci; circa quam gravissimæ exortæ sunt controversiæ Nostrates inter, & PP. Societatis, præsertim illa de origine efficaciæ gratiæ, ejusque cum nostra libertate concordiâ, olim coram Clemente VIII. & Paulo V. summô partium studiô pluribus annis agitata, quam tamen silentiô prętermittimus, religionis ergô; quia illam typis mandare non semel districtè prohibuit Sedes Apostolica. (Tametsi neminem lateat, perplures in hanc diem de hac re prodiisse libros ex utràque Schola post Sedis Apostolicæ inhibitionem.) Nullô tamen jure vetitum est, sed valde operæ pretium, tractatus edere pro tuenda necessitate gratiæ adversus Pelagianos; & pro confutandâ gratiâ necessitante, & astruendâ sufficienti, adversus Hæreticos & novatores nostri temporis; quod hucusque præstitimus, & in sequentibus pro viribus, Deô dante, præstabimus.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***

DU-

DUBIUM I.

De Divisione gratiæ actualis in excitantem & adjuvantem.

281 CONsultò non inquirimus quidditatem gratiæ actualis in communi, id enim satis constabit explicatione divisionum ipsius. Sufficiat nunc supponere, nomine *gratiæ actualis* intelligi, juxta principia nostra, effectum Dei nobis impressum per modum motionis, seu qualitatis transeuntis, quô nos auxiliatur ad benè operandum, prout oportet ad salutem. *Hæc* autem actualis gratia dividitur primò in *excitantem* & *adjuvantem*, ut constat ex Scripturis, CC. & PP. De excitante enim dicitur Apoc. 3. *Ecce ego sto ad ostium & pulso.* Et ad Ephes. 5. *Surge qui dormis*: De adjuvante autem Psal. 69. *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*; Psal. 78. *Adjuva nos Deus salutaris noster*; Psal. 108. *Adjuva me, & salvus ero.* Et alibi passim. Hinc in Tridentin. sess. 6. cap. 5. dicitur: *Per Dei excitantem, atque adjuvantem gratiam, ad justificationem disponimur.* Et cap. 6. *Disponuntur* (adulti) *ad justitiam, dùm excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* Traditur etiam ab Aug. lib. 2. de peccat. mer. c. 18. dicente: *Bonam & piam voluntatem, nisi Deo excitante & adjuvante, habere non possumus.* Concinit Ber. lib. de grat. & lib. arb. *Conatus nostri* (inquit) *cassi sunt, si non adjuventur: & nulli, si non excitentur.* Idem & alii PP. frequenter.

282 Pro legitima hujusce divisionis intelligentia, sciendum est, utramque gratiam posse latè, & strictè sumi. Excitans accipitur latè pro quocunque dono sollicitante & attrahente nos ad perfectam conversionem; quâ ratione complectitur innumera beneficia, tàm externa, quàm interna, quibus ad Deum afficimur, & quorum plura recenset Prosper cont. Collat. c. 14. sic eleganter pro more con-

concludens: *Quis perspicere aut enarrare possit, per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat sequatur, quæ oderat diligat, quę fastidiebat esuriat? ac subitò, commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, sint aperta; quæ onerosa, sint levia; quæ amara, sint dulcia; quæ obscura, sint lucida?* Strictè autem sumitur in hac divisione pro auxilio quô Deus primò hominem interiùs pulsat & vocat, ut communiter tenent DD. *Similiter* gratia *adjuvans* accipitur latè pro omni auxilio, quô Deus nos adjuvat in negotio salutis, seu extrinsecè, seu intrinsecè; seu antecedenter, seu consequenter: quâ ratione, cuncta auxilia, & ipsam gratiam excitantem amplectitur. Strictè autem, & specialiter sumitur hîc pro eo auxiliô, quo, jam excitati & vocati, adjuvamur & promovemur ad perfectam conversionem; quô pacto à gratia excitante, quam supponit, distinguitur, ut videbimus. His suppositis, sit.

283 Prima concl. *Gratia excitans interna, in nulla intellectus aut voluntatis supernaturali operatione indeliberata consistit; nec in extrinseca Dei assistentia, quantumvis intima; sed in qualitate fluida, elevante potentias ad præfatas operationes.* Supponit concl. cum Aug. communiter recepto lib. de Spirit.& lit. c.34. posse hominem excitari & vocari à Deo, seu intrinsecùs inspirante, seu extrinsecùs adhortante & insonante. Et quoad 1.p. est comm.Thomist. contra RR. Societ. quibus Montesinos adhæret. Et prob. *Tùm*, quia gratia præveniens excitans, in Scripturis & CC. dicitur *vocatio, pulsatio, illustratio, & inspiratio*; sed hæc unicè sunt à vocante, pulsante, illuminante, & inspirante; ergo non consistunt in operationibus indeliberatis, verè procedentibus à potentiis, quę vocantur, pulsantur, &c. *Tum* ex celebri illo can.20. C.II. Arausc. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo.* Quod de gratiis, quibus nos prævenit excitando, intelligitur; sed actibus indeliberatis adaptari non potest, qui verè fiunt ab homine, quanvis (ut quorundam præcludatur evasio) non fiant humanô modô: ergo.

284 Prorsùs autem impossibile est, id quod alii respon-

pondent, nimirùm, indeliberatas illas cogitationes & volitiones, à Deo tantùm effectivè produci, & in nobis recipi : repugnat enim, operationes vitales (quales sunt illæ) non fieri vitaliter & effectivè à principio intrinseco : ergo & implicat, quòd quis deliberatè, aut indeliberatè cogitet aut velit, & quòd cogitationem & volitionem deliberatè aut sine deliberatione non efficiat. Impossibile pariter est, easdem operationes quatenùs effectivè proveniunt à Deo, esse prævenientem gratiam excitantem ad seipsas proùt eliciuntur à nobis : nam, juxta CC. talis gratia est principium effectivum operationum supernaturalium; illius enim necessitatem ad harum efficientiam diffiniunt, ut tribuat potentiæ vires, quas ex se non habet ad illas efficiendas; sed nihil potest esse effectivum principium per unam formalitatem sui ipsius secundum aliam formalitatem, ut ostendit D.Th. 1.p.q.19.a.5. & alibi sæpè : ergo. *Accedit*, quòd Adversarii, vel nullam admittunt prioritatem inter influxus Dei, & nostri arbitrii, in illas operationes ; vel, si quam prioritatem agnoscunt, illam influxui nostro tribuere tenentur, juxta sua principia.

285 Præterea. Quia aliàs, dum Concilia diffiniunt necessitatem gratiæ excitantis intrinsecę ad supernaturaliter operandum, nihil aliud decernerent, quàm, necessariam esse operationem ad operandum ; quod nullus unquàm mortalium negavit : ergo loquuntur de aliquo auxilio ab operationibus nostris realiter distincto, illaque antecedenti. *Demùm*, quia auxilium sufficiens, seu tribuens potentiæ posse supernaturaliter operari (quod cum gratia excitanti recurrit, ut infrà patebit) est separabile, saltèm divinitùs, ab auxilio præstante ipsum operari seu agere ; sed operatio creata ut descendens à Deo, est prorsùs insepara-bilis à seipsa ut dependente à creatura : ergo.

286 Probatur deinde eadem p. concl. specialiter contra P.Vazquez, constituentem gratiam excitantem (imò & quamlibet actualem) in pia cogitatione, ad quam sequitur supernaturalis voluntatis affectus : in quo, vel à suis deseritur, ut videre est apud Ripaldam alioque, & meritò.

Quia

Quia (præterquàm quòd pia illa cogitatio nullas præstat voluntati vires ad præcontinendum supernaturalem effectū) eandem & non minorem gratiam admisit Pelagius, ut multis ostendunt Lemos, Alvarez, Salmant. & alii, constatque ex verbis ipsius hæresiarchæ adductis ab Aug. lib. de grat. Christi, c. 10. *Operatur* (ajebat ingratissimus ille) *Deus in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodò præsentia diligentes, futurę glorię magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit: dum, revelatione sapientię, in Dei desiderium stupentem suscitat voluntatem: dùm nobis (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est.* Quibus loquitur de revelatione sapientiæ, quę utiquè fit per internam illustrationem, quâ ab intellectu *stupens suscitatur voluntas*; at, quia negavit necessitatem gratiæ in voluntate receptæ, damnatur à PP. tanquàm diminutè & sinistrè de gratia sentiens: ergo.

287 Ut autem evasiones præcludas, memineris, Pelagium, decursû temporis, errorem suum quadantenùs temperasse, ut damnationem vitaret, quanvis nunquàm ad sincêram Catholicæ veritatis confessionem accesserit. Initiò quidem in sola externa revelatione gratiam constituit. Deinde etiam internam agnovit, ut ex modò dictis constat; eam tamen solùm ad faciliùs benè operandum confessus est: quia non semel asseruit, *nos nihil omninò boni posse facere sine Deo, & nos indigere Dei semper auxilio*, ut Aug. refert lib. de grat. Christi, c. 33. & 37. *Memineris* 2. quòd Vazquez, explicans qualiter Deus, mediâ piâ cogitatione, efficiat nostrum consensum, inquit, *eo modo, quo intellectus movet voluntatem, & allicit*; sed intellectus juxta ipsum, non nisi suadendo, seu moraliter, movet & allicit voluntatem; nec enim admittit imperium efficax: ergo pia cogitatio, suadendo dumtaxàt, allicit ac movet: quod quidem apertè fatebatur Pelagius, *dum suadet* (inquit) *omne quod bonum est*: ergo.

288 Quoad 2. verò p. probatur concl. cont. Suarez & Curielem. *Tùm* ex illo Apoc. 3. *Ecce ego sto ad ostium, & pul-*

pulso: qui enim pulsat, aliquem ostio imprimit motum. *Tùm* ex illo 1.Cor.15. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, in cujus expositione universi PP. per gratię adjutorium intelligunt aliquid supernaturale creatum, ipsi Apostolo tributum. Sic Amb. Aug. Prosper, Greg. Ansel. Bern. Doct. Ang. *Tum* ex C. Arausi. II. can.4.5.6.& 7. passim repetente, nos adjuvari à Deo per Spiritûs Sancti *illuminationem, operationem, infusionem, inspirationem*; sed hæc omnia aliquam important actionem transeuntem ad extra: ergo auxilium prævenies gratiæ Dei, aliquid est extra ipsum productum, & in nobis receptum. *Tum* quia Trid. sess. 6. cap.5. gratiam prævenientem (quam per excitantem & adjuvantem exponit) nominat *vocationem Dei*, & hanc appellat Spiritûs S. *illuminationem* & *inspirationem*; sed vocatio Dei, illuminatio, & inspiratio, aliquid est præter Deum: unde & alibi vocatur ab eodem Concilio *impulsus Dei*, & *instinctus interior hominis*; impulsus autem fit ab impellente, & in re quę impellitur recipitur: ergo.

289 Præterea: Aug. de correp.& grat. cap.6. & alibi frequenter, ad explicandum auxilium gratię, quod ex Deo, non ex nobis, habemus, inducit illud Jacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum*; Deus autem intimè assistens, non est donum à Deo in nos descendens: ergo. *Præt.* D. Th. 1.2.q.110.a.2. actuale auxilium Dei, moventis animum ad bonum, vocat *gratuitum Dei effectum in homine*; quis autem dicat, Deum assistentem, esse effectum gratuitum Dei? *Iterum* ibidem ait, illud auxilium esse *motum moventis in moto*. Quô nihil apertius proferri potest, ad excludendam sententiam quam rejicimus. *Demùm* S. Doctor perpetuò docet, auxilium gratiæ esse divinam quandam motionem, à Deo nobis impressam, quâ nos ad benè agendum movet; divina autem motio in nobis recepta, creatum quid est, & à Deo distinctum, non autem ipse Deus intimè nobis assistens: ergo. *Accedit*, quòd nec Pelagius dubitavit, adjutorium Dei aliquid in nobis ponere extra Deum; sed quia asserebat, tantùm ponere in nobis aliquid per modum

legis, atque doctrinæ: ideò rejiciebatur à CC. & PP. & maximè ab Aug. ut videre est lib. de grat. Christi, c. 7. 12. & sequentibus.

290 Prob. deinde rat. Quia præfata Dei assistentia, quantunvis intima, est quid extrinsecum, nihil de novo ponens in potentia: ergo relinquit eam impotentem supernaturaliter operari, sicut antea; sed per gratię excitantis auxilium (si absit habitualis, aut virtutes infusę) transit potentia de non esse proximè potentem supernaturaliter operari, ad esse sic potentem: ergo. *Conf.* & prędluditur evasio: Supernaturales actiones intellectûs & voluntatis, quantunvis indeliberatæ, subitæ, & necessariæ, sunt vitales: ergo procedere debent à potentiis vitalibus constitutis in se ipsis in esse supernaturali proportionato illis actionibus vitalibus. *Hinc* D. Th. pluribî multis ostendit repugnare, Deum nobis uniri per modum virtutis operativæ: adeoque necessarium esse lumen glorię creatum ad visionem beatificam, habitum charitatis, aut intrinsecum auxilium ad actũ charitatis eliciendum, ut videre est 1. p. q. 12. a. 5. & 2. 2. q. 23. a. 2. *Nec* prodest recursus ad potentiam obedientialem activam, propter dicta to. 1. à n. 215. *Sanè*, cùm talis potentia naturalis sit, utpotè congenita, si illâ possunt effici operationes supernaturales, poterunt istę naturaliter fieri, quod impium, & juxta implicatorium videtur.

291 Ultima denique p. concl. ex dictis probata manet. Locutiones enim illæ Scrip. CC. & PP. quibus prævenientis gratiæ auxilium dicitur *pulsatio*, *locutio*, *vocatio*, *illuminatio*, & *inspiratio*, illam manifestè convincunt; cùm prędicta totaliter fiant à pulsante, loquente, vocante, illuminante, & inspirante. *Deinde*, ratio modò adducta id ipsum ostendit: Cùm enim intellectus & voluntas verè efficiant operationes indeliberatas supernaturales, quas naturaliter efficere nequeunt, constitui debent in actu primo ad illas eliciendas per aliquid supernaturale, illas antecedens. Quod validè confirmatur ex epist. 1. Cælestini I. ad Episcopos Galliæ, cap. 8. ubi loquens de gratia, quâ præparatur voluntas, ait: *Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero*

libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis, ex Deo sit, nimirùm, per gratiam illam, quâ, ad tales motus eliciendos, liberum præparatur arbitrium: ergo ante illos datur prævia gratia, quâ Deus operatur, ut intellectus & voluntas eliciant, nedùm deliberatas operationes, sed etiam indeliberatas, nempè, sanctam ipsam cogitationem, & motum voluntatis indeliberatum.

292 Secunda concl. *Gratia excitans & adjuvans realiter invicèm distinguuntur.* Est frequentior inter Theol. cont. Armacanum, Molinam, J. Gonçalez, alioſque; & prob. *Tum* ex Trid. sess. 6. cap. 5. & 6. asserente, homines disponi ad suam justificationem *per excitantem, atque adjuvantem gratiam.* Et can. 3. diffiniente, *non posse hominem credere, sperare, diligere, & pœnitere, proùt ad salutem oportet, sine Spiritus S. inspiratione, atque adjutorio.* Quibus distinctionem realem inter inspirationem, & adjutorium denotat, aliàs non sic loqueretur, sed diceret: *Sine Spiritus S. inspiratione excitante & adjuvante.* Conf. quia, ut habetur in Actis Con. teste M. Lemos lib. 4. tr. 7. c. 22. dùm PP. inquirerent, Quid Deus facit cùm hominem vult convertere? hæc verba apposuerunt respondentes; *Duo facit Deus, primò hominem excitat suadendo & invitando; Deinde fortius auxilium dat, quo hominem convertit.* Urgetur ex Con. Colonienſi, celebratô post sess. 6. Trid. sic loquente tract. de Pœnitentia: *Duplex est gratia: una, qua Deus prævenit peccatorem ut surgat: altera verò, qua peccator, prævenienti Deo assentiens, resurgit.* Quibus nihil apertius. Vide to. 1. nost. Epit. n. 422. ubi eandem concl. validè firmavimus.

293 Prob. deinde ratione. Quia gratia excitans, & movet efficaciter voluntatem ad actum indeliberatum, & dat illi sufficientes vires, ipsamque allicit, suadet, & invitat ad actum liberum; quem potest (si velit) per prædictas vires efficere; sed ex utroque capite distinguitur realiter ab adjuvante: ergo. Prob. min. quoad 1. p. quia actus liber, ad quem datur & movet gratia adjuvans, realiter distinguitur ab actu indeliberato, ad quem datur gratia excitans: & in

instanti, quô Deus adjuvat & movet voluntatem ad actum liberum, jam non est in ea actus indeliberatus: ergo nec gratia ad illum ordinata: ergo. *Quoad* 2. verò p. etiam prob. Quia gratia adjuvans supponit sufficientes vires in voluntate, & istam, non objectivè, (sicut excitans) sed subjectivè, verè, realiter, & efficaciter movet ad actum liberum: *qui enim adjuvatur, aliquid & ipse facit*, ut sæpè docet S.P.Aug. ergo.

294 Ex dictis habes, quòd vera & completa gratia excitans (comprehendens, & motionem, quâ intellectum illuminat,& impulsum, quô voluntatem excitat ad aliquod bonum supernaturale efficiendum) habet pro effectu immediato actus subitos & necessarios supernaturales utriusque potentiæ, respectû quorum semper est efficax; quia, & tribuit efficaces vires, & efficaciter movet ad illos: ad ulteriores verò actus liberos, dat vires sufficientes; ideoque respectû illorum est auxilium sufficiens. De quo infrà latiùs. *Habes* prętereà, actus liberos timoris, fidei, spei, & id genus (quantunvis imperfectos) non esse effectus gratiæ excitantis, quà talis: nec enim per illos vocamur à Deo, aut excitamur, ut credamus, speremus, aut diligamus; sed potiùs per illos Deo jam vocanti & excitanti respondemus, consentiendo,& cooperando eosdem actus: ergo sunt effectus gratiæ adjuvantis, per quam adjuvamur ut excitanti consentiamus, & sine qua illi de facto non consentimus: ergo non sunt effectus gratiæ excitantis. Nec, propriè loquendo (sicut oportet in his materiis) dicendi sunt præfati actus *gratia excitans* respectû sequentium perfectorum actuum, quantunvis nos alliciant & invîtent ad illos, sed *dispositiones remotæ* duntaxàt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

295 Opp.1.cont.1.p.1.concl. quòd CC.& PP. gratiam excitantem frequenter appellant *cogitationes & volitiones, quas Deus in nobis sine nobis operatur.* R. CC. & PP. dum sic loquuntur, explicare causam per effectum, nam cogitationes & volitiones illæ sunt effectus gratiæ excitantis, effectivè moventis potentias ad illas eliciendas. Dùm autem

tem eandem gratiam vocant *illuminationem*, & *inspirationem*, sumunt voces istas activè, quatenùs nempè, significant principii effectivi operationem, qualiter à solo Deo illuminante & inspirante sunt, ut nomina ipsa sonant; non autē pro ipsis operationibus, quibus solùm formaliter illuminamur, & inspiramur.

296 Opp.2. ad idēm D.Th.hîc q.110.a.2. docentem, quòd *gratuitus effectus, quo movetur anima à Deo ad aliquid cognoscendum vel volendum, non est qualitas, sed motus quidam animæ*: *quia* (inquit) *actus moventis in moto, est motus*; sed motus in intellectu & voluntate est actus, cùm sit quid vitale in actu secundo: ergo. *R.* mentem S. Doctoris esse, quòd gratia actualis non est qualitas permanens, seu donum habituale; est tamen qualitas per modum transeuntis, ut expressè docet q.3.de pot. a.7. ad 7. Nec obstat adjuncta probatio: non enim ait, quòd qualitas illa fluida est motus vitalis, seu elicitus à potentiis; sed esse *motum animæ*, nempè, animæ à Deo impressum, & in ea, aut in ejus potentiis, receptum per modum transeuntis, ut eliciatur actus vitalis, quippè est id, quô anima movetur ad propriam operationem; ait enim S.D. *Inquantùm anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoscendum.* Argumenta cont. 2.p. ejusdem, soluta manent to.1.à n.216.

297 Opp.3.cont.3.p. Qualitas illa fluida, vel est per modum actûs primi, vel secundi: si hoc secundum, erit intellectio; si primum, cùm sit actus primus creatus, indigebit aliâ prævîâ qualitate, & sic in infinitum: quòd si non indigeat, nec intellectus & voluntas illâ indigebunt. *Præt.* Repræsentatio objecti convenientis, quâ intellectus excitatur à Deo, non fit per qualitatem fluentem, sed per species impressas, objecti repræsentativas: ergo. *Ad* 1.*R.* qualitatem illam nec esse actum primum permanentem, seu per modum habitûs; nec esse actum secundum intellectûs, seu intellectionem; sed quid medium, qualitatem scilicèt virtuosam, simul elevantem & applicantem potentiam ad actum supernaturalem: sola autem virtus permanens indiget aliâ applicatione, ut colligitur ex D.Th. q.3. de

pot.

por.a.7.ad 7. *Ad* 2.*R.* quòd licèt ſpecies ſint permanentes in potentia, actualis tamen & exercita earum repreſentatio, non niſi per modum tranſeuntis datur, ſicut & applicatio potentiæ.

298 Opp.4.cont.2.concl ex Trident. ſeſſ.6.cap.5. ubi eandem vocat excitantem & adjuvantem gratiam, *Eidem gratiæ* (inquit) *liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur. Et* conf. quia PP. C. ut conſtat ex Actis, explicantes, quomodò movet Deus hominem ad juſtificationem, memoratâ interiori excitante gratiâ, ad meliora vocante, ſubdunt: *Sed quia hominis natura pronior eſt ad malum, ſine dubio vinceret caro, continuò ſpiritus repugnans; niſi gratia illa, diſpoſitio illa divina ... præſtitiſſet, ut diffuſa in corde hominis, ita voluntatem & aſſenſum ejus affeciſſet, ut liberè huic motui aſſentiretur*: ergo. *Præt.* Aug. ſæpè converſionem attribuit vocationi; cùm ergo vocatio ſit gratia excitans, hanc non diſtinguit ab adjuvante, quæ præſtat aſſenſum. *Tandem*: Quia Deus, cùm ſit infinitæ virtutis, unâ & eâdem motione cauſat in nobis aſſenſum, & quidquid vult in nobis operari.

299 R. ad 1. ſenſum Concilii non eſſe, quòd eidem uni excitanti & adjuvanti aſſentiendo, & cooperando, diſponantur; ſed, quòd diſponuntur aſſentiendo eidem gratiæ excitanti, & alteri adjuvanti cooperando, ut ſatis conſtat ex dictis ſuprà, & to.1.à n.421. *Ad* 2.R.PP.Concilii non dicere, unam & eandem gratiam realiter eſſe excitantem & adjuvantem; ſed quòd eadem gratia ſeu miſericordia Dei, operatur in utroque auxilio gratiæ excitantis, & adjuvantis, ut ex eorundem verbis, N.292. laudatis, apertiſsimè liquet. *Ad* 3. *R.* Aug. tunc loqui de vocatione efficaci, imò efficaciſsimâ, ut patet ex ipſius verbis, lib.enim de grat.& lib.arb. (ut alia loca omittamus) ſic loquitur: *Tam magna & efficaciſsima vocatione converteretur.* Vocatio autem efficax, & dicit gratiam excitantem, in vocatione ſtantem; & efficaciam, quam illa ex adjuncta gratia adjuvante derivat. *Ad* 4. N.ant. Quanvis enim poſſet Deus unò eòdem auxiliò voluntatem movêre ad actum indeliberatum, &

ad

ad liberum; ob suam tamen fortem & suavem providentiâ, ad actus indeliberatos movet gratiâ excitante; ad liberos verò, per adjuvantem, ut auxilia prævenientis gratiæ, actibus ad quos dantur, proportionentur.

DUBIUM II.

Quid sit gratia operans, quid cooperans, & quomodò invicèm distinguantur?

300 CElebris hæc divisio gratiæ in *operantem*, & *cooperantem*, colligitur ex illo Apost. ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere*: per gratiam enim quâ operatur in nobis *velle*, intelligitur *operans*; per illam verò, quâ operatur *perficere*, significatur *cooperans*, ut docet Aug. lib. de grat. & lib. arb. c. 17. dicens: *Deus cooperando perficit, quod operando incipit: quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: propter quod ait Apostolus*: Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. *Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cùm autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur: Tamen sine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Eandem divisionem tradit S. Prosper, cum à S. P. Augustino instrui desiderat inter alia: *Quomodò per istam præoperantem, & cooperantem gratiam, liberum non impediatur arbitrium?*

301 Illam insuper amplectuntur universi Theologi cum Mag. in 2. d. 26. & cum D. Th. hîc a. 2. Adeò tamen in illius explicatione dissident, ut jurè dixerit Illust. Alvarez disp. 81. *tot esse in hac parte sententias, quot capita.* Earum quædam confutatę manent ex dictis dub. præcedenti; nonnullas alias, tanquàm Aug. & Thomę minus conformes, rejiciemus, & germanam utriusque S. Doct. mentem, Deô dante, aperiemus. Pro quo, supp. 1. tripliciter dici *Deum operari in nobis.* Primò, ut est quid genericum ad

ope-

operantem & cooperantem gratiam, juxta illud: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Primæ Cor. 12. *Idem verò Deus qui operatur omnia in nobis.* Quibus consonat illud C. Arausi. II. *Quotiès bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum operatur.* Secundò sumitur pro utrâque in particulari gratia. Et hôc modô dixit Apost. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.* Seu (ut alia littera habet) *velle, & operari.* Tertiò demùm accipitur proùt sonat tantùm gratiam operantem, ut distinctam à cooperante; quâ ratione, est alterum hujus divisionis membrum. *Et hinc* videas, quàm ineptè & confusè adducantur hîc à quibusdam Scripturæ loca ad convincendam existentiam gratiæ operantis, ut à cooperante distinctę. *Supp.* 2. cum D. Th. ubi proximè, quòd etiam gratia habitualis dividitur per operantem, & cooperantem, ob duplicem ejus effectum, *esse* scilicèt, & *operari*: quatenùs enim dat esse animæ, idest, quatenùs eam formaliter sanat, vel justificat, sive gratam Deo facit, dicitur *operans*; quatenùs verò est principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur *cooperans.* Quia tamen id ab omnibus sine controversia admittitur, & satis constat; propterea de sola operante & cooperante actuali disceptamus.

302 Supp. præt. ex dictis dub. præced. hanc gratiam non consistere in aliqua intellectûs aut voluntatis operatione indeliberatâ, aut deliberatâ. Quælibet enim gratia actualis interna à solo Deo est; quod utiquè apertè repugnat operationi nostræ vitali, essentialiter exigenti esse à principio nobis intrinseco. *Et* hinc corruit quod docet Molina, gratiam scilicèt operantem, stare in actibus præcedentibus justificationem, ad eamque disponentibus; cooperantem verò, in subsequentibus illam. *Quod* insuper manifestè aliunde rejicitur: quia, & datur gratia cooperans, justificationem præveniens; & rursus datur gratia operans, illam subsequens. *Primum* constat ex Trident. sess. 6. cap. 5. docente, dari gratiam cooperantem ad dispositiones, antecedentes justificationem. Et can. 4. id negantes anathemate percellit. *Si quis* (inquit) *dixerit, liberum*

homi-

hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet ... anathema sit. Secundum autem etiam constat in justo, dùm aliis intentus, de novo ad operandum supernaturaliter movetur. *Confundit* certè Molina gratiam cooperantem actualem cum habituali, quam constat, neutiquàm dari ante justificationem. His suppositis, sit

303 Concl. 1. *Gratia actualis operans non consistit in qualitate fluida, quatenùs præcisè reddit voluntatem formaliter motam & applicatam; sed solùm in qualitate fluida, qua Deus causat simplicem finis volitionem, seu primum velle supernaturale liberum, aut actum interiorem.* Est frequentior inter Nostrates, traditur enim à Cajet. Soto, Lemos, J. à S. Th. Serra, Salmant. Ferre, aliisque contra Illust. Alvarez, aliosque, quos suppressô nomine validè rejicit Ven. Lemos lib. 4. p. 1. tr. 8. cap. 3. à n. 39. quibus subscribunt Gonet, Contenson, & Labat, asserentes, ad omnem voluntatis actum, sivè sit volitio finis, sivè non, utramque gratiam concurrere, operantem, scilicèt, & cooperantem; & solam hanc efficere voluntatis actum, operantem verò ad illum movere, & determinare duntaxàt. Quorum utrumque utrique S. Doctori Augustino & Thomæ, ac veritati adversatur.

304 Prob. ergo concl. & rejicitur primum Adversariorum dictum. (secundum autem, ultimâ concl. evertemus.) Primò ex Aug. ubi suprà, expressè docente, quòd per gratiam operantem Deus operatur in nobis velle, seu primum nostrum velle, aut simplicem volitionem, quam D. Th. vocat *actum interiorem*: ergo iste est effectus gratiæ operantis: sicut ipsum facere (postquam jam volumus) effectus est cooperantis gratiæ: ergo nec ad omne velle liberum, nec ad omne facere, concurrit (juxta Aug.) utraque gratia. *Ait* insuper M. P. *Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*; sed non operatur ut velimus, excitando solùm moraliter, ut Authores illi nobiscum fatentur: ergo operatur verè, & activè propriè, ut velimus: ergo nostrum illud velle est effe-

ctus

ctus gratiæ operantis. *Præt.* Post laudata verba, continuò subdit: *De operante illo ut velimus, dictum est: Deus est qui operatur in nobis & velle.* Quid apertius? Per solam igitur gratiam operantem (quam à cooperante ibi distinguit) ait, Deum operari in nobis ipsum nostrum velle: ergo istud solîus gratiæ operantis effectus est. *Tandem*, quia c. 16. ejusdem lib. postquam dixit, *Certum est, nos velle cùm volumus*, subdit: *Sed ipse facit ut velimus, de quo dictum est*, præparatur voluntas à Domino: *De quo dictum est*, à Domino gressus hominis diriguntur: *De quo dictum est*, qui operatur in nobis & velle: ergo, juxta ipsum, gratia operans utrumque simul præstat respectû nostri velle, nimirùm, & *præparare*, seu præmovere voluntatem, & simul cum illa, sic præparata & præmotâ, efficere velle illud nostrum.

305 Prob. deinde id ipsum ex D.Th. hîc a.2. in corp. ubi simplicem boni volitionem (quam vocat *actum interiorem*) tribuit cum Aug. gratiæ operanti, tanquàm hujus effectum; cooperanti verò, *actum exteriorem*, seu *imperatum*. Et ad 3.ait: *Homo per gratiam operantem adjuvatur à Deo, ut bonum velit; & ideò præsuppositojam fine, consequens est, ut gratia nobis cooperetur*: ergo simplex illa volitio finîs (quam intelligit per *bonum velle*, & per *actum interiorem*) producta est à voluntate, & à gratia operante. *Præt.* in 2.d.26.q un. a.5. proponit tertium arg. ut probet, omne opus nostrum liberum, esse effectum solîus gratiæ cooperantis; cùm nullum sit, ad quod non concurrat simul cum gratia liberum arbitrium: quod sanè est fundamentum sententiæ, quam rejicimus. Illi autem respondet S.D. *Verum est, quòd ipse motus voluntatis, non est à gratia sine libero arbitrio; & tamen, quia se habet gratia ut principale, quia inclinat in talem actum per modum cujusdam naturæ: ideò ipsa sola talem actum dicitur operari; non quòd sine libero arbitrio operetur, sed quia est principalior causa: sicut gravitas dicitur operari motum deorsùm.* Hęc S.D. quibus nihil pręclarius. *Unde* meritò subdit sapientiss. Lemos: *Hic planè in omnibus S.Thomæ Discipulis controversia cessare debet, omnesque fateri tenentur, per gratiam operantem effici immediatè simul cum voluntate aliquem actum libe-*

liberum nostræ voluntatis, ita quòd ad illum nulla requiratur gratia cooperans. Dicit autem S. D. *gratiam inclinare in illum actum* (utique liberum) *per modum naturæ*, quia voluntas ad illum non se præmovet ex prævia deliberatione; sed elicit illum mota à solo Deo conformiter ad suam liberam naturam. *Accedit* manifesta ratio ad hominem: quia si solîus gratiæ operantis est applicare, præmovere, ac determinare voluntatem: & solîus cooperantis est, cum voluntate sic applicatâ operari, nulla gratia cooperans, quà talis, erit præveniens, sed solùm simultanea & concomitans, quod ipsi nobiscum apertè negant: ergo.

306 Secunda concl. *Gratia cooperans actualis stat formaliter in qualitate fluida, seu motione, qua Deus applicat voluntatem ad actum exteriorem, seu imperatum; sive iste eliciatur à voluntate, sivè ab alia potentia.* Constat ex dictis, & prob. *Tum*, quia gratia operans est solîus liberæ voluntatis finîs, ad quam movet, & quam cum voluntate motâ efficit: ergo cooperans est respectu cujuscunque ulterioris actûs voluntatis, aut alterius potentiæ, quô, finis prævolitus perfici & obtineri possit: Deus siquidem, ut Aug. ait, *præparat voluntatem; & cooperando perficit, quod operando incipit.* Et iterum: *Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volendo cooperatur perficiens.* *Tum* quia, juxta D.Th. gratia cooperans ea est, quâ Deus movet voluntatem ad actum exteriorem, seu imperatum, ad quem scilicèt, seipsam movet per aliquem alium actum; sed voluntas per primum bonum velle supernaturale, quod est effectus gratiæ operantis, movet se ad præfatos actus subsequentes, *voluntas* enim *per hoc quòd vult finem, movet se ad volendum ea quæ sunt ad finem*, ut ait S.D. suprà q.9.a.2. ergo.

307 Hinc referes, quôd cùm voluntas, semel actuata per simplicem finîs volitionem, se movere possit ad finîs intentionem propriam, deliberando videlicèt, se velle, illum per media aliqua obtinere; homo per gratiam cooperantem se movet ad propriam finis intentionem, ut à simplici volitione distinctam, ut optimè notat Mag. Lemos ubi suprà cap. 3. à n. 52. & cap. 5. n. 76. & sic exponendos esse,

esse, ait, Cajetanum, & Sotum : quippè nomine *intentionis* intelligunt simplicem volitionem, de qua egit D.Th. suprà q.8. de intentione autem strictè sumpta agit S.D.q.12. Et sic etiam accipiendum est quod nos diximus to.2.n.304. initiò, ut ex ratione ibi adducta liquet : Intentio autem propria, & à simplici volitione distincta, imperari potest; nam imperium rationis habet movere efficaciter quoad exercitium virtute simplicis volitionis finis, quæ neutiquàm imperari potest, juxta D.Th.q.17. a.1.ad 5. quia est primus voluntatis actus liber.

308 Ultima concl. *Gratia operans, & cooperans, realiter invicèm distinguuntur, non secùs ac actus, ad quos dantur.* Colligitur pariter ex dictis,& prob. *Tum* ex D.Th. hîc, ubi, assignatis distinctis actibus ad quos dantur gratia operans & cooperans, subjungit : *Si igitur gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, qua movet nos ad bonum meritorium; convenienter dividitur gratia per operantem, & cooperantem : si verò accipiatur gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiæ effectus, sicut & cujuslibet alterius formę.* Profectò, si gratuita motio gratiæ operantis una realiter esset, cum duplici effectu; hoc non limitasset S. D. ad solam habitualem, sed dixisset, quòd omnis operans & cooperans gratia, seu habitualis, seu actualis, est una & eadem cum duplici effectu : ergo. *Id ipsum* expressè tradit q.27. de verit. a.5. ubi, postquàm docuit, gratiam habitualem operantem, & cooperantem, esse eandem essentialiter seu realiter gratiam, adjecit: *Sic igitur gratia secundum quòd est donum habituale in nobis, est una tantùm; secundum autem quòd dicit effectum aliquem Dei in nobis, ordinatum ad nostram salutem, possunt dici multæ gratiæ in nobis.* Ratio etiam suffragatur: quia hujusmodi gratiæ sæpè invicèm separantur : gratia enim operans actualis tantùm durat, quantùm actus illîus benè volendi : ergo istô transactô, transit : ergo dùm postmodùm vult homo perficere priorem bonam voluntatem (id quod frequenter accidit) necesse est, quòd de novô incipiat gratia cooperans, illam perficiens; sicut de novo incipit actus, qui est illius effectus.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

309 Opp.1. cont. 1. concl. Ad gratiam operantem pertinet, incipere negotium nostrę salutis; ad cooperantem verò, illud perficere, juxta Aug.lib.de grat.& lib.arb. c.17. sed verè inchoatur salutis negotium per hoc pręcisè, quòd Deus moveat nos ad illam ante omnem liberum consensum, quem dùm præbemus, jam tenditur ad consummationé seu perfectionem salutis: ergo gratia dicitur propriè operans, quatenùs nos movet antecedenter ad liberum consensum. *Præt.* Si gratia operans verè efficeret primum illud velle, liberũ arbitrium cooperaretur gratiæ operanti; sed hoc est falsum, nam arbitrii cooperatio est respectû solîus gratię cooperantis: ergo. *Ad* 1. R. non quodlibet salutis exordium pertinere, juxta Aug. ad gratiam operantem, sed illud,quod habetur per bonum velle, quod illa operatur, ut ex Apost. probat Mag.P. *Ad* 2. N.min. satis enim ex dictis constat, arbitrium nostrum, non solùm gratiæ cooperanti, sed etiam operanti, cooperari.

310 Opp.2. cont.eandem: Effectum gratiæ operantis operatur Deus sine nobis, juxta Aug. quod explicans D. Th. hîc, ait, gratiam dici operantem in ordine ad illum effectum gratuitum, in quo Deus solus est movens, & voluntas nostra mota: ergo gratiæ operantis solùm est prę-movere,non autem cum voluntate immediatè efficere primum velle, hoc enim non sine nobis, sed nobiscum operatur, nec ad illud voluntas est solùm mota. *R.* mentem utriusque S.D. esse, quòd effectus gratię operantis est primum velle liberum,seu actus interior, dicunt autem, *illum operari Deum sine nobis*; ideſt, *sine nobis nos prę-moventibus ad illum habendum per priorem deliberationem.* Non tamen *sine nobis liberè illum elicientibus*; hoc enim, sicut implicat, ita à mente utriusque S. Doct. est alieniſsimum. Ad illud igitur primum velle, non se movet voluntas per propriam deliberationem, sed movetur à Deo; illud tamen, sic mota, verè liberè efficit: aliud sanè est, actum esse liberum

tan-

tantùm; aliud, liberum & deliberatum ſimul. Vide to. 2. n.250. & Cajet.hîc.

311 Opp.3. cont.eandem: Primum illud velle, ſi adſint alia requiſita ad meritum, erit meritorium: ergo nequit eſſe effectus gratiæ operantis; actio enim meritoria eſt effectus ſolîus gratiæ cooperantis, juxta D.Th.infrà q.114. *Diſt.* ant. erit meritorium, ut procedit à gratia operante, N. Quatenùs eſt à gratia cooperante, ſubdiſt. actuali, N. habituali, C. Actus enim meritorius, quâ talis, nec fit ab aliqua gratia operante, nec à cooperante actuali, ſed ſolùm eſt effectus gratiæ cooperantis habitualis, ſeu juſtificantis, quæ dicitur & eſt *cooperans*, quatenùs eſt principium actûs meritorii, ut ex D.Th. diximus N.298. *Nec* obſtat, quòd S.D. locô ibi laudatô aſſerat, quòd, ſi accipiatur gratia pro actuali motione, quatenùs nos movet ad *bonum meritorium*, dividitur in operantem, & cooperantem: ſenſus enim eſt, quòd movet nos (ſivè mediatè, ſivè immediatè) ad opus meritorium, quia tandem ordinat Deus operationem & cooperationem actualis gratiæ, ad juſtificationem & meritum.

312 Opp. tandem cont. ult. D. Th. hîc ad 4. expreſsè docentè, quòd *gratia operans, & cooperans, eſt eadem gratia, ſed diſtinguitur ſecundum diverſos effectus, ut ex ſupra dictis patet*, nempè in corp.art. *R.* loqui S.D.de gratia operante & cooperante habituali, de qua præmiſerat in corp. art. quòd eſt eadem gratia cum duplici effectu. Solutio conſtat ex littera, argumentum enim cui reſpondet, non opponebat, quòd ſemper idem operetur, & cooperetur; ſed tantùm, quòd idem poteſt operari & cooperari, nimirum, habitualis gratia: unde de iſta determinatè eſt ſermo in ſolutione. Et eôdem modô exponenda ſunt alia D. Th. teſtimonia; ſi quę idéptitatem utriuſque præfatæ gratiæ inſinuent.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***

DU-

DUBIUM III.

Utrum gratia operans actualis coincidat cum excitante; & cooperans cum adjuvante?

313 CONcl. est neg. quam mordicùs propugnant Illust. Alvarez disp. 81. conclus. 2. & Ven. ac sapientiss. Lemos lib. 4. part. 1. tract. 8. cap. 1. & 2. ubi jurè miratur, nonnullos D. Th. Discipulos oppositum inconsequenter opinari; sed potiùs nunc mirandum, quòd plures moderniores inconsequentiam (adeò ab illo patefactam) non deprehenderint, aut, quòd deprehensam non vitaverint. *Prob.* autem concl. primò. Quia gratia quæ dividitur in operantem, & cooperantem, est determinatè gratia adjuvans, ut ab excitante distincta: ergo perperàm confunditur excitans cum operante, & adjuvans cum cooperante.

314 Prob. ant. *Tum* ex Aug. verbis n. 227. laudatis, quibus manifestè docet, adjutorium operantis & cooperantis gratiæ esse illud, quô Deus, juxta Apostolum, efficaciter nos adjuvat, vel operando in nobis velle, vel nobis cooperantibus operando. Et quòd Deus per operantem gratiam operatur in nobis ut velimus, idest, ut velimus consentire gratiæ excitanti, quod est proprium munus gratiæ adjuvantis, gratia enim excitans non operatur in nobis velle liberum, sed motus subitos. *Tum* ex S. Prospero inquirente ab Aug. inter alia: *Quomodò per istam prœoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediretur arbitrium?* quæ sunt illius verba formalia: ergo manifestè agnoscit, gratiam, quâ Deus operatur & cooperatur nobiscum, esse prœvenientem adjuvantem; aliàs, quid opus esset Augustinum consulere, cum evidentissimum sit, quòd per prævenientem excitantem moraliter, liberum non impediatur arbitrium.

315 *Tum* ex D. Th. hîc a. 2. dicente: *Gratia dupliciter*

dici

dici potest : *uno modo, divinum auxilium, quo Deus nos movet ad benè volendum & agendum. Alio modo, habituale donum nobis divinitùs inditum* : *utroque autem modo gratia dicta, convenienter dividitur per operantem, & cooperantem.* Ubi nomine *auxilii divini* intelligit gratiam actualem adjuvantem, quæ semper habet conjunctum liberum actum voluntatis nostræ, *qui enim adjuvatur, aliquid & ipse facit*, ut Aug. perpetuò docet. Clariùs id ipsum docet ad 3. dicens : *Homo per gratiam operantem adjuvatur à Deo ut bonum velit* : *& ideò, præsuppositio jam fine, consequens est, ut gratia nobis cooperetur.* Quibus apertè docet, Deum dupliciter nos adjuvare per gratiam adjuvantem, operando nimirùm per operantem, quòd bonum velimus; & cooperando per cooperantem ad volitionem mediorum : ergo gratia adjuvans ab excitante distincta, est quæ dividitur in operantem, & cooperantem : Id quod non obscurè docet C. Colon. in Inquiridio de Sacram. Pœnit. dicens: *Qui* (Deus) *operatur in nobis velle, idest, ut assentiamur vocationi; & currere, idest, operari, pro sua bona voluntate.* Profectò si assentiri vocationi, seu gratiæ excitanti, est effectus gratiæ operantis ; hęc, non excitans, sed adjuvans est.

316 Prob. 2. concl. ad hominem cont. præfatos Thomistas : ipsi enim constanter docent, Deum verè & efficienter operari in nobis nostrum velle liberum, & non solùm moraliter invitando, alliciendo, & suadendo; id quod multis suadêre conantur, & à quo nos præscindimus, ob reverentiam Sedis Apost. ut n. 280. monuimus : ergo omninò inconsequenter confundunt gratiam operantem cum moraliter excitante. Certum quidem est, gratiam operantem moraliter (quæ scilicèt, alliciendo, invitando, & suadendo facit ut velimus) coincidere cum excitante; sed gratiam verè & efficienter operantem, ab excitante esse distinctam, nullus Thomista inficiari potest. Et hoc solum in præsenti intendimus, ut nullus deinceps inconsequenter loquatur. Equè enim consequenter ad sua respectivè principia, asserunt Jesuitæ, & negant Dominicani, idem *esse munus operantis, & excitantis gratiæ* ; & consequenter, idem

etiam

etiam esse cooperantis, & adjuvantis. Procul ergo sint à Schola nostra voces illę, *gratia operans, seu excitans*: *gratia cooperans, seu adjuvans.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

317 Opp.1.Trident.sess.6.de justific.cap.5. *eandem* appellare *gratiam prævenientem*, excitantem & adjuvantem; & liberum arbitrium disponi ad justificationem, *eidem gratiæ assentiendo, & cooperando*: ergo. *Pręt.* Aug. tribuere operationem vocationi, seu gratiæ excitanti: ergo. *Postremò*: Deus per excitantem gratiam operatur in nobis initium salutis, ut constat ex Trident. sed idem operatur per operantem, ideoque dicitur, quòd per illam operatur ut velimus; non autem quia ipse solus operatur nostrum velle, quod sanè implicatorium est: ergo. *Ad* 1. R. Conc. potiùs indicare distinctionem utriusque gratiæ, excitantis scilicèt, & adjuvantis, & utramque esse prævenientem, quâ disponimur ad justificationem, liberè assentiendo gratiæ excitanti, & liberè cooperando adjuvanti: idem enim actus liberi arbitrii dicitur *assensus*, & *cooperatio*; assensus quidem, respectû gratiæ excitantis; cooperatio verò, respectû adjuvantis. Vide dicta to.1. à n.422. & M.Lemos lib.1. p.2. pag.188. & lib.4.p.1.pag.252.

318 *Ad* 2. R. Aug. nomine *vocationis* non solùm comprehendere gratiam excitantem, quę moraliter operatur ut velimus, sed etiam adjuvantem, quâ Deus verè & efficienter facit ut velimus, & operatur nostrum velle. Vide D.Th.infrà q.113.a.1.ad 3. *Ad ult.* R. ab utrâque gratiâ sumi justificationis exordium; ab excitante quidem, remotè; ab adjuvante verò, proximè: ideoque Concilium loquens de gratia præveniente, quæ est justificationis initium, docet, illam esse *excitantem*, & *adjuvantem*: & meritò, deficiente enim gratiâ adjuvante, non consentit homo gratiæ excitanti, sed illi defacto resistit: Unde tunc nec datur defacto salutis initium, aut istud non ex gratia, sed ex libero sumeretur arbitrio: ab utrâque igitur gratiâ illud sumitur, quin inde sequatur, unam & eandem esse, imò diversam, ut ex dictis constat.

319 Opp.2. cum PP. Salmant. D.Th.hîc non meminit divisionis gratiæ actualis in *excitantem*, & *adjuvantem*: ergo illam comprehendit sub divisione ejusdem in *operantem*, & *cooperantem*: ergo utramque divisionem judicavit unam, & eandem; nec enim primam omisit, quòd ignota tunc foret, cùm illam tradiderit August. R. Simili argumentô probari posse, divisionem gratiæ actualis in *sufficientem*, & *efficacem*, confundendam esse cum divisione ejusdem, in *operantem*, & *cooperantem*, cùm D.Th hîc prioris non meminerit. Dicendum ergo, divisionem gratiæ actualis in *excitantem*, & *adjuvantem*, eandem esse (ut infrà patebit) cum divisione ejusdem, in *sufficientem*, & *efficacem*; quam reipsa virtualiter, implicitè, & per æquivalentia verba tradit S. D. ex August. suprà q.109. a.10. ad 3. ubi ait:

320 *Ad 3. dicendum, quòd sicut Aug. dicit lib. de nat. & grat. cap.43. homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset, non autem accepit ut perseveraret: nunc autem, per gratiam Christi, multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & ulterius eis datur quòd perseverent. Et sic donum Christi est majus, quàm delictum Adæ.* Quibus manifestè distinguit auxilium illud, quô homo potest perseverare, & *sine quo non* potest perseverare (quod utiquè vocatur sufficiens) ab auxilio, *quo* defacto homo perseverat, quod, secundum omnes, est efficax. Hôc eôdem modô (scilicèt verbis omninò æquivalentibus) traditur hæc divisio in Scrip. CC. & PP. ut universi tradunt Theologi, inter quos videndus Lemos lib.4. tract.2. cap.8. à pag.29. *Cùm* ergo hęc divisio eadem omninò sit, vocibus diversis, cum divisione gratiæ actualis in *excitantem*, & *adjuvantem*; hanc sufficiente tradit D.Th. nec opus est eam confundere cum divisione gratiæ actualis in *operantem*, & *cooperantem*, quę subdivisio est *adjuvantis*, *efficacis*, seu *moventis*. *Ad* alia fundamenta Salmant. non opus est respondêre, supponunt enim, effectum gratiæ operantis, esse motus indeliberatos, quod falsum esse, & Aug. & Thomæ planè adversum, ex dictis evidentissimè constat.

Cir-

321 Circa divisionem gratiæ in *prævenientem*, & *subsequentem*, de qua D. Th. hîc a. 3. sciendum est 1. esse fidê certam, nam ut ait Aug. in Enchirid. c. 32. *utrumque legimus in sacris eloquiis*, & *misericordia ejus præveniet me*; & *misericordia ejus subsequetur me*. Diffinitur insuper in Trident. sess. 6. de justif. cap. 16. ubi dicitur: *Ipse Christus Jesus, tanquàm Caput in membra, & tanquàm vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit. Quæ virtus, bona eorum opera antecedit semper, & comitatur, & subsequitur. Et sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possunt.* Ubi nomine *virtutis antecedentis*, intelligit *gratiam prævenientem*, nomine autem *virtutis comitantis*, & *subsequentis*, gratiam subsequentem.

322 Sciendum præterea, illam adaptari, tum gratiæ habituali secundum diversos effectus, tum actuali. *Primum* constat, quia, ut ex Aug. explicat D. Th. hîc: *Sunt in nobis quinque effectus gratiæ. Primus est, ut anima sanetur: secundus, ut bonum velit: tertius, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur: quartus, ut in bono perseveret: quintus, ut ad gloriam perveniat: Et ideò gratia, secundum quòd causat in nobis primum effectum, vocatur* præveniens *respectu secundi: & prout causat secundum, vocatur* subsequens *respectu primi effectus. Secundum* etiam constat, quia gratia actualis interdum dicitur *subsequens*, quatenùs scilicèt, ad priorem aliam gratiam subsequitur, ut enim Aug. ubi suprà ait, *nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur, nè frustrà velit*, seu, ut perseveret. Et Fulg. lib. 1. ad Monium, cap. 11. *Prævenit impium, ut fiat justus; subsequitur justum, nè fiat impius: Prævenit elisum, ut surgat, subsequitur elevatum, nè cadat*: Unde omnis gratia verè *operans*, dicitur *subsequens* respectû excitantis, sicut & *cooperans*, respectû operantis.

323 Quælibet tamen gratia actualis prævenit actum ad quem datur, seu *excitans* sit, seu *adjuvans*, *operans*, aut *cooperans*. *Deus enim est* (ut Aug. ait) *quem nemo diligit, nisi præventus; quem nemo amittit, nisi deceptus; quem nemo possidet, nisi beatus.* Et ut eleganter Deum alloquitur Bern.

Hoc valdè mirum, quòd nemo te quærere valet, nisi qui priùs invenerit: vis igitur inveniri, ut quæraris; quæri, ut inveniaris; sed non præveniri. Et iterùm Aug. lib. 4. cont. duas Epist. Pelagian c.6. *In omnibus, quę quisque agit secundum Deum, misericordia ejus prævenit eum.* Et quidem gratiam *excitantem*, esse *prævenientem*, nullus ambigit. De *adjuvante* verò (seu *operans* sit, seu *cooperans*) pro viribus defendunt nostrates. Et præcipuè M.Lemos lib.1.p.2.tr.4.cap.18. & lib.4. p.1.tract.7.cap.17.& seq. Et Abbas Castel de lib.arb.disp. 2. Vide dicta à nobis to.1.à n.421.

DUBIUM IV.

De divisione gratiæ in sufficientem, & efficacem.

324 DIvisio hęc celebris semper fuit, & his temporibus celeberrima, quam apertè negant universi gratiæ Christi hostes, tàm veteres, quàm recentes. Et quidem ingratissimus omnium Pelagius omnem initiò inficiatus est interiorem gratiam; & licèt interdùm, inconstans ac vaferrimus homo, *sufficientem* admisisse videatur, *efficacem* tamen semper rejecit, veluti libero inimicã arbitrio; quod se suscepisse adversus Manichęos tutandum gloriabatur, teste Aug. lib. de gratia Christi, c.47. Eandem etiam aversati sunt Origenes, cęterique Pelagii præcursores, suprà relati n.163. sicut & ejusdem reliquię, seu Semipelagiani. *Sufficientem* verò de medio tollere nisi sunt Lutherani, Calvinistę, Bajani, Jansenistæ, & Quesneliani concorditer delirantes, nullam in statu lapsûs esse gratiam sufficientem, ab efficaci distinctam, sed omnem prorsùs interiorem gratiam, esse efficacem; & taliter efficacem, ut arbitrii libertatem evertat: cùm autem hæc efficacia, non vera, sed monstruosa sit, & à Christi gratia prorsùs aliena, restat, præfatos Novatores *omnem Christi actualem interiorem gratiam evertere.*

Ca-

325 Catholici verò DD. post exortam Lutheri, & Calvini hæresim, laudatam divisionem constanter propugnant (si Paulum Bennium, & J. Ant. Delphium excipias) tanquàm fidê certam, & re ipsâ virtualiter, implicitè, & equivalentibus verbis, traditam in Scripturis & CC. & à PP. & antiquis Theol. Ità expresè docent ex nostris Cajet. super Epist. 1. ad Cor. ad illa verba: *Fidelis Deus, &c.* Ferrar. 3. cont. gent. cap. 159. Sotus in 4. d. 14. q. 1. a. 10. Bañez 1. p. q. 23. art. 3. Medina 1. 2. q. 109. a. 10. Alvarez disp. 71. de aux. Lemos lib. 4. cap. 8. Ledesma de aux. a. 16. Greg. Martinez 1. 2. q. 104. a. 10. dub. 2. J. à S. Th. 1. 2. q. 111. disp. 24. a. 1. Tapia q. 1. de gratia, a. 3. Araujo 1. 2. q. 111. a. 5. disp. 6. J. Mart. de Prado de Pœnit. q. 86. disp. 204. Navarrete 1. p. q. 19. a. 8. Nuño 3. p. q. 62. a. 5. Nazarius 1. p. q. 23. a. 3. Lezana 1. p. disp. 11. Gonet de volunt. disp. 4. a. 5. §. 3. Godoy to. 2. in 3. p. disp. 52. & 70. & 1. 2. d. 43. Contesson lib. 8. dissert. 2. c. 2. Labât to. 4. disp. 3. dub. 3. Ferre de volunt. Dei, q. 6. & de prædest. q. 11. Natalis Alex. Theol. Dogm. lib. 1. a. 5. §. 10. Carrasco to. 2. d. 6. Massoulie to. 2. de mot. Dei, dissert. 3. q. 1. a. 2. Graveson dissert. 16.

326 Idem docent, extra Ord. nostrum, alii Thomistæ, Zumel 1. 2. disp. 4. Cabrera 3. p. q. 18. a. 4. dub. 3. Lorca disp. 17. de grat. Montesinos 1. 2. q. 111. disp. 31. q. 5. Sylva 1. p. q. 14. a. 13. Aguirre to. 3. Theol. S. Ansel. disp. 124. & 152. Rios tract. de libert. ad fidem, disp. 2. Cabassutius in Addit. ad Not. Eccles. pag. mihi 688. Salmant. de Aux. Castel de lib. arb. à n. 1031. & de leg. & grat. à n. 645. *Ex* Scotistis verò, Fran. Macedo to. 2. collat. 7. diff. 3. Ant. Perez de intellectu div. disp. 5. & de volunt. d. 7. Sandin. Opus. de grat. actuali; Boivin de grat. Christi, cap. 8. Henno q. 1. de Gratia. *Ex* Jesuitis, Bellarm. Suar. Vazq. Valen. Lessius, Ripalda, Dacamps, Tyrsus, Lugo, Aranda, Alderete, Ant. Perez, aliique plures videndi apud Castel ubi suprà, quibus subscribit Platelius. *Ex* aliis demùm, Caramuel, Noris, Lafosse, Manso, & innumeri alii.

327 Ad vitandas autem equivocationes, valde notandum est cum Sapientiss. Lemos lib. 4. tract. 4. cap. 2. à n. 141.

quòd

quòd auxilium *sufficiens* appellari solet *efficax*, sumptâ efficaciâ generaliter, scilicèt pro virtute habente in suo genere specialem energiam ad aliquid agendum, quamvis illud defacto non agat: qualiter medicina dici solet *efficax* ad salutem, quanvis illam defacto non efficiat; & similiter passio Christi, ejusque Sacramenta, sunt remedia *efficacia*, imò efficaciſsima ad omnia tollenda peccata, & omnium hominum spiritualem salutem efficiendam; quia nimirùm, in se ipsis hanc virtutem, seu energiam habent. Et in hoc sensu sumitur vox *efficax* in illo ad Hebr. 4. *Vivus est sermo Dei & efficax, &c.* Quæ quidem acceptio satis frequens est apud PP. juxta quam *auxilium gratiæ sufficiens est verè efficax*, ut appositè ait Suarez lib. 3. de aux. c. 14. & omnes fateri tenentur, cùm ex se effectivum sit supernaturalis conversionis. Talis autem *efficacia* cum *sufficientia* recurrit.

328 In præsenti igitur divisione non sic sumitur *efficacia*, sed proùt *sufficientiæ* contraponitur, ita, quòd per *gratiam efficacem* intelligunt omnes *gratiam cum effectu ultimo, & principali conjunctam*, undecumque hujusmodi efficacia proveniat. Perperàm igitur, & immeritò Card. Sfrondatus in nodo præd. p. 1. fol. 20. hanc divisionem versans, *efficaciam* cum *sufficientia* confundit, appellans *gratias efficaces*, quę effectum, seriò intentum, non obtinent; non effectû, sed conatû, *efficaciam* singulariter pendens.

329 Notandum præt. est cum eodem Ven. Lemos lib. 4. tract. 3. cap. 1. quòd vicissìm auxilium *efficax* (quod scilicèt semper producit effectum, & cui nunquàm resistitur) vocari solet *sufficiens*, ut videre est apud D. Th. locis ibi laudatis, vocantem *causam sufficientem*, seu *auxilium sufficiens*, illud, quod re verâ est *efficax*. Et præcipuè Rom. 9. lect. 4. initiò, ubi, exponens illud: *Voluntati ejus quis resistit?* (quod de efficaci Dei voluntate intelligitur, juxta omnes) ait: *Cùm omnia voluntati divinę attribuantur, quæ est causa sufficiens, eò quòd nullus potest ei resistere.* Ubi evidentiſsimè intelligit causam *efficacem*, nomine *sufficientis*, ut patet; si enim ideò sufficiens est, quia nullus potest ei resistere, manifestè talis *sufficiens* causa pro *efficaci* accipitur. *Idem*

con-

constat ex aliis locis ibi inductis. *Alibi* tamen expresè vocat *efficax auxilium*, quod laudatis locis appellat *sufficiens*.

330 In præsenti autem divisione sumitur auxilium, seu gratia *sufficiens*, pròut contraponitur *efficaci*, seu pròut est *merè sufficiens*, præbens quidem vires, sufficientiam, seu posse, ad velle, aut opus liberum salutare; non autem præbens ipsum velle, aut opus liberum salutare, quod nunquàm existit sine gratia; quidquid per incredibile paradoxon dicat Hieron. Sousa tract. de præd. a. 4. n. 77. quem optimè rejicit Castel. q. 5. de lege, & grat. sect. 7. à n. 648. *Quamvis* autem gratia *merè sufficiens* nunquàm exhibeat consensum liberum salutarem, est nihilominùs efficax ad supernaturales indeliberatas intellectûs illuminationem, & inspirationem voluntatis, ut omnes fatentur, & planè demonstrant Alvarez disp 80. & Lemos lib. 4. p. 2. tract. 3. c. 7. hæc tamen *efficacia* est secundum quid talis, ut ipsi asserunt, quia non est respectu ultimi effectûs, ad quem gratia *sufficiens* à Deo destinatur.

331 Demùm notandum est, quòd licèt auxilium istud, quod dividitur contra efficax, congruè & propriè appellari possit *auxilium generale in ordine gratiæ*, vel *communis vocatio*, vel *auxilium sine quo non potest homo rectè operari salutis opera, & cum quo benè operari potest, si vult*; cùm hujusmodi voces antiquissimæ sint, & à PP. traditæ: nihilominùs congruentissimè tale auxilium appellatur *sufficiens*, *Tum*, quia sic illud vocant unô ore, post Cajet. & Ferrar. universi Theologi, & Catholici, imò & Summi Pontifices Alex. VIII. & Clemen. XI. in suis Bullis. *Tum*, quia tale auxilium est simpliciter, & absolutè *sufficiens*, cùm homo per illud reddatur sufficienter potens ad salutariter operandum, si voluerit; etiamsi, ut defacto operetur, aliô indigeat: congruenter igitur *sufficiens* nominatur: quemadmodùm, & gratia habitualis rectè appellatur *sufficiens* in ratione principii operativi, quia mediâ charitate, aliisque habitibus immediatè operativis, tribuit posse benè operari, licèt non actû operetur sine alio auxilio: Aliud sane est, esse *sufficiens*

ciens in ratione principii operativi; aliud, in ratione principii actualiter operantis. His animadversis, sit

332 Concl. *Actuale interioris gratiæ auxilium rectè dividitur in efficax, & sufficiens.* Est fide certa contra hæreticos & novatores suprà relatos, & ut talis traditur à ferè omnibus Auctoribus laudatis à n.325. eam deducentibus ex Sacris Litteris, CC. & PP. Et quidem, dari gratiam *efficacem*, seu cum operatione conjunctam, undecumque efficacia præveniat, efficacissima prædicant Scrip. testimonia. Præclariora sunt sequentia. Illud Ezech. 36. *Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciã ut in præceptis meis ambuletis*, quô sepissimè, ad probandam efficaciam divinæ gratiæ, utitur Aug. in libris contra Pelagianos. *Illud* Christi D. Joan. 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quod sic, contra Pelagianos, exponit Aug. lib. de grat. Christi, c. 14. *Non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat; nisi id voluerit atque fecerit: Sed omnis, qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed venit: ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.* Illud ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere.* Apertè etiam traditur auxilium *efficax* in parabola de invitatis ad prandium, Matth. 21. *Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias*, ex quibus nuptiæ impletæ sunt. In alia etiam de invitatis ad Cœnam, Lucæ 14. *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare.*

333 Aliud etiam divisionis membrum, nempè, *auxilium merè sufficiens*, clarissimè traditur in laudata parabola de vocatis, & invitatis ad nuptias, qui noluerunt venire. *Nec* minùs efficaciter probãt alia Scrip. S. oracula quotquot *gratiam in vacuum recipi*, homines *gratiæ Dei deesse*, *Spiritui Sancto resistere*, *Spiritum Sanctum extinguere*, testantur. Soli enim gratiæ sufficienti resistitur, sola suô frustratur effectu, cùm gratia efficax *à nullo duro corde respuatur*, quia *ideò datur, ut cordis duritia primitùs auferatur*, ut ait Aug. lib. de præd. SS. c. 8.

334 Prob. deinde concl. ex CC. Arausicanum enim II. utramque gratiam expresè tradit, *sufficientem* quidem, can.

19.

19. dicens: *Cùm, sine gratia Dei, salutem non possit homo custodire, quam accepit; quomodò, sine Dei gratia, poterit reparare quod perdidit?* *Efficacem* verò, can. 9. *Quoties enim* (inquit) *bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Trident. etiam sess. 6. cap. 5. (dividens gratiam per *excitantem*, & *adjuvantem*) illam, re ipsâ, & per alia verba, dividit per *sufficientem*, & *efficacem*: Quippè, *excitantis* nomine, intelligit *sufficientem*, per quam homo sufficienter ad justificationem adjuvatur; quam tamen abjicere potest, in sensu videlicèt composito: imò defacto eam (si sola sit) abjicit: per *adjuvantem* verò intelligit eam, quę ita adjuvat, ut homo sic adjutus, excitanti (adjuvanti cooperando) consentiat. *Hinc* Academia Salmantina in sua censura, quam sæpè allegat Mag. Lemos propositione 1. ita ait: *Concedenda est divisio gratiæ in gratiam excitantem, & adjuvantem*; sive auxilii *in auxilium sufficiens, & efficax.* Quam ibi colligi dicit, ex Sacris Litteris, id quod ex relatis testimoniis probat, & signantèr ex laudato Trident. loco.

335 Concilium demùm Colon. in enchirid. de Sacram. Pœnit. sic ait: *Gratia prævenies duplex est: una, qua Deus prævenit peccatorem ut surgat; altera, qua peccator, prævenienti Deo assentiens, jam resurgit: utraque voluntatem nostram prævenit Deus; sed priorem subministrando, solus operatur; in altera voluntas nostra* (*Deum prævenientem subsequens per velle, seu assensum*) *remissionem peccatorum accipiendo, cooperatur.* Quibus apertissimè gratiam *excitantem* & *adjuvantem*, seu *sufficientem* & *efficacem* tradit, docetque, *efficacem* esse *prævenientem* respectu consensûs quem efficit, licèt sit *subsequens* respectu prioris *excitantis*, seu *sufficientis*: Abeant ergo Bennius, & Delphius, inanitèr contendentes, relegandam esse à Scholis præsentem divisionem, & solùm admittendam, quam tradit Trident. quasi non sint reapse una eademque, diversis dumtaxat vocibus expressa.

336 Prob. insuper concl. ex Aug. cujus vel sola authoritas in hac parte tanta est, ut unus pro millibus computetur, lib. de correp. & grat. cap. 12. versans exprofesso auxiliorum gratiæ divisionem, ait: *Itemque ipsa adjutoria distin-*

ſtinguenda ſunt: *aliud eſt adjutorium*, ſine quo *aliquid non fit*; *& aliud eſt adjutorium* quo *aliquid fit*. Adjutorium *ſine quo non* (quod alibi vocat *adjutorium poſsibilitatis*) eſt *ſufficiens*. Adjutorium autem *quo* (quod *gratiam actionis* interdùm appellat) *efficax* eſt. Primum comparat alimentis, ſine quibus nequit homo vivere; cum quibus tamen non continuò vivit, qui mori volens, eis uti noluerit. Secundum verò comparat beatitudini, quâ, ut data fuerit, homo continuò fit beatus.

337 Eiſdem Aug. verbis eandem tradit diviſionem Ang.Doct.ſuprà q.109. a.10. ad 3. cujus teſtimonium, adductum n.320. adeò prȩclarum eſt, ut opus non ſit alia inquirere, vel inquirendo multiplicare; nullibi tamen (ut Lemos ſcitè advertit) auxilium actuale nobis intrinſecum appellat *ſufficiens*: paſsio enim Chriſti quam ſæpè vocat *ſufficientem* ad omnium hominum ſalutem, non eſt nobis intrinſeca, quâvis ejus virtute, auxilia nobis intrinſeca conferantur. Gratia autem baptiſmalis, quam *ſufficere* ait, ad omnia delenda peccata; intrinſeca quidem eſt, ſed habitualis: unde gratiam *ſufficientem*, de qua loquimur, nunquàm hôc nomine exprimit D.Th. ſed ſolùm æquivalentibus, ab Aug. Parente mutuatis: aliud autem diviſionis membrum, *efficax*, ſicut modò traditur, ſæpiſsimè cum eodem Aug. appellavit.

338 Ex laudato Aug.teſt. firmant ferè omnes Theologi præſentem diviſionem. Quia *ſufficiens*, verè eſt adjutorium *ſine quo aliquid non fit*: & *efficax*, eſt adjutorium *quo aliquid fit*. Ita expreſsè docent (ut innumeros alios omittamus) Agoniſtæ illi Scholæ noſtræ, Alvarez diſp.71.n.7. & Lemos lib.4.p.2.tract.2.c.8.n.100. & præcipui Societatis, Suarez lib.3.de aux. c.21.& 22. & Vazquez diſp.97. in 1.p. Unde mirum eſt, nonnullos RR. contendere, Auguſtinum per *auxilium quo* intelligere ipſam formalem perſeverantiam, quâ quis formaliter perſeverat; non verò adjutorium, prȩveniens ipſam perſeverantiam. Quam expoſitionem multis explodit Caſtel de lib. arb. à n.422. & iterùm de lege, & grat. q.5.ſect.8.n.667. vel ex hoc ſolo capite

pite rejiciendam judicat, quòd adversatur communi Theol. sensui, inferentium ex laudato Aug. test. divisionem adjutorii in *sufficiens*, & *efficax*. Et quia aliàs impropriissimè loqueretur Mag. Parens, si perseverantiam ipsam vocaret *adjutorium ad perseverandum*.

339 Profectò Aug. expressè ibidem ait, adjutoriô *quo* fieri, *ut homo velit, & ut carnem vincat*: ergo prœvenit ipsum velle, & ipsum vincere, & ipsum perseverare: quemadmodùm ipse Aug. ep. 107. & alibi, infert, gratiam prævenire operationem, ex eo quòd gratia datur, ut operemur. *Prœt.* Angelos Sanctos (ampliùs, præ cadentibus, adjutos) beatificari, evincit speciale adjutorium, præveniens beatitudinem, & ab ea distinctum, ut contra Jansenium invictè ex Estio arguit Decamps lib. 3. dist. 3. c. 10. ergo nunc ampliùs adjutôs quàm Adam, perseverare, convincit speciale adjutorium, præveniens perseverantiam, & ab ea distinctum: ergo dùm Aug. hoc amplius adjutorum appellavit *quo*, per adjutorium *quo*, non intellexit ipsam perseverantiam. *Nec* obstat exemplum beatitudinis; illud enim appositi Mag. P. ut ostenderet infallibilem connexionem auxilii *quo* cum ejus effectu; aliàs, si omnimoda requiratur similitudo, essemus sine libertate perseverantes, sicut sunt beati.

340 Prob. jam concl. rat. In omni natura, præsertim intellectuali, inveniuntur hæc tria, nimirùm, esse, posse, & operari: ergo convenienter in ordine supernaturali triplex gratia distinguenda est: una, quæ det esse supernaturale & divinum, & quæ sit veluti substantia illius ordinis; & hæc est gratia *sanctificans*, elevans nos ad consortium & participationem divinæ naturæ, de qua egimus suprà, à n. 258. Alia, quæ det posse, & hæc est *sufficiens*, seu *gratia possibilitatis*, seu auxilium *sine quo non*. Alia demùm, quæ det actu operari, & hæc est *efficax*, seu *gratia actionis*, seu auxilium *quo*. *Prœt.* Ecclesia, non modò petit à Deo gratiam efficacem, sed etiam sufficientem; nam in festo S. Patritii sic orat: *Concede, ut quæ nobis agenda præcipis, te miserante, adimplere possimus*; Oratio autem, ut Aug. sæpè ait, est *clarissima gratiæ testificatio*: ergo. *Alias* rationes pro

gra-

gratia ſufficienti, quam inficiantur hujus temporis Novatores, adducemus dub.ſeq.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

341 Fundamenta hęreticorum, ad negandam in ſtatu lapsûs gratiam merè ſufficientem, dub.ſeq. diſſolvemus: unum dumtaxàt hîc proponemus. Sed priùs argumenta Pauli Bennii, & J.Ant.Delphii explodere juvat. Opp. ergo 1. Nomina gratiæ *ſufficientis*, & *efficacis* non reperiuntur in CC. & PP. nec illarum meminit Tridentinum, exactiſsimè differens de gratia, & libero arb. adverſus hæreticos; ſed ſolùm diviſionem gratiæ in *excitantem*, & *adjuvantem* tradit: ergo hæc ſola retinenda eſt, illa autèm à nobis ſtabilita, de medio tollenda, & reputanda inter prophanas vocum novitates, ab Eccleſia vitandas, juxta Apoſtoli monitum, mirificè à Lirinenſi expoſitum: Et maximè, cùm ex ea interminabiles illæ exortæ ſint controverſię circa efficaciam gratiæ, pro quibus dirimendis opportuniſsima foret prędatę diviſionis eliminatio.

342 R. ex dictis, utramque diviſionem eandem omninò eſſe, vocibus diverſis; idemque per utramque, verbis ęquivalentibus, tradi: dum autem conſtat de re, non eſt litigandum de nomine, ut Aug. perpetuò monet. Nec voces *ſufficientis*, & *efficacis*, novæ ſunt, aut prophanæ, quas vitare oporteat; ſed in Scrip.S. & à PP.traditæ: *Non ſumus ſufficientes* (inquit Apoſt.2.Cor.3.) *cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Nomen autem *gratia efficax* Aug.invexit, quô ſæpiſsimè utitur, imò gratię efficaciam in gradu ſuperlativo commendat lib.de gratia,& lib.arb.c.16. *Ille facit* (inquit) *ut faciamus, prębendo vires efficaciſsimas voluntati.* Et de vocatiône Pauli ait: *Ut autem de Cęlo vocaretur, & tàm magna & efficaciſsima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola.* Jurè igitur laudatis vocibus utuntur Theologi, & maximè, cùm per illas rectè explicetur, quid per alias æquivalentes Tridentinum intenderit. Nefas autem eſt, cum hæreticis (laudatam diviſionem negantibus) convenire, ad dirimendas controverſias, quæ inter Catholicos, ſalvis fidei principiis, agitantur. *Et*

ſanè,

sanè, cùm utraque laudata divisio eadem sit; ipsæmet controversiæ persisterent, si sub aliis vocibus explosâ, sub aliis expressa remanêret.

343 Opp.2. Nomen *gratiæ efficacis* inventum fuisse Calvini lib.2.inst.c.3.n.11. dicentis. *Itaque secùs accipi sententia Christi potest*: Omnis qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me, *ut efficacem à se ipsa Dei gratiam doceat*: ergo. R. ex modò dictis, præfatum nomen non fuisse à Calvino inventum, sed pessimè usurpatum: Fuit quippè inductum nomen illud ab Aug. ut exprimeret gratiam effectivam nostri liberi velle, quæ ab efficientia, & effectu, dicitur *efficax*: & in hoc sensu illud à Mag.P. mutuati sunt posteriores PP. ac Theologi. Illô autem abusus est Calvinus, ad exprimendam motionem per modum naturæ, ab ipso confictam, indifferentiam & libertatem nostram, præfocantem. Et in hoc sensu, illud ex Calvino usurpavit plagiarius ille hæreticorum Jansenius, & ab utroque novissimè Quesnelius cum sequacibus. Sed non ideò à Scholis Catholicis relegandum est nomen illud, ab Aug. inductum, PP. & Theologorum reverentiâ, consecratum, quia illô, ad incautos decipiendos, abutuntur hæretici; *quia & oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant*, ut in simili lepidè dixit Aug.lib.2. de Ser.Dom. in monte, c.12.

344 Opp.3. Gratia *efficax*, & *sufficiens* mutuò se includunt, contra regulam bonæ divisionis: ergo. Prob.ant. nam gratia *efficax* est sufficiens; nec enim efficeret, nisi esset ad efficiendum sufficiens. *Rursùs* gratia *sufficiens* est efficax, cùm includat omne requisitnm ad operandum; alioquin non esset sufficiens, nisi pervulgatas omnium hominum notiones revellamus; universi enim homines id *sufficiens* appellant, in quo sunt omnia necessaria ad agendum: ergo. *N.ant.* ad prob.1.p. N.ant. de ratione enim gratiæ *efficacis* est, quòd præsupponat sufficientem, & super vires sufficientes illius, addat vires efficaces. *Ad* 2. prob. (quam perspicuam reputant Jansenistæ ad suadendum, nullum esse in statu lapsûs auxilium gratiæ *merè sufficiens*, quod *inutile*, mon-

monstruosum, imò *noxium*, & *solis peccatis faciendis utile* garrulant) N.ant. ad prob.N.ant. ad prob.dist.ant. in quo sunt omnia necessaria ad agendum, ex parte actûs primi, & constituentia potentiam in ratione potentis proximè operari, C. ex parte applicationis, N. Vel aliis terminis: omnia necessaria ad agendum possibiliter proximè, C. ad agendum defacto infallibiliter, N.

345 Ad penitiorem solut. captum, notandum est cum nostro Sapientiss. Massoulie to.2.de mot.Dei,dissert.3.q.1. a.2. Jansenium, in memoratum paradoxon, aliaque proscripta dogmata,lapsum fuisse, ex notione gratię sufficientis quam sibi tenaciter persuasit, *illud solùm reputans auxilium vere sufficiens, ultra quod non requiritur aliud*; id apertissimè constat ex verbis ipsius lib. 3. de gratia Christi, c.3. cui hunc titulum præfixit: *Quàm monstruosa sit gratia sufficiens, proùt à Recentioribus explicatur.* Ideoque admisit in natura innocente veram gratiam sufficientem, ab efficaci distinctam; quia existimavit, fuisse in illa auxilium *sine quo non* adeò plenè sufficiens, quòd ultra non requirebatur auxilium *quo*, seu *efficax*.

346 Ex eadem auxilii sufficientis notione, in plures inciderunt errores Hæretici nostri temporis, ut observat laudatus Magister. Inde enim pertinaciter negant necessitatem pœnitentiæ, existentiam purgatorii, indulgentiarum fructum, invocationem & patrocinium Sanctorum, & id genus plurima, quibus, injuriam fieri, blasphemant, meritis, passioni, & mediationi Christi. Sufficientissima sunt (inquiunt) Christi Domini merita, mediatio, passio,& satisfactio: quid ergo requiritur, ultra id quod sufficientissimum est? Releganda igitur vel temperanda est præfata *sufficientis* notio, ad dissipandas hæreticorum argutias; & dicendum, illud esse verè *sufficiens, cui nihil deest in suo ordine*, qualiter passio Christi *sufficientissima* causa est nostræ salutis, potens delêre omnem prorsus culpę ac pœnæ reatum: est inquam *sufficientissima*, sed in suo ordine, & veluti permodum potentiæ in actu primo, aut superioris causę ab inferiori applicandæ; ideoque non excludit, sed potiùs

tiùs desiderat, pœnitentię opera, & sacramenta, quibus quodammodò applicatur.

347 Sic expresè docet D.Th. 3.p. q.61. a.1. ubi hoc sibi objicit argumentum contra necessitatem Sacramentorum ad nostram salutem: *Posita causa sufficienti, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum; sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis ::: non ergo requiruntur Sacramenta ad salutem humanam.* Cui sic occurrit: *Ad 3. dicendum, quòd passio Christi est sufficiens causa humanę salutis: nec propter hoc sequitur, quòd Sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem, quia . . passio Christi quodammodò applicatur hominibus per Sacramenta, &c.* Similiter q.3. de pot. a.7. ad 1. & 7. apertissimè docet, non esse de ratione *sufficientis*, quòd nihil ultra requiratur; sed, quòd in suo ordine nihil aliud desideret. Primum siquidem argumentum sic proposuit. *Ad actionem naturalem, sufficit virtus activa ex parte agentis, & passiva ex parte recipientis: ergo non requiritur virtus divina in rebus operans.* Cui sic respondet. *Ad 1. dicendum, quòd virtus activa & passiva rei naturalis, sufficiunt ad agendum, in ordine suo; requiritur tamen virtus divina, ratione jam dicta*, scilicèt, ut moveat virtutem naturalem ad agendum, *in quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem*, ut loquitur in Corp. *Et* eòdem modò respondet ad 7.

348 Hanc doctrinam (quâ penitùs evertitur Jansenistarum Aquilles) præclarissimè tradiderat Aug. c. 12. de correp. & grat. sæpè laudatô, ubi, distinguens adjutoria *sine quo non*, & *quo*, quibus exprimitur gratia *sufficiens*, & *efficax* (ut vel Jansenius ipse, ejusque sequaces ultrò nobiscum fatentur) comparat adjutorium *sine quo non*, seu *verè sufficiens*, adjutorio alimentorum ad vivendum; de quo tamen subdit, id quod experientia testatur, nempè, non esse ita sufficiens, ut ulteriùs non requiratur ad vivendum, quòd homo velit vivere, & alimentis uti. Vera igitur notio *sufficientis*, juxta Aug. non est, quòd nihil ultrà requiratur ad effectum; sed, quòd nihil in suo ordine ultrà desideret. Cùm ergo diversa sint *posse*, & *agere* (ut sæpè ait S.D.) &

ni-

nihil aliud requiratur ad *posse*, ultrà auxilium *sine quo non*; erit istud in natura lapsa, verè *sufficiens*, quantumvis aliud requiratur ad *agere*.

349 Falsissimum igitur est, nos, (sic loquendo) vulgatas omnium hominum notiones revellere, quidquid Montaltius, seu Paschal, ep.2. blâteret; sed, quam Theologorum principes Aug.& Th. nobis tradiderunt, fideliter custodîmus. Imò, nec ipsi Novatores, si sibi constarent, laudatam auxilii *verè sufficientis* notionem inficiari possent: Eorum siquidem Coriphęus Ant.Arnaldus dissert.Theol.p.3. a.11.n.3. expresè docet (& quidem rectè) intelligendum esse de gratia habituali, illud D.Th. 1.2. q.106. a.2. ad 2. *Lex nova, quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum*: gratia igitur habitualis est, juxta D.Th. (annuentibus Novatoribus) auxilium *sufficiens* ad non peccandum, ideſt, ad mandata servanda, & perseverandum in gratia. Id quod iterùm docet S.D. q.109. a.9. atqui mandata nunquàm defacto servantur absque actuali auxilio prævenientis gratiæ: fateri ergo tenentur, velint, nolint, quòd auxilium *verè sufficiens* non includit omnia ad agendum necessaria: igitur auxilium actuale dici potest *verè sufficiens*, quantumvis ad agere requiratur *efficax*, à merè sufficienti distinctum. Videatur laudatus Mag. Massoulie, & Ven.Lemos lib.4.tract.3.cap.5.

DUBIUM V.

An defacto in statu lapsus detur gratia purè sufficiens?

350 Concluſ.est affirm. & fidê certa, ut satis constat ex dictis dub.præced. *Eam* nihilominùs ampliùs roborare juvat, *tum*, quia funditùs evertit pestifera quinque illa, pluriès damnata, Janseniana dogmata, plurimasque theses Quesnelianas, illa vaferrimè recudentes, nupèr justissimè fulguritas in Const. *Unigenitus*, Clementis XI.

Tum,

Tum, quia licèt per Apostolica Rescripta causa finita sit, non tamen finitus error; nec enim acquiescunt filii tenebrarum; sed lites & scandala protrahentes, ingeminare (per summam audaciam) non cessant, *Augustinum aliter docuisse*. *Ut* igitur blasphema obstruamus ora, & tot errorum radici securim admoveamus, præsentem catholicam thesim invictis Theologiæ locis astruere, operæpretium est.

351 Prob.ergo 1. concl.instaurando Scrip.test.inducta n.333. quibus evidentissimè convincitur, dari in præsenti statu gratiam interiorem resistibilem, cui aliquando, imò sæpè, resistitur, & quam in vacuum recipere, vel incertam facere valeamus; aliàs *frustrà certè Stephanus Judæos duræ cervicis, & in circuncisi cordis argueret, quia semper Spiritui S. resisterent*: *frustrà Paulus Thesalonicenses admoneret, nè Spiritum S. extinguerent*, ut arguunt PP. Conc.Senonen. locô à nobis expositô to.1.n.426. Sed gratia *efficax* (undecumque sit efficax) est irresistibilis, inevacuabilis, & certissima, est enim cum effectu conjuncta, ut omnes unô ore fatentur: datur ergo, juxta Scrip.S. gratia interior *purè sufficiens*, ab efficaci distincta, & separabilis.

352 Respondet Jansenius lib.2. de grat. Christi, c.32. (& ex ipso Quesnelius, cæterique sequaces) inducta, & similia Scripturæ verba, interpretanda esse de sola gratia externa, quam ultrò fatetur *sufficientem*, & *resistibilem*. Quibus profectò, Magistrum suum manifestè produnt; à Calvino enim (à quo errorem mutuati sunt) evasionem pariter didicerunt. Ille siquidem, apud Stapletonum, in Antidoto in Acta Apost.c.7. sic laudata Stephani verba interpretatur: *Resistere Spiritui dicuntur, qui eum in Prophetis loquentem contumaciter rejiciunt. Neque enim de arcanis revelationibus hic agitur, quas Deus unicuique intùs inspirat; sed de externo ministerio.* Sed hoc nihil est aliud, quàm Scripturæ verba in sensum improprium detorquêre, ut laudatus Doct. planè ostendit. *Tum*, quia Spiritui Sancto, interiùs non loquenti, aut operanti, nec propriè resistitur, nec obedîtur. *Tum*, quia cordis duritia (ex qua oriebatur resistentia illa,

de qua Stephanus loquitur) circa ea propriè versatur, quibus cor movetur, tangitur, afficitur, quales sunt internæ inspirationes, à divino Spiritu promanantes: ergo.

353 Prob.2.concl. ex CC. Nam, præter test. inducta n.334. & 335. sunt alia apertissima. Sufficiat unum, aut alterum indicare. Colonienſe I. omnem peccatorum excusationem præludens, ait: *Nemo hic excusationem prætexat; cùm Deus semper stet ad ostium pulsans, nimirùm, per internum & externum verbum commovens, ut convertatur à via sua pessima*: ergo datur gratia *sufficiens* interior, quâ possit peccator converti, ab efficaci distincta; cùm sæpè non convertatur, converteretur autem, si adesset *efficax*, ut patet. *Idem* expressè docet C. Senon. can.5.dicens: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa sit in promptu.* Loquitur de gratia *purè sufficienti*, nam *efficax* non semper adest; sed sæpè abest, ut experientiâ constat. *Demùm* Trid. sess.6. cap.11. & can.18. anathemate perculit, post PP. eum, qui dixerit, *Dei præcepta esse observatu impossibilia*; sed quotiès præceptum obligans non impletur, non confertur auxilium *efficax* ad illius observationem, aliàs adimpleretur: ergo sine auxilio efficaci adest *sufficiens*, quò Dei præcepta fiunt observatû possibilia. *Idem* constat ex Summis Pont. damnantibus eundem errorem, à Bajo, Jansenio, & Quesnelio, ex Luthero & Calvino derivatum, de quo infrà uberiùs.

354 Prob.3. ex PP. & 1.ex Aug. qui, non modò locis suprà à n.336. laudatis, sed & alibi passim, gratiæ purè sufficientis auxilium apertissimè astruit. Lib.1.ad Simpl. q.2.ait: *Noluit Esau, & non cucurrit, cucurrisset, nisi, vocatione contempta, reprobus fieret.* Et paulò ante: *Nemo credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus.* Lib.de peccat.merit.c.34. *Habet peccator concupiscentiam cum qua pugnat, eamque, Deo adjuvante, superaret, si non in vacuum gratiam ejus suscepisset.* Lib.83.qq. quæst.68. docet, eos, qui vocati non venerunt ad Cœnam illam, in Evangelio præparatam, potuisse venire, sed non voluisse; at non poterant venire sine gratia per Christum: ergo habuerunt gratiam Christi dantem

posse;

posse; sed hæc gratia non erat *efficax*, seu dans velle, alioquin voluissent venire: ergo datur, juxta Aug. in statu lapsûs, gratia dans posse seu *sufficientissimam facultatem* (ut loquitur lib. 3. de liber. arb. cap. 16.) distincta ab *efficaci*, dante velle. *Demùm*, ut innumera alia prætereamus, tract. 53. in Joan. *Agendæ sunt gratiæ* (inquit) *quia data est potestas: orandum, nè succumbat infirmitas*; sed gratia dans posse, cum qua nihilominùs succumbit infirmitas, est *purè sufficiens*: ergo.

355 Idem perpetuò docent Aug. Discipuli, Prosper, Fulg. Ansel. quorum testimonia Sole clariora adducit M. Mansus q. 2. de grat. sufficienti, §. 4. *Idem* expressè tradit Ang. Doct. Discipulorum Aug. facilè Princeps, ut constat ex test. adducto n. 320. Luculentum est etiam illud ex 4. d. 17. q. 1. a. 1. qq. 2. *Vocatio* (inquit) *est duplex*: *quædam exterior . . . quædam verò interior*; *& hæc quandoquè quidem non pertingit ad finem suum, ex vocati defectu*: *& hæc vocatio nihil aliud est, quàm instinctus, vel motus ad bonum, à Deo immissus. Quandoque autem pertingit ad finem, quando scilicèt, quis audit vocantem, & venit ad Christum.* Quibus omnia hæreticorum effugia præcludit: Loquitur enim in statu naturæ lapsæ, & de vocatione interiori, quam asserit, aliquando non pertingere ad finem, ex vocati defectû: ergo agnoscit vocationem, seu gratiam actualem interiorem, merè sufficientem, seu quæ ultimum effectum non obtinet, ob vocati resistentiam.

356 Prob. tandem concl. rat. Primùm: Quicumque præceptis supernaturalibus obligantur, habent supernaturalem gratiam, quâ possunt, & sine qua non possunt implere illa; aliàs transgressio non foret imputabilis; sed non omnes, nec semper habent gratiam efficacem; alioquin omnes & semper implerent illa: ergo habent gratiam purè sufficientem. *Præt.* Deus verè & sincerè vult, omnes homines (etiam reprobos) salvos fieri: Et Christus pro omnibus mortuus est: ergo & omnibus hominibus, etiam reprobis, præparavit Deus, & Christus morte suâ promeruit auxilia necessaria ad æternam omnium salutem & perseve-

severantiam finalem ; sed reprobis non conferuntur auxilia *efficacia* ad finaliter perseverandum, aliàs perseverarent: ergo *purè sufficientia.* *Hinc* jam satis liquet, ex negatione gratiæ purè sufficientis in statu lapsûs, perversa Jansenii dogmata, pluresque Quesnelianas theses illa recudentes, promanasse, de quo uberiùs infrà.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

357 Opp.1. illud Christi D. Joan. *6. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Illud præt. Rom.8. *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis: quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Utrobique enim est sermo de gratia efficaci cum effectu conjunctâ, ut verba ipsa satis ostendunt, & Aug. apertè docet, inferens ex tali gratia, operis effectum; & ex operis defectu, gratiæ denegationem: est autem sermo de gratia necessaria ad salutem assequendam in statu lapsûs: ergo in isto omnis gratia est *efficax*, nec datur *purè sufficiens.* N.conf.arg.enim à particulari ad universalem affirmativè. Sic enim procedit argumentum: *Gratia in laudatis testimoniis commendata, est efficax: ergo omnis gratia præsentis status est efficax.* Sunt profectò alia Scripturæ testimonia, quibus astruitur gratia *purè sufficiens*, ut ex dictis evidentissimum est. Utraque igitur gratia actualis interior confitenda est cum Ecclesia Catholica, & *efficax*, cum effectu conjuncta (undecumque efficacia proveniat) & *purè sufficiens*, ab effectu separabilis.

358 Nota autem, eâdem fallaciâ peccare ferè omnia Jansenii argumenta, quibus ex particulari vera, infert universalem hæreticam. In quo sanè Calvinum imitatur, inferentem ex laudata Christi sententia, omnem gratiam interiorem præsentis statûs esse efficacem. Cui sic respondet Ruardus Tapperus apud P. Decamps lib.1. d.8. c.3. *Et nos* (inquit) *docemus, motum Spiritus S. esse efficacem ut in electis fidem gignat; sed non semper, nec in omnibus: quia Sacra Scrip. testatur, multos resistere Spiritui S. multosque Spiritum extinguere, gratiam Dei in vacuum recipere, gratiæ Dei quosdam deesse.*

359 Profectò Christus non dixit: *Omnis qui audivit à Pa-*

Patre, venit, quia ut rectè ait Aug. de prædest.SS.c 6. *Multi audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii contradicunt.* Sed dixit: *Omnis qui audivit, & didicit.* Notat autem appositè D.Th. eô loci lect.5. quòd *discere* includit liberum assensum, quem non semper Patris voci aut doctrinæ præstamus; sed tunc solùm, dum efficaciter, & secundum propositum vocat. *Hinc* meritò damnatur thesis illa 17.Quesnelii quoad 2.p. nempè: *Quicumque ad Deum non venit, postquàm audivit vocem exteriorem filii, nullatenùs est doctus à Patre.* Stat quippè, Patrem docêre, & nos non assentire, seu discere; & consequenter non venire: solùm enim venit *Omnis qui audivit, & didicit.* *Dùm* autem Aug. conc.17.in Psal.118.ait, mutuò invicèm connecti *docere*, & *discere*, loquitur de *doctrina*, aut locutione *efficaci*, & secundùm propositum; secus de *merè sufficienti*, & non secundùm propositum, quam qui audit, potest non acceptare; aliàs inepta esset adhortatio illa Psal.94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

360 Opp.2. Gratia *sufficiens* dicitur illa, quę confert posse, seu, sine qua non possumus supernaturaliter velle, aut operari; sed talis est gratia *efficax* in statu lapsûs, juxta Scrip. CC. & PP. ergo gratia sufficiens præsentis statûs est simul efficax: ergo non datur purè sufficiens. Prob. min. ex illo Joan.6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Ex illo ejusdem 22. *Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo*, in quibus (juxta Aug.) est sermo de gratia efficaci; sed illa dat posse venire ad Christum, ut ex terminis liquet: ergo. Idem constat ex C. Africano sub Zosimo, docente, *Gratia Dei per Jesum Christum nos per singulos actus adjuvari: ita, ut sine illa, nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, agere, dicere valeamus.* Ex Trident. etiam anathematizante eum qui dixerit, *Sine præveniente Spiritus S. adjutorio* (seu gratiâ efficaci ut ab excitante distinctâ) *hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet.* Quibus consonat illud Aug. de gestis Pelag. *Sine gratia Dei nemo rectè vivit: sine gratia Dei, id, ad quod adjuvat, fieri non potest.* Tandèm D.Th.1.2.q.109.sæpè repetit,

tit, *Quòd homo nihil potest agere, nisi à Deo moveatur*: ergo.

361 En argumentum, ab Arnaldo proclamatum, & à Quesnelio aliisque Novatoribus gallicè divulgatum; sed prorsùs inane. Cui facillimè R. quòd dum Scrip. CC. & PP. docent, hominem sine gratia efficaci non posse venire ad Christum, credere, converti, &c. intelligendum est de potentia *consequente, infallibilitatis*, & *in sensu composito*; non autem de potentia *antecedente*, purę posibilitatis, & *in sensu diviso*: Dum enim dicitur, v.g. *Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre*. Ly *potest* non denotat necessitatem doni efficacis ad posse; sed impossibilitatem veniendi sine tali dono. Sic dicitur: *Nemo potest currere, nisi moveatur*; nec tamen denotatur, motum constituere potentiam currendi, sed, quòd implicat cursus sine motu. *Similes* locutiones frequentissimę sunt in Scrip. S. ut ostendimus to. 1. à n. 542. In forma ergo dist. maj. Quæ confert posse antecedens, & in sensu diviso, C. maj. consequens, & in sensu composito, N. & sic distinctâ min. N. cons. Vide Gonet disp. 4. de volunt. c. 5. §. 3. ad 4. & Castel. de leg. & grat. à n. 1067.

362 Opp. 3. Gratia purè sufficiens est *adjutorium* illud *possibilitatis*, à Pelagianis eorumque reliquiis assertum, quod, veluti Scripturis adversum, rejêcit Aug. totô lib. de gratia Christi: ergo. *N.* ant. Imò *adjutorium possibilitatis*, seu *purè sufficiens*, propugnatur ab Aug. adversus Pelagianũ *facilitatis* auxilium: ait enim c. 47. laudati libri, quòd si Pelagius consenserit *auxilium possibilitatis in homine, etiamsi nec velit, nec agat benè* (quod sanè est purè sufficiens) *esse gratiam Dei per J. C. D. N. & ultra illud, consenserit etiam, adjuvari per Christum voluntatem, & actionem; nulla erit cum Pelagio de divina gratia, & adjutorio controversia.*

363 Si quando verò Pelagius *verum possibilitatis auxilium*, seu *veram gratiam sufficientem*, & quæ in Christi Ecclesia prædicatur, admisit, (ut censet, & testatur Aug. c. 14. de gestis Pelagii) hoc minimè reprehendit, sed potiùs approbat Mag. Parens. Dum igitur in objecto libro ait: *Desinat ista dicere*, repellit duntaxàt insufficientiam asserti;

non

non solùm enim (inquit) *Deus posse nostrum donavit, atque adjuvat; sed etiam velle, & operari, operatur in nobis.* Quâ ergo fronte Jansenius, gratiam *purè sufficientem* infamat, eam appellans *Pelagianum adjutorium*? Quô jure illam semipelagianis appropriat? cùm ex PP. & CC. & præcipuè C. Arausi. II. evidens sit, potiùs illos errasse negando necessitatem gratiæ interioris sufficientis ad initium fidei, orationem, & omnia pia desideria; ad quæ, naturæ vires cum lege & doctrina, sufficere assererent.

364 Opp. 4. ex illo Aug. lib. de gratia, & lib. arb. c. 15. *Tunc enim utile est velle, cùm possumus: & tunc utile est posse, cùm volumus: Nam quid prodest, si quod non possumus, volumus; aut si, quod possumus, nolumus?* Quibus verbis (inquit Jansenius) divinâ luce fulgentibus, Aug. elegantissimè & solidissimè necessitatem gratiæ medicinalis, & inutilitatem sufficientis asseruit. Si enim *nihil prodest posse, dum nolumus*: ergo nihil prodest gratia sufficiens dans posse, dum deest efficax, seu, dum nolumus. R. Aug. solùm intendere, quòd ad servanda Dei mandata, necessaria omninò sunt *posse*, & *velle* illa servare; adeò, ut unum sine altero, non prosit, sed inutile sit ad existentiam adimpletionis, seu effectûs. Cum quo optimè stat, quòd relatè ad subjectum, utrumque prosit: *posse* quidem, nec enim abusus potentiæ, aut libertatis, illam reddit inutilem: *Velle* autem, quia in se bonum, & Deo acceptum est, juxta illud ejusdem Aug. de grat. & lib. arb. c. 17. *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest; jam quidem habet bonam voluntatem, sed parvam, &c.*

365 Quòd verò Aug. loquatur de posse ad faciendum, non autem de posse ad volendum, patet; *tum*, quia repugnat, nos velle, quod velle non possumus. *Tum*, quia ante objecta verba, ait: *Sic quippè adjuvatur, ut faciat quod jubetur*: & statim subdit: *Tunc enim utile est, &c.* *Demum*, quia c. 31. de sp. & litt. eandem sententiam versans, ait: *Cùm enim duo quædam sint, velle, & posse; unde nec qui vult, continuò potest; nec qui potest, continuò vult: quia sicut volumus aliquando, quod non possumus: sic etiam possumus aliquando, quod nolumus*: si ergo *volumus aliquando quod non possumus*, profectò

fectò illud posse non est ad volendum.

366 Opp.5. Aug.lib.de correp.& grat.c.10.11.& 12. multis suadere, auxilium *sine quo non*, seu *gratiam purè sufficientem*, propriam esse naturæ innocentis, auxilium verò *quo*, seu *gratiam efficacem* asseruisse naturæ lapsæ : ergo juxta S.D. nec in statu innocenti collata fuit gratia efficax, nec in statu lapsûs, purè sufficiens ; sed omnis est *efficax*, quam Jansenius vocat *medicinalem gratiam Christi*, seu *per Christum*, & *victricem delectationem*. N. ant. In laudatis enim capitibus non comparat S. D. gratiam naturæ innocentis, cum gratia lapsæ ; sed gratiam Sanctorum perseverantium, cum gratia Adæ non perseverantis : in statu quippè naturæ inno centis, agnoscit in Angelis Sanctis auxilium *quo* perseverarunt, aliàs æquè cecidissent ac mali, ut ait cap.9. & similiter in Adam ad merita, peccatum prȩcedentia, aliàs priùs cecidisset. In statu autem lapsûs, prædicat gratiæ sufficientis necessitatem, ut ex dictis liquet : nec id inficiatur locô objectô, ut illum legenti constabit. Vide suprà n. 246.

367 Opp.6. Adjutorium merè sufficiens, foret lapsorum reparationi inutile & pernicioſum ; & consequenter monstruosum : ergo non datur in statu lapsûs. Prob. ant. quia non daret opus præceptum, & impotentiæ excusationem tolleret. *Præt.* Quia juxta Apost. Rom. 5. ubi *non est lex, nec prævaricatio*, rectè asserit Aug.de grat.Christi, c. 8. quòd *lex non solùm nihil prodest, verùm etiam obest, nisi adjuvetur gratia*; sed etiam ubi abest gratia sufficiens, seu constituens posse adimplere legem, non est prævaricatio legis: ergo rectè pariter dici potest, quòd talis gratia, non solùm non prodest, verum etiam obest, nisi adjuvetur aliâ gratiâ.

368 En fundamentum sextæ damnatę thesis ab Alexandro VIII. quam ex Jansenio mutuatus est Joan. Sinnichius, & ex Calvino Jansenius, ut ostendit P.Decamps lib. 1.d.8.c.2. sed ejus inefficacia evidenter ostenditur sequentibus instantiis : Convincit enim (siquid probat) *primò*, gratiam sufficientem, etiam in natura integra fuisse pernicio-

sam,

sam, quod nè Jansenistæ quidem audent comminisci. *Secundò*, fuisse pariter noxiam Angelis desertoribus: si enim illam non habuissent, *non sua culpa cecidissent*, ut ait Aug. Hanc instantiam ut fugeret Jansenius, in Pelagii baratrum demersus est negando, perseverantiam SS. Angelorum fuisse donum Dei, quasi illud Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti? solùm hominibus, & non Angelis posset dici*, ut appositè ait Ansel. de casu diaboli. *Tertiò*, creationem, & conservationem reproborum usque ad ætatem adultam, non esse dona Dei proficua, sed potiùs nociva. *Quartò*, & libertatem naturalem esse pernicioſam. *Demùm* (ut alias inst. omittamus) probat, fidem ipsam, gratiam habitualem, aliaque supernaturalia dona, multis reprobis collata, esse illis nociva.

369 R. ergo ad 1. N. ant. ad prob. N. cons. Quanvis enim gratia purè sufficiens non conferat actum præceptum; dat tamen posse supernaturale, seu, supernaturalem constituit libertatem ad illud: adeoque bona, utilis, proficua, & medicinalis, est nobis. Ecquis enim libertatem naturalem, nobis inutilem & noxiam dicat, aut Dei beneficium esse neget, propterea, quia sine illa non esset peccatum, & actū non confert, imò nec posse ad supernaturalem? Quis gratiam habitualem, & habitus infusos, inutiles esse blasphêmet, quia licèt posse in suo ordine præstent, in actum nunquàm exeunt, nisi efficax accedat auxilium? Quis demùm calorem ignis, cæteraque naturales virtutes agentium omnium, inutiles reputet, licèt pro actuali operatione indigeant Dei concursu?

370 Ad 2. N. maj. *Lex enim* (inquit appositè Ill. Godoy disp. 43. §. 4. n. 30.) *non ideò solùm est occasio peccati, quia sine illa peccatum non esset; sed ex hoc, & quia aliàs, non præstat vires ad peccatum vitandum, gratia autem sufficiens vires præstat sufficientes.* Ideò igitur lex vetus non proderat, sed oberat, nisi adjuvaretur gratiâ (juxta Aug.) *quia lex jubet, non juvat: lex vetat, non vitat peccata.* Gratia verò sufficiens juvat ad legem implendam, & vitanda peccata; est enim adjutorium, *sine quo non* possumus salutariter operari, & in

bono

bono accepto permanere : non igitur affirmari potest de illa, quod Aug. asserit de lege veteri.

371 Radix autem deceptionis Jansenistarum est, quia non discernunt inter *conditionem exactam ad peccandum*, seu, *sine qua non esset peccatum* ; & *occasionem peccati*. Quod est mera conditio ad peccatum, nunquàm est noxium, sed semper proficuum; nisi dicamus, existentiam Dei esse peccatoribus noxiam, si enim non esset Deus, non esset offensa Dei. Quod autem est *occasio peccati*, quanvis bonum sit, plurimùm obest, nisi adjuvetur gratiâ : & talis erat lex vetus, quæ licèt bona & sancta esset (ut ait Apst. Rom. 7.) dicitur nihilominùs, mortiferam & nocivam fuisse Judæis, & *occidisse; non quidem effectivè, sed occasionaliter ex sua imperfectione, inquantùm scilicèt, gratiam non conferebat, per quam homines implere possent, quod mandabat; vel vitare, quod vetabat*, ut loquitur D. Th. communiter receptus 1.2.q.98.a.1. ad 2. *Gratia* autem sufficiens, licèt sit *conditio ad peccatum*, non potest dici *occasio peccati*, quia verè juvat ad legem implendam, & peccata vitanda; nec auget, sed minuit concupiscentiæ morbum.

372 Hinc penitùs corruit propositio illa Illust. Palanco de Prov. Dei, q.13.sect.2.n.25. *Pariter dici poterit, quòd gratia constituens posse, plùs obest, quàm prodest, nisi adjuvetur alia gratia.* Quanvis enim ipse autumet, illam esse totô cælô diversam à thesi Sinnichii, damnata ab Alex. VIII. (cujus Decretum, se non vidisse fatetur, dum præfatam prop. dictabat) nihilominùs aliter aliis visum est ; nempè, illam (imò & solutionem quam adhibet in *Advertentia* præmissâ tractatui de Conscientia) in damnatum Sinnichii dogma rectô tramite labi. Sic censent P. Marin de lib. arb. disp.6.sect.1.n.4. Prado de lib. arb. disp.8. sect.3.n.48. & Illust. Castel. de lege, & grat. ferè per totum, sed præcipuè totâ q.2. *Sed de his decernere* (inquit Prado) *ad alios spectat, quibus etiam incumbit cavere, nè similes propositiones in lucem prodeant.*

DU-

DUBIUM VI.

Utrum ex præcedenti doctrina funditùs corruant Jansseniana dogmata, plurimæque Quesnelianæ theses?

373 CONCL. est affirm. Ad cujus evidentiam, in medio ponere juvat Jansenii, & Quesnelii errores, proùt in Pontificiis Constitutionibus proscribuntur. Igitur Innoc. X. Const. incipiente: *Cùm occasione impressionis libri*, editâ Romę pridie Kal. Junii, an. 1653. declaravit hæreticas, & uti tales damnavit, quinque propositiones Cornelii Jansenii Episc. Iprensis, quarum tenor est proùt sequitur: Prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: Deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Secunda: *Interiori gratię in statu naturę lapsę nunquàm resistitur.* Tertia: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsę, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

374 Porrò laudatam Innoc. X. Const. confirmarunt Alex. VII. Clemens IX. Inn. XII. ac Clemens XI. occurrentes variis Jansenistarum cavillationibus ac subterfugiis; declarantes, propositiones illas ex Libro Jansenii (cui titulus, *Augustinus*) excerptas, ac in sensu, ab eodem Authore intentô, & in sensu obvio quem ipsa verba præseferunt, fuisse damnatas ut hæreticas, & uti tales, ab omnibus Christifidelibus, non orê solùm, sed & corde rejici ac damnari debere. Videatur apud P. Viva, aliosque Const. Clementis

tis XI. edita Romæ 17. Kal. Aug. an. 1705. quę incipit: *Vineam Domini Sabaoth.*

375 Confixit deinde Alexander VIII. an. 1690. die 20. Decembris 31. Janſeniſtarum theſes, Baji & Janſenii dogmata redolentes, quas inter, prima, 2. 4. 5. & 6. conſectaria ſunt antedictarum hæreſeon. Sunt autem illæ tenoris ſequentis. Prima: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* Secunda: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſę operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.* Quarta: *Dedit ſemetipſum pro omnibus oblationem Deo, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus & ſolis fidelibus.* Quinta: *Pagani, Judæi, hęretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum; adeoque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.* Sexta: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tàm utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proindè meritò poſſimus petere: A gratia ſufficienti libera nos Domine.*

376 Harum propoſitionum prima, & 2. ſapiunt hæreſim tertiæ antedictę Janſenianę theſis, recudentis trigeſimam nonam, 66. & 67. inter Bajanas, à S. Pio V. & Greg. XIII. prædamnatas, quas to. 2. à n. 134. ex profeſſo rejecimus: Quarum damnationem, totiès iteratam, ut eluderent Bajani & Janſeniſtæ, duas præfatas theſes invexunt; & quidem ſecundam expreſsè docuerat Janſenius ipſe, lib. 2. de ſtatu naturæ lapſę, c. 2. & ſeq. utramque autem exploſimus to. 2. à n. 448. Quarta, & quinta continent quintam Janſenii hæreſim quadantenùs temperatam, quatenùs extendunt mortem Chriſti ad omnes fideles, (quantumvis reprobos) quam ad ſolos electos, ſeu prædeſtinatos, coarctavit Janſenius; id quod propoſitionê 32. & 33. inſtauravit Queſnelius.

377 Tandem Clemens XI. Conſtitutione, incipiente: *Unigenitus Dei filius*, editâ Romæ an. 1713. ſextô Idus Septembris proſcripſit 101. propoſitiones, Paſchaſii Queſnelii, Presbyteri Congregat. Oratorii D. Jeſu, quibus vaferri-

mus

mus homo, Deo, Ecclesiæ, ac veritati rebellis, totiès proscriptos, & anathematizatos Baii, & Jansenii, alioſque ex horco ſuſcitavit errores. Illius autem theſes in laudata Conſt. expreſsè damnatæ, ſunt ſequentes.

378 Prima. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia; hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

2. Jeſu-Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa, non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

3. In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.

4. Ita Domine; omnia poſsibilia ſunt ei, cui omnia poſsibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratię ſuæ; exhortationes, & gratię exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

6. Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum ſua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò fœlicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi inquantùm participes ſumus ipſius novæ gratię, quę operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum numquam poſſumus, & cum qua numquam illum abnegamus.

10. Gratia eſt operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

11. Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis

tis Dei jubentis, & facientis, quod jubet.

12. Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque locô, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuę manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

14. Quantumcumque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret ſalvatorem ſuum.

15. Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritûs, & interiori vi gratię ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullę ſunt illecebrę, quæ non cedant illecebris gratiæ; quia nihil reſtit Omnipotenti.

17. Gratiæ eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum-Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquàm audivit vocem exteriorem filii, nullatenûs eſt doctus à Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

19. Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus Omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis ſcripturis.

20. Vera gratiæ idea eſt, quòd Deus vult ſibi à nobis obediri, & obedîtur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquàm Dominus, & omnia ſibi ſummiſſa ſunt.

21. Gratia Jeſu-Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis; utpotè quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.

22. Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illicò nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, &

gra-

gratiæ, quę omnes ita gratuitę, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratię, eam significans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24. Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu-Christi in sanandis corporibus solô motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.

25. Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.

27. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus-Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suô sanguine primogenitos, id est electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renunciasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit Sanctus Paulus, dicens, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

34. Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturę sanæ, & integræ.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quòd primam unusquisque in propria persona recepisset: ista verò non recipitur, nisi in persona Jesu-Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gra-

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratia christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratiæ liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo: & sine gratia, non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, locô affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeò ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt nisi duo amores, undè volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quô nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non ampliûs regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas, aut charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48. Quid

48. Quid aliud esse possumus nisi tenebrę, nisi aberratio, & nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi: si spiritus charitatis non est ille qui clamat.

51. Fides justificat quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquàm in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.

53. Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, & Jesum-Christum.

54. Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat, nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus suplicii timor ânimat pœnitentiam, quò hęc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem.

61. Timor non nisi manum cohibet; cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitię non ducitur.

62. Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud comitit in corde suo, & jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis, nunquam fit bonum; quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis

mortui sunt, absque eo, quòd ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ; sed per fidem, & per amorem, sicuti filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide, & precibus.

69. Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70. Numquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo, ob sui conservationem, potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiæ Christanæ est, quòd sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cæli, & omnes electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi cætus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus Persona, redemptorum ejus Sanguine, viventium ejus Spiritû, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi?

74. Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos, ut membra.

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & Persona; unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes electi, & justi omnium sæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.

78. Separatur quis à Populo electo, cujus figura fuit

Po-

Populus Judaicus, & Caput est Jesus-Christus; tàm non vivendo secundùm Evangelium, quàm non credendo Evãgelio.

79. Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacrę Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas sancta Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum: Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quòd notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectionê sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, & natę sunt hæreses.

84. Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentię, & contritionis, & incipiendi, ad minùs, satisfacere justitiæ Dei, antequàm reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartusdecimus gradus converſionis peccatoris eſt, quòd, cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſsiſtendi ſacrificio Eccleſiæ.

90. Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores, de conſenſu, ſaltem præſumptô totîus corporis.

91. Excommunicationis injuſtę metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: numquam exîmus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.

92. Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra auctoritatem, aut ſcindere unitatem.

93. Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſideratô zelô reſcindunt.

94. Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeò remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium: Neque ſatis advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſię, & iræ Dei in filios ſuos.

96. Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi divinæ gratiæ.

97. Nimis ſæpe contingit, membra illa, quę magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tamquàm indigna ut ſint in Eccleſia, vel tamquam ab ea ſeparata; ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98. Sta-

98. Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tamquàm hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpotè, quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v.g. bonos libros, instructiones, sancta exemplа, &c.

100. Tempus deplorabile, quô creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit .... Haberi, & tractari à Religionis Ministris, tamquàm impium, & indignum omni commerciô cum Deo; tamquàm membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flammâ, ferrôque viros probos, si propriâ passione est excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

379 Præfatæ, inquam, proscriptę theses, cùm plures errores, variasque hæreses pluriès damnatas contineant, potissimùm manifestè innovant famosas quinque illas Jansenii propositiones, & quidem in eo sensu, in quo hę damnatæ fuerunt; quarum perstiferum virus sexaginta duæ (ut minimùm) vafrè recudunt, ut eas attentè legenti palàm fiet. *Primam* siquidem Jansenianam thesim implicant octo ex prę insertis Quesnelianis, nimirùm secunda, 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. *Secundam* verò & *quartam* Jansenii thesim recoquunt octodecim Quesnelianæ, videlicèt, secunda, 4. 9. 10. 11. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. & 25.

25. In quibus omnibus nullam agnoscit in statu naturæ lapsæ gratiam interiorem resistibilem. *His* annectuntur illæ, quibus nullam in Deo, & Christo D. de salute nostra admittit voluntatem, præter *efficacem*, *infallibilem*, & *infrustrabilem*, quales sunt, duodecima, 30. & 31. *Tertiam* Jansenii thesim suscitavit Quesnelius pruribus ex adductis propositionibus. Sed potissimùm vigesimâ secundâ, 23. 24. & 25. quibus voluntatem nostram ampliùs deprimit, quàm Jansenius; cùm eam merè passivè se habere pronuntiet; si valeant exempla quibus gra iam describit: nam hujus operationem assimilat operationi Dei unientis Personam Verbi humanitati, ex nihilo creantis, mortuos suscitantis, ægros miraculosè sanantis; in quibus omnibus solùm est potentia merè passiva respectû operationis Dei unientis, creantis, suscitantis, sanantis.

380 Quintam demùm Jansenianam hæresim ex Calvino derivatam, & à Tridentino sess. 6. c. 7. prędamnatam (imò & à CC. Arelat. & Carisiacensi, adductis à Card. de Aguirre to. 5. Theol. d. 126. sect. 3.) instauravit Quesnelius septem propositionibus, nempè vigesimâ sextâ, 27. 28. 29. 32. & 33. quibus affines sunt sex aliæ ejusdem confixæ thesis, nimirùm, prima, 38. 39. 40. 41. & 42. denegantes peccatoribus omnem gratiam sufficientem, & potestatem ad bonum faciendum, & vitandum malum. *His* pariter accedunt quindecim aliæ, videlicèt, quadragesima quarta, 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. & 59. in quibus asseritur, omnia peccatorum opera esse mala, cujus venenata radix est, aliam non agnoscere Christi gratiam, nisi *efficacem*, quam cum Bajo, & Jansenio, *victricem delectationem* appellat, ideſt, *charitatem ardentissimam*, & *perfectam*, quæ, cùm gratiam habitualem requirat, in peccatore non est: Cùmque inter illam, & vitiosam cupiditatem adversam, nullum agnoscant Novatores medium, omnia peccatoris opera, mala esse contendunt. *Et* hinc timorem gehennę, peccatorem concutientem (quem *donum Dei*, & *impulsum Spiritus S. excitantis animam* appellavit Trident. sess. 6. c. 6.) improbant cum Luthero, veluti inutilem, perni-

nicioſum, & ad deſperationem ducentem, & quidem magis execrandis vocibus, ut videre eſt ſequentibus octo propoſitionibus, nimirùm, ſexageſimâ, 61. 62. 63. 64. 65. 66. & 67.

381 Reliquæ 39. Queſnelii theſes, graviſsimos quidem (tum pridem damnatos, tum etiam novè adinventos) obtrudunt errores; ſed ad alias materias ſpectantes, quanvis unus, aut alter, gratiam aliqualiter concernant. Placet nihilominùs eorum originem obiter indicare, ut peſtiferum virus, fucoſis phraſibus latens, omnibus innoteſcat. Igitur propoſitione 34. & 35. ſuſcitatur error proſcriptus theſi ſeptuageſimâ Baii, ponentis gratiam naturæ ſanæ debitam, adeoquè non producentem niſi merita humana. Propoſitio 36. aſſerens, nos poſt lapſum non ſanctificari gratiâ receptâ in nobis, ſed in Jeſu-Chriſto, cui uniti ſumus; innovat hæreſim Lutheri & Calvini, aſſerentium, nos juſtificari extrinſecè, per juſtitiam Dei, & Chriſti; cujus oppoſitum diffinitur à Trid. ſeſſ. 6. can. 10. & 11. *Eundem* errorem continet theſis 37. aliamque ſuperaddit, nimirùm, gratiam ſanctificantem reddere impeccabiles; talis enim ſit oportet gratia *digna filio Dei*: Innovatur igitur hâc theſi, & expreſsiùs 43. hæreſis illa Joviniani, à Calvino ſuſcitata, *quòd habens gratiam baptiſmalem, ſit impeccabilis.*

382 Theſis 68. & 69. ſuſcitant errores Lutheri, aſſerentis, ſufficere ad ſalutem fidem ſine operibus, & actus noſtros ſalutares eſſe mera Dei dona, adeò ut non ſint merita noſtra. *Septuageſima* innovat Bajanam, *quòd Deus nuſquam innocentes affligat. Septuageſima prima* novum & in auditum inducit errorem circa diſpenſationem legis à Deo conditæ, quô nihil laxius, & horribilius excogitari poteſt. En quò tandem rigoriſmi Janſeniani propugnator deveniat! O mirabilem tutioriſmi benignitatem! *Septuageſima ſecunda*, & ſequentes uſque ad 78. incluſivè (præter varios Novatianorum, Donatiſtarum, & Lutheranorum errores circa Eccleſiam Catholicam, ab horco revocatos) prophanas invehunt vocum novitates, novis & inauditis hæreſibus viam ſternentes. Septuageſimâ nonâ, & ſequentibus uſque

que ad 86. inclusivè, innovatur decantatus ille Lutheranorum error, cunctis hæreticis gratissimus, nempè, lectionem Sacræ Scripturę utilem & necessariam esse omni tempore, locô, & personarum generi, nè fœminis quidem, & parvulis exceptis. Nec erubescit Novator ille Ecclesiæ consuetudini, & præceptis, impiè detrahere.

383 Thesibus 88. & 89. audacissimè improbat Quesnelius Ecclesiæ praxim absolvendi pœnitentes ante impletam pœnitentiam, & Petri Oxomensis errorem suscitat; de quo videndus Card.de Aguirre to.3.CC.Hisp. pag.686. *Propositionibus* 90. 91. 92. & 93. reprobat usum Ecclesiasticæ potestatis in ferendis censuris, viam sternens ad illas eludendas, & non reformidandas. *Reliquis* demùm thesibus, Lutheranô spiritû actus Quesnelius (dolens, Jansenianam hydram, Constitutione Clementis XI. incipiente, *Vineam Domini Sabaoth*, iterùm ferrô ac flammâ confôdi) veluti insaniens in medicum, plures in Ecclesiam ipsam blasphemias eructat, impudentissimè effutiens, scandala ipsam disseminare, schismata fovêre, supra fidem fidelium dominari, prædicatoribus veritatis adversari, homines Christo conformiores, veluti hæreticos insectari; & id genus alia, quæ vel referre pudet, nec argumentis censemus rejicienda, sed flammis. His obitèr prælibatis.

384 Prob.concl. Jansenius enim quinarium illud hæresèon intulit ex discrimine, quod invexerat, naturæ innocentis, & lapsę (*veram & immobilem basim, cui universa doctrina de gratia Christi Salvatoris incumbit*, illud appellat lib. de grat. primi hom. c.17.) asserens, nullum fuisse in statu naturæ innocentis auxilium *efficax*; nullum econtrà dari in statu naturę lapsæ *merè sufficiens*, sed tantùm efficax; non qualecumque, sed libertatem perimens, seu *necessitans*. Hinc enim deduxit, primùm, *aliqua Dei præcepta, vel justis volentibus & conantibus esse impossibilia*: quippè, si solùm datur auxilium efficax, ille cui istud non datur, omni prorsùs caret auxiliô, etiam dante posse. Deinde, *nulli interiori gratię in hoc statu resisti*, id quod iterùm quartâ propositione rêfricat; gratiæ enim efficaci (quam solùm in eo agnos-

noscit) nunquàm resistitur.

385 Tertiò, *ad merendum & demerendum in statu naturę lapsæ, sufficere libertatem à coactione*; nec enim aliam admittit in hoc statu, in quo tamen meritum & demeritum inficiari non audet. Demùm, *Christum non pro omnibus mortuum fuisse*, sed pro solis electis, quia nullum *sufficiens* ad æternam salutem reprobis meruisse contendit *auxilium*: auxilia autem efficacia (quę illis interdùm ex morte & merito Christi conferri non negat) *effectus* gratię *temporales* appellat; sed pernegat, esse sufficientia ad salutem, aut aliquô modô ad illam ordinari: ergo eversô (præcedenti doctrinâ) discrimine illô utriusque naturæ innocentis, & lapsæ, ac stabilitâ veritate de existentia *gratiæ purè sufficientis* in præsenti statu; funditùs ruunt pestifera Janseniana dogmata, plurimęque (illa recudentes) Quesnelianæ theses.

DUBIUM VII.

Utrum præfati errores, non modò in radice, sed & sigillatim, prædamnati, ac triumphati fuerint à SS. DD. Augustino, & Thomâ?

386 CONclusio est affirm. & quidem quoàd 1. p. satis superque ex dictis constat. Certum est enim, denegationem gratiæ purè sufficientis in statu naturæ lapsæ, venenosam esse radicem, à qua densissima antedictarum hęresum Sylva pullulavit; hòc unô cardine, totam ferè Bajanismi, Jansenismi, ac Quesnelismi horribilem machinam verti: Cùm igitur apertissimis utriusque S. D. testimoniis, suprà laudatis n. 336. 337. 338. 354. & 355. luce meridianâ clarius appareat, utrumque radîcem illam præscidisse, ac evellisse; consequens est, ut & errorum sylvam, & molem, ab utroque evulsam, & funditùs eversam, prædicemus.

387 Quòd autem singulos errorum frûtices, inde suppullulantes, uterque gratiæ vindex, non modò exciderit, sed

ſed evulſerit, oſtenditur, prȩcipuos percurrendo. *Prima* Janſenii prop. ab Inn.X. damnata, talis eſt: *Aliqua Dei prȩcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum prȩſentes quas habent vires, ſunt impoſsibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſsibilia fiant.* Illam autem pluriès prędamnaverat Aug. ſed præcipuè ſer.191. *Execramur* (inquit) *blaſphemiam eorum qui dicunt, impoſsibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum.* Et lib.de fide contra Manich. *Quis non clamet, ſtultum eſſe, prȩcepta dari ei, cui liberum non eſt, quod prȩcipitur, facere; & iniquum eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Lib.de nat.& grat.cap.43. *Deus* (inquit) *impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſsis, & petere, quod non poſsis; & adjuvat ut poſsis.* Quæ verba excripſit Trident.ſeſſ.6.cap.11. Ser.demùm 88.de tempore: *Fideliter ac firmiter credat dilectio veſtrà, quia nunquàm Deus priùs deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur.*

388 Auguſtino aſtipulatur ſtrenuiſsimus ejus propugnator, Ang.Doct. q.24. de verit. a.14.ad 1. *Illud* (inquit) *quod præcipit Deus, non eſt impoſsibile homini ad ſervandum.* Quodlib.2.ad 6. *Nullus tenetur ad hoc, quod eſt ſupra vires ſuas, niſi per modum quo fit ſibi poſsibile.* In 2.d.28.a.3.in 1. arg. *ſed contra*, laudat illud Hieron. *Qui Deum dicit præcipere impoſsibilia, anathema ſit.* Cui, cùm neutiquàm reſpondeat, aut contradicat, planè conſentit. *Demùm* (ut innumera apertiſsima loca omittamus) 1.2. q.106.a.2.ad 2. ait: *Lex nova* (gratia ſcilicèt ſanctificans, ſcripta in cordibus noſtris, ut ibidem explicat) *quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*: Cùm igitur juſti, hoc ipſo quòd juſti ſunt, gratiâ & virtutibus infuſis (poſſe ſimpliciter conferentibus) inſtructi ſint; evidens eſt, *non deeſſe illis gratiam, qua prȩcepta poſsibilia fiant*: primum igitur illud Janſenii dogma uterque S.Doct.evidentiſsimè prædamnavit.

389 Secunda Janſenii theſis, eſt: *Interiori gratiæ in ſtatu naturȩ lapſȩ nunquàm reſiſtitur.* Quæ quidem primæ, ac totiûs fermè Janſeniſmi, eſt infauſta genitrix; utpotè, quæ immediatè irrefragabiliter ſequitur ex ſupra ſæpè rejecto dogmate illo (quod in ſuo *Auguſtino* ubique repetit) *omnem* ſci-

scilicèt, *Christi gratiam esse efficacem* : Quòd ita illi capitale est, ut unicè in ejus assertionem incubuisse videatur ; omnem in illud operam, studium, nervos, & vires intendens. *Præfatam* autem thesim frequentissimè prædebellavit Aug. Parens, ut ex locis laudatis n. 336. & 354. evidens fit. *Prat.* lib. 50. Homiliarum, hom. 12. sic disserit: *Cùm per Dei adjutorium in potestate tua sit, utrum consentias diabolo ; quare non magis Deo, quàm ipsi, obtemperare deliberas? In potestate tua est Deo obtemperare,* (ecce gratiam *sufficientem* ad effectum illum obtinendum) *& tamen nõ obtemperas* (ecce gratiam illam effectû suô frustratam.) *In* Psal. insuper 63. comparat gratiam illam inefficacem pluvię quæ in agrum spinosum dêcidit, nec fructum ullum affert. *Quod pluit* (inquit) *in agrum uberem, dulce est, & quod pluit in agrum spinosum, dulce est : nunquid pluviam accusas, quòd spinas generet? Nonne erit pluvia illa testis in judicio Dei, & dicet : Ego dulcis super omnia veni? Tu ergo quid proferas vide : profers frumentum, spera horreum : profers spinas, ignem spera.* Quid præclarius?

390 Succinit D. Th. lect. 2. in cap. 5. prioris ad Thessal. dicens: *Aliquis dicitur extinguere spiritum in se, vel in alio, cùm alius aliquid boni ex fervore Spiritus S. vult facere, vel etiam cùm aliquis bonus motus in ipso surgit, & ipse impedit.* Act. 7. Vos semper Spiritui S. resistitis. *Prat.* lect. 1. in cap. 12. prioris ad Cor. *Dicendum* (inquit) *quòd, quantùm est ex spiritu Dei, homo non facit peccatum; sed magis retrahitur à peccato : potest tamen peccatum facere ex defectu voluntatis humanæ, quæ Spiritui S. resistit, secundum illud Act. 7.* Vos autem semper Spiritui S. resistitis. Potuit nè Aug. Doct. directiùs thesim illam Jansenianam præfocare? Vide dicta to. 1. à n. 427.

391 Tertia Jansseniana propositio, est : *Ad merendum & demerendum in statu naturę lapsę, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Quam quidem jamdudùm refellerat Aug. passim docens, sublatâ *libertate* à necessitate, seu *indifferentiæ*, actus nostros, nec præmiô, nec pœnâ, nec laude, nec vituperiô, dignos esse.

Præ-

Præcipuè cap.5. de nat. & grat. ubi refert, & approbat ut verissimum, illud Hieron. lib.2. cont. Jovin. *Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad veritates, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin, ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Et lib. de duabus animabus, cap.22. ait, quòd *ista cantant, & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Antistites in locis sacris, & in orbe terrarum genus humanum.*

392 Eandem propositionem, uti hæreticam, & totius ethicæ philosophiæ subversivam invictissimè profligavit Ang. Doct. q.6. de malo, a.unicô: *Respondeo dicendum* (inquit) *quòd quidam posuerunt, quòd voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur, non enim omne necessarium est violentum, &c. Hæc autem opinio EST HÆRETICA, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quòd vitare non possit.* Quô nihil clarius, & expressius dici potest. *Jansenistarum* autem recursum ad libertatem peccati Adæ (proscriptum ab Alexandro VIII. prop.1.) prædamnaverat S.D. in 2. d.30.q.2. a.1. dicens: *Ad culpam personæ requiritur voluntas personæ.* Vide to. 2. à n. 154. ubi fusè explosimus thesim Jansenii, & à n. 448. ubi præfatum Jansenisticum cavillum ubertim refutavimus.

393 Quarta Jansenii propositio est hujusmodi: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Cujus secunda pars apertè refricat hæresim secundæ thesis: nè igitur actum agamus, opus non est, eam ab utroque S. D. prædamnatam esse, iterum demonstrare. *Prima* autem pars est merè historica, sed falsissima: tantùm enim abest, ut Semipelagiani gratiam interiorem illam (qualem Augustinus desiderabat) ad singulos actus, & ad initium fidei, admiserint; ut, ad eam illis persuadendam, integros de prædest.SS. & de bono persev. libros scripserit. *Eidem* thesi pariter directè contradixit

Ang.

Ang. Doct. 1.p. q.23. a.5. in corp. 2.2. q.6. a.1. & alibi frequenter, ut videre est in Tabula aurea verbô *hæresis*, n.71.

394 Quinta demùm Jansseniana thesis est: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Illum autem depulit Aug. epist.157. *Morte* (inquit) *Christi, non unius, aut aliquarum, sed universæ animæ, propagatione contractum, mortis chirographum rumpitur.* Ser.34. aliàs 31. *Semèl dedit* (Christus sanguinem) *& pro omnibus dedit: Sanguis Christi volenti est salus, nolenti est supplicium.* Lib.6.cont. Jul.c.4. probat cũ Apost. omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est Christus: Cùm ergo omnes omninò (unâ exceptâ Beatissimâ Deiparâ) mortui sint in Adam, pro omnibus omninò mortuus est Christus. *Astipulatur* D.Th. lect.2. in cap. 8. 1.ad Cor. ad illa Apostoli verba: *Peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est?* ubi sic habet S.D. *Peribit infirmus in tua scientia frater . . . propter quem salvandum Christus mortuus est.* Si igitur ad salvandum etiam pereuntem Christus mortuus est: nullus igitur omninò hominum ab oblatione pretiosi sanguinis ejus excipitur. Excipiuntur autem dæmones, quorum causam non susceperat Christus, sed soliûs hominis. Faceſſat igitur illud Jansenii: *Pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium, quantùm est de se, etiam dæmonum, propter infinitum pretii valorem; non autem ratione oblationis, cùm mortem pro omnibus non obtulerit.*

395 Hinc jam constat, utrumque strenuissimum gratiæ Vindicem, sigillatim prædamnasse sexaginta duas illas theses Quesnelianas, materiam gratiæ concernentes, de quibus suprà n.378. & 379. omnes enim, ut sæpè diximus, infandum illud Jansenii quinarium (ab Aug. & Th. prædebellatum) recudunt. *Ad* cujus majorem evidentiam, accuratè advertendum est, præfatas Quesnelii theses, esse indefinitas; propositio autem indefinita æquivalet universali: proinde, dum ait Quesnelius: *Gratia Jesu-Christi . . . est suprema, invincibilis: Gratiam nihil impedire potest, aut retardare: Nulla*

la voluntas humana ei reſiſtit, &c. idem eſt, ac ſi diceret: *Omnis gratia Chriſti eſt efficax, ſuprema, invincibilis: Nunquàm illa ſuo caret effectu: ſemper affert fructum ſuum: nunquàm illi voluntas humana reſiſtit.* Id quod crebrò in ſuo *Auguſtino* inculcat Janſenius, ut *ſolius gratiæ efficacis* capitalem aſſertionem firmet.

396 Argumenta, quæ contra concl. objici poſſent, dub. 4. & 5. convulſa manent: Unum duntaxàt reſolvendum reſtat. Opp. ergo in favorem 1. theſis Janſenianę: Gratia efficax, ſæpè utiquè deficiens juſtis conantibus & volentibus (aliàs non caderent) eſt exacta, juxta Aug. ad poſſe præcepta ſervare: ergo iſta, juxta illum, ſunt juſtis impoſsibilia; deeſtque ipſis gratia, quâ poſsibilia fiant, quotiès gratiam efficacem non recipiunt. Ant. conſtat, *tum* ex illo Mag. Parentis lib. 2. ad Bonif. c. 9. *Dominus aperit os ita jubendo, ut nemo poſsit, niſi ipſe id faciat adjuvando*: ergo gratia, quâ Deus facit adjuvando, (quę eſt efficax) eſt ſine qua nemo poſsit. *Tum* ex illo ejuſdem tract. 92. in Joan. *Non potuit Petrus, mulieris ancillę interrogatione perterritus, verum Chriſto teſtimonium perhibere.*

397 N. ant. ad prob. dicendum, locutiones illas, & ſimiles, quæ frequentes ſunt in Scripturis, CC. & PP. (ut videre eſt to. 1. n. 443.) accipiendas eſſe de *potentia conſequenti*, & *in ſenſu compoſito*; ut ſenſus ſit, *incompoſsibile eſſe, quòd quis careat gratia efficaci ad præceptum implendum, & illud adimpleat.* In ſenſu enim diviſo, ſive abſolutè, abſque gratia efficaci poteſt illud implere habens auxilium ſufficiens, quale utiquè habuit Petrus ad Chriſtum confitendum, non modò habituale, (cujuſmodi ſunt gratia ſanctificans, & virtutes ſupernaturales annexæ, quibus ornatus erat) ſed etiam actuale, quod nulli juſtorum deeſt; nec enim Deus illius ſubſtractione, ſemel juſtificatos deſerit, niſi ab eis priùs peccando deſeratur, juxta Trid. mentem ſeſſ. 6. cap. 11. ex Auguſt. cap. 26. de natura & gratia. Videatur M. Par. in Pſal. 7.

398 Potuit ergo Petrus implere quod voluit (ſeu mori pro Domino) non modò *mediatè*, & *remotè* (mediâ ſcilicèt

cèt oratione, quâ uberius impetratur auxilium) ut perperàm limitat Mansus q. 1. de dist. utriusque naturę, n. 14. sed etiam *proximè* & *immediatè*; habuit siquidem, sicut quilibet justus, auxilium etiam actuale, proximè & immediatè sufficiens, seu dans proximum & immediatum posse, non solùm ad orandum, sed etiam ad perseverandum; quanvis caruerit *auxilio efficaci*, (ad actualem perseverantiam utique exactô, & oratione impetrandô, juxta illud Divinum: *Vigilate, & orate nè intretis in tentationem*) sed neutiquàm necessariô ad posse perseverare: sicut motus ad cursum necessarius, minimè ad posse currere desideratur.

COROLLARIUM NOTATU DIGNISSIMUM.

399 Ex hucusque dictis, adeò patet immensum Thomistas inter, & Jansenistas discrimen, alibi à nobis non semel ostensum (to. scilicèt 1. à n. 414. ad 428. & to. 2. n. 154. & seq.) ut nemo nisi insanus non percipiat, nemo nisi cæcus non videat. Sed ut radicitùs evellatur Jansenismi, aut Quesnelismi, si quæ supersit de Thomistis suspicio, & omne os obstruatur, afferamus in medium probationes luce meridianâ clariores. Et in primis: Quis nesciat, Lutherum, & Calvinum (ex quibus Jansenius sua dogmata derivavit) in Augustino-thoisticam de gratia & libertate doctrinam, totô malignitatis spiritû debacchatos? Notum prætereà, Jansenium apertissimô marte aggressum physicam prædeterminationem (Scholæ nostræ utiquè têsseram) tum lib. de grat. primi hominis, cap. 20. quod pro titulo habet: *Declaratur, adjutorium status innocentiæ non fuisse prædeterminationem physicam.* Ubi, prętер septem probationes, sic inter alia inquit: *Prędeterminatio physica penitùs destruit magnam illam libertatem, & benè vivendi potestatem, &c.*

400 Tùm & fusiùs lib. 8. de gratia Salv. cap. 2. cui sequentem affigit titulum: *Varia discrimina proferuntur inter adjutorium Dei medicinale, & prędeterminationem physicam, prout à defensoribus ejus, scilicèt Thomistis, traditur.* Ubi septem prosequitur differentias, quibus, nos ab ipso, totô cælô distare, adeoque injustissimè à nonnullis traduci, planè ostendit; nobis adimens laborem, teterrimam hancce

ca-

calumniam depellendi.

401. Concludit autem, sic in nos blaterando: *Quapropter, qui medicinalem Christi gratiam sic defendere conantur, ut eam in prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum, lapsorum, & innocentium, ex vi Primæ Causæ, & indifferentiæ voluntatis, necessariam; magis profectò Aristotelici, quàm Augustiniani, sunt: Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solùm nullo ejus testimonio probari potest, sed potiùs universam ejus doctrinam, innumeris locis traditam, inexplicabili confusione perturbat: tollit enim differentiam integræ, lapsæque voluntatis; necnon duplicis adjutorii, quo, & sine quo non: cùm quorum altero, Adamus velle, stareque potuit, & Angeli re ipsa voluerunt, steteruntque; lapsi homines velle, & stare non possunt: Tollit obscuratque veram radicem gratiæ medicinalis; nec sinit intelligere veram naturam ejus, dùm æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam.* En Thomistas, Augustini Iprensis capitalia dogmata (ipsô attestante, & querulô) evertentes.

402. Constat insuper, Jansenium apertè negare, gratiam *in sensu Thomistarum* sufficientem, esse gratiam Christi: *Si gratia sufficiens* (inquit lib. 3. de grat. Salv. cap. 1. ante medium) *sic accipiatur, ut sufficiens dicatur, sicut à quibusdam* (id est Thomistis) *dicitur, quòd homo dicatur posse operari, quanvis aliud adhùc necessarium sit ut defacto operetur, talem, sufficientem fortasse non difficultèr S. August. admitteret; quanvis, illam esse VERAM CHRISTI GRATIAM, pernegaret.* Hinc fortè Caramuel Theol. fund. fundamentô 13. n. 1341. dixit: *Prodiit Cornelii Jansenii Augustinus, & in ipso plura contra Dominicanos, & pauciora contra Jesuitas; gratia enim illa sufficiens, quam Jansenius irridet, non Molinistarum, sed Thomistarum gratia est.* Quanvis autè omnem gratiâ interiorem merè sufficientem in statu lapsûs deneget; frequentiùs tamen in Thomisticam petulantiùs stomachatur, *otiosam* eam, *inutilem, monstruosam, perniciosam, & solis peccatis faciendis deservientem*, pronunciando.

403. Accedit luculentum præclariorum Societ. Doctorum testimonium. Insignis ille & acerrimus Jansenismi de-

debellator Stephanus Decamps lib. 2. de hæresi Jansenianâ disp. 6. c. 9. *Glorientur licèt* (inquit) *Jansenistæ, tot se nuperi dogmatis habere patronos, quot physicæ prædeterminationis defensores existunt: verè tamen mihi videor esse dicturus; nullos huic doctrinæ infensiores reperiri, quàm qui post natam Calvini hæresim, ex Divi Dominici Ordine majoris eruditionis laude floruerūt.* Adducitque sigillatim eos, & eorum dicta. Et disp. 3. c. 3. *Quàm invidiosè* (ait) *novi dogmatis fautores queruntur, per Jansenii latus, universam S. Dominici Familiam peti! Quàm importunè jactant, eandem esse utriusque causam, nec illud Tridentinæ Synodi fulminibus percuti posse, quin iisdem physicæ prædeterminationis assertores amburantur! Hoc in circulis apud imperitos, & mulierculas blaterant: hoc in publicis Doctorum concertationibus urgent acerrimè: hoc in libellis, quos tam frequentes emittunt in lucem, magno verborum apparatu ac pompa cum omnibus expostulant. At istud tamen falsitatem omnem superat; & ab his cum stomacho ridetur, quibus utraque opinio nota est, atque perspecta.*

404 Idem egregiè præstat Fran. Annatus, *tum* in Opusc. cui titulus est: *Informatio de quinque propositionibus, ex Jansenii theologia collectis. Tum* in lib. inscripto: *La conduite de l'Eglise*, in quo octodecim assignat discrimina nostrum inter, & Calvino-Jansenianum dogma. *Tum* lib. de libertate incoacta, cujus quædam notanda verba dedimus to. 1. n. 425. *Tum* alibi sæpè, sed præcipuè in libro Romæ editô, cui hunc titulum præfixit: *Jansenius à Thomistis, gratiæ per se efficacis defensoribus, damnatus*; quod in totô opere invictè demonstrat, verbatim referendo innumera Thomistarum veterum ac recentiorum testimonia, veluti collatô pede contra Jansenium præliantia. *Idem* prosequitur P. Ripalda lib. 2. cont. Bajanos disp 14. sect. 5. & disp. 15. sect. 15. plura in idem adducens Thomistarum testimonia. *Concinit* P. Martinonus pag. 708. ubi hæc habet: *Errant Jansenistæ, vel ipsis Thomistis Judicibus... Nulla est ex illis quinque propositionibus, ad Summum Pont. missis, ut eas speciali censura notare dignetur, quam duo illi Ordines* (Prædicatorum, & Societatis) *non damnent, & censura dignam judicent: nulla, cujus oppositum,*

tum sibi certum esse, non profiteantur: nulla denique, quam utriusque familiæ Theologi, quotquot de his rebus scripserunt, non graviter infectati sint.

405 Idem præclarè testatur Stubrochius, hęc inter alia respondens Paulo Irenęo Jansenistæ, effutienti, unam à Jansenio duntaxàt astrui assertionem gratiæ efficacis thomisticę. *Falleris* (inquit) *ex ipsius Jansenii confessione... Frustrà Thomistas vestris partibus accensetis, qui vos ut damnatos hæreticos rejiciunt.* Nec prætermittendus Theophilus Raynaudus (parù aliàs Familię & Scholæ nostræ devotus homo) to. 18. Opusc. inscriptô *Arnaldus*, ubi pag. 234. sic Jansenistam illum, sectę choriphæum, Quesnelii Magistrum, & socium, alloquitur: *Prætendis Thomistas à te esse: Inclamo ego hastam in te Pontificiam intendens: Sepone innocuos. Ipsi se abs te, & tuo Jansenio, segreges esse contestantur; & in Pontificiæ doctrinæ comprobationem unanimes venerunt. Nominatim, quoàd Thomistas, te revincit Fr. Joannes Nicolai, insignis Thomista... alios proferre alibi memini.*

406 Idem novissimè passim P. Viva, ac unô ore reliqui Societatis celebriores, probè videntes, non posse dogma nostrum cum pestifero Jansenianо confundi, quin istud à damnatione incautè absolvatur: quanvis eorum nonnulli aliter, dùm nos aggrediuntur, loquantur; signantèr Ripalda, Annatus, & Raynaudus. Sed id eos præstitisse credendum est, vel estû disputationis abreptos, vel (ut Ripalda ipse ultrò fatetur) defensionis necessitate compulsos. *Bañez* (inquit ille to. 2. disp. 118. sect. 9. n. 5.) *& plerique ejus discipuli, in publicis disputationibus, privatisque sermonibus & scriptis, cæperunt notare illam sententiam* (Molinę scilicèt) *pelagianam. Contra nostri, ut notam pelagianismi suæ sententiæ vitarent, objiciebant oppositæ notam Calvinismi.* De quo videndus Gonet in Apologia Thomistarum, à principio, & Seraph. Picciardus to. 3. totâ q. 3. ubi assumptum nostrum, adversus Bail Parisiensem, multis eruditissimè (pro morè) ostendit, & adversarium ipsum ex ore suo judicat, & revincit.

407 Assertâ jam causâ nostrâ, tàm apertis vel ipsius adversæ partis instrumentis, victrîcem illam, nemo, nisi ini-

iniquus, non prædicet, quin opus sit domesticorum, extraneorumve suffragiis. Meminisse sufficiat, strenuisimè illam feliciterque egisse ex nostris, Alexandrum Sibille, qui primus omniû Jansenismum palàm Lovanii aggressus, de illo planè triumphavit, ejusque damnationem enixè Romæ promovit, Joannem Nicolai, cujus operâ victas Jansenianas partes Parisiis fuisse, Parisiensis Apologista testatur, Joannem Cassalam, Vin. Baronium, J.Bap.Gonetum, Vin. Contensonum, Bernardum Quyard. Seraphinum Piccinardum, Ant.Masloulie, Franc. Vanranst, Greg. Selleri, nuper ad Purpuram evectû, Ign.Gravesonû, alioque innumeros. Ex extraneis verò, Joannè Caramuelem, Bern.Guiar, Duvaliû, plurimosque alios in Gallia, & Belgio: quos omnes Jansenianâ Hydrâ, Herculeis Thomistarû face & ferrô, intermisse constat: Tantùm abest, aut illam ex Augustino Angelica Schola emersisse, aut hujus Professores in eôdem cum illa lernæô lutô hærêre.

408 Si quis autem dictis hucusquè non moveatur, sed convitiandi prurigine actus, non desinat oblatrare (quales nupèr fuisse Liberium Gratianum, & Theodorum Eleutherium justè conqueritur laudatus Vanranst pag. mihi 77.) Quid aliud restat, nisi ut ei illud Michaëlis Archangeli modestè rependamus: *Imperet tibi Dominus*? Debacchantur enim hujus genii homines in veritatem manifestam, ac sibi & facti evidentiâ, & sepiùs iteratâ Pontificiâ attestatione notissimam: Ecquis enim, etiam si spontè velit, ignorare valeat Innocentii X. & Alexandri VII. decreta? Quem, quęso, latêre potest id, quod rectè tandem dixit Annatus: *Id, in quo convenimus* (Thomistæ, & Jesuitæ) *sancivit Pontifex; id in quo dissidemus, disputationi nostræ reliquit*?

409 Mittimus laudatorum Pontificum Rescripta omnibus obvia; sed juvat, ad plenam rei ostensionem, novissimas Clementis XI. ac Benedicti XIII. feliciter Regnantis, Declarationes in medium adducere. Ille quidem in Bulla editâ Romæ die 28. Augusti anni 1718. quę incipit: *Pastoralis officii*, sic, inter alia, blaterantium Novatorum ora perstingit: *Nisi eos excæcaret* (inquit) *malitia eorum, ac nisi di-*

ligerent magis tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent, sententias illas ac doctrinas (quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt) palàm & liberè in Catholicis Scholis, etiam post editam à Nobis memoratam Constitutionem (Unigenitus) *sub oculis nostris doceri, atque defendi; illasque propterea minimè per eam fuisse proscriptas.* Sanctissimi verò Papæ Regnantis Bulla, est ut sequitur.

Dilectis Filiis Universis Fratribus Ordinis Prædicatorum Professoribus.

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam Benedictionem.

410 DEmissas preces, & æquissimas conquestiones vestras, quas Dilectus Filius Augustinus Pipia, totius Ordinis Magister Generalis, Religiosę vitæ exemplis, ac doctrinâ, prudentiâque commendatissimus, supplici libellô ad Nos detulit, eâ benignitate complexi sumus, quam, & vestra in Catholicam Religionem ampliſsima merita, & nostra, quam dudum professi sumus, ergà Ordinem Prædicatorum observantia filialis, nostræque demùm humilitati impositum paternæ charitatis & sollicitudinis officium postulabant. Quòd igitur ægrè admodum, ut par est, molestèque feratis, erroribus à fel. record. Clemente Papa XI. Prædecessore nostro per Constitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, saluberrimô, & sapientissimô judiciô rejectis damnatisque, Augustinianæ, & Angelicæ doctrinę nomen obtendi; indeque audêre nonnullos Apostolicæ auctoritati, ac vestrę existimationi detrahere, quòd ipsa vestrarum sententiarum capita ejus Constitutionis censuris, notisque inusta esse calumnientur; justam quidem animorum vestrorum offensionem laudi damus; quâ nimirùm Vos germanos Sancti Thomæ discipulos maximè probastis. Magisteriô enim tanti Doctoris imbutos nihil decet magis, quàm ut in addictissimâ huic Sanctę Sedi Fide, obedientiâque præcipuum Studiorum suorum fructum, & laudem collocent; & absonas, refraganteſque Apostolicis decre-

cretis opiniones, non averſentur modò, ſed, per arma etiam lucis & veritatis, diſsipent & evertant. Tantùm tamen abeſt, ut vicem veſtram doleamus; ut vobis potiùs gratulemur, quòd hac etiam in parte cauſa veſtra ab hujus Sanctæ Sedis rationibus ſejuncta eſſe nõ potuerit; quòdque alienę prorsùs, calumnioſæque interpretationes, ad conflandam memoratæ Conſtitutioni invidiam temerè excogitatæ, ad injuriam quoque veſtri nominis redundarint. Cęterum non adeò Vobis erat, aut dolendum, aut mirandum, quòd, cùm ipſis Divinorum librorum oraculis, & Apoſtolicis definitionibus, pro impotenti obſirmatôque partium ſtudiô, paſsim vis afferatur; hæc êadem contentionis pervicaciæque licentia Angelicam Doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potiùs jurè mirandum, quòd tam præpoſtero conſilio in hac cauſa locus eſſe potuerit, ubi Sancti Thomæ exploratiſsimis ſententiis damnati errores diſertiſsimè confutantur. Quandoquidem Omnipotentis Dei providentiâ factum eſt, (*a*) ut Angelici Doctoris vi ac veritate Doctrinæ, non ſolùm innumeræ, quę vel ipſius ætate, vel anteà graſſatæ ſunt, ſed multæ etiam quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ, & convictæ diſsiparentur. Magnô igitur animô contemnite, Dilecti Filii, calumnias intentatas ſententiis veſtris, de Gratia præſetim *per ſe & ab intrinſeco efficaci*, ac de *gratuita Prędeſtinatione ad gloriam ſine ulla prævisione meritorum*, quas laudabilitèr hactenùs docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino, & Thoma ſe hauſiſſe, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis conſonas eſſe, Schola veſtra commendabili ſtudiô gloriatur. Cùm igitur bonis, & rectis corde ſatis conſtet, ipſique calumniatores

(*a*) *Pius V. in Bulla* Mirabilis Deus. 1567.

(ni-

(nisi dolum loqui velint) satis perspiciant, SS. Augustini, & Thomę (*b*) inconcussa tutissimaque dogmata nullis prorsus antedictæ Constitutionis censuris esse pestricta; nè quis in posterùm eô nomine calumnias struere, & dissensiones serere audeat, sub canonicis pœnis districtè inhibemus. Pergite porrò Doctoris vestri opera Sole clariora, sine ullo prorsus errore (*c*) conscripta, quibus Ecclesiam Christi mirâ eruditione clarificavit (*d*) inoffensô pede decurrere, ac per certissimam illam (*e*) Christianæ Doctrinæ regulam, Sacrosanctæ Religionis veritatem, incorruptæque disciplinæ sanctitatem, tueri, ac vindicare. Hęc sunt enim, Dilecti Filii, quæ Prædecessores nostri de Sancti Thomæ Doctrina senserunt, & prædicarunt, atque nos, non modò ad curarum vestrarum lenimentum, sed ad animi quoque nostri solatium, libentissimè usurpamus, & præconiô Apostolicę vocis efferimus. Inclytus enim Ordo iste (cui nomen dedimus, & quem expressè, Domino miserante, professi sumus) eôdem Angelicæ Doctrinæ lacte nos aluit, ac, licèt impari institutionis fructu, ad gerendam Ecclesiarum solicitudinem eduxit; ut privatô etiam diuturnôque colendarum artium experimentô edisscere potuerimus, quod ex Apostolatûs speculâ per hasce literas annunciamus. Deum intereà, qui pacem & veritatem diligendam præcipit, supplices rogate, ut sincerô Angelici Doctoris studiô omnes in simplicitate cordis nitantur, quæ ille docuit, intellectû conspicere, atque in unitate spiritûs, & charitate fraternitatis, quæ ille egit, imitatione complere. Ac Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die

(*b*) *Alexand. VII. in Brevi incipiente* Litteras. 1661.

(*c*) *Clemēs VIII. in Brevi incipiente* Dilecti Filii 1603.

(*d*) *In Collect. Fest.*

(*e*) *Pius V. in Bulla ut supra.*

die vj. Novembris M. DCC. XXIV. Pontificatûs Nostri Annô Primô.

Carolus Archiep. Emissenns.

411 Nec gravamur apponere pro coronide, Sacram Generalis Inquisitionis Romanæ Congregationem, die 5. Martii anni 1725. de mandato SS. D. N. Benedicti XIII. prohibuisse, ac damnasse, quasdam Theses, propugnatas Cæsaraugustæ die 8. Martii anni 1723. quas inter, sequens posita erat in tertia columna, numerô quarta, videlicèt: *Cùm Concilium Senonense contra Lutherum, & Tridentinum contra eundem & Calvinum, gratiam auxiliantem (non aliam, quàm ab intrinseco efficacem) damnaverint: Et Alexander VII. ac Innoc. X. contra Jansenium, gratiam interiorem resistibilem definierint, probabiliùs gratiam ab extrinseco efficacem adstruimus; & ab intrinseco efficacem negamus.* Easdem Theses quatriduò ante (Kalendis scilicèt Martii, anni 1725.) prædamnavit S. Cæsaraugustanæ Inquisitionis Tribunal, decernens, ac declarans, prefatam Conclusionem *esse temerariam, injuriosam, seditiosam, Pontificum Decretis inobedientem, falsam, cum impostura Sacris CC. Trident. & Senon. & injuriosam SS. DD. Augustino, & Thomæ.*

412 Placet hoc Decretum eôdem hispanicô sermone, quô scriptum fuit, verbatim referre (suppressis duntaxàt, moderationis ergô, propugnantium nominibus) nè quid â nobis temeratum existimetur. *Conclusiones* (inquit) defendidas en Zaragoza en 8. de Marzo 1723. por los Padres Fr. N. y Fr. N. condenadas; por ser la conclusion quarta en la tercer coluna de *gratia actuali*, que empieza: *Cum Concilium Senonense*, temeraria, injuriosa, sedicios, inobediente à los Decretos Pontificios, y falsa con impostura à los Sagrados Concilios Tridentino, y Senonense, è injuriosa à los Santos Doctores S. Agustin, y S. Thomas. Dada en Zaragoza à uno de Marzo 1725. Propugnatores autem jussi sunt palinodiam publicè canere. Obiter hîc, sed valdè notanda est ultima censura, quâ thesis illa tam dirè proscindens gratiam intrinsecè efficacem, asseritur, ac declaratur injuriosa

SS.

SS. DD. Augustino, & Thomæ, quantunvis neutrîus expresse meminerit.

413 Post hæc scripta, prodiit celeberrima Constitutio laudati Sanctiss. D. N. Benedicti Papæ XIII. feliciter regnantis, quæ incipit *Pretiosus*, edita Setiæ (vulgò Sezza) 7. Kalendas Junii anni 1727. Pontificatûs sui anno III. In qua Ordinem nostrum (quem Glorioſissimus Pontifex se expressè professum fuisse, & adhuc profiteri impensè gloriatur) amplissimis cumulat Privilegiis, favoribus, gratiis. Angelicam deinde D. Th. Doctrinam in Cælum laudibus effert §. XLI. ubi memoratis Christi D. approbatione, & eximiis justisque Pontificum decessorum Encomiis, sic tandem oblatrantium calumnias Supremô Apostolicæ Sedis Magisteriô retundit.

414 *Ut autem* (inquit) *turbulenti, ac pertinaces tranquillitatis Ecclesiæ Catholicę perturbatores desinant Orthodoxam S. Thomæ Doctrinam calumniari, ac nè deinceps præposteris, & à veritate alienis interpretationibus Apostolicas ipsas Litteras nostras, non sine aperta, ut accepimus, verbis nostris, ac etiam Decessorum Nostrorum irrogata violentia, tàm Prædicatorum Ordinem, quàm alios veros illius Assectas, & Sectatores incessere audeant, Constitutioni XCVIII. quę incipit* Pastoralis Officii *fel. rec. Clem. XI. omnibusque in ea contentis firmiter inhęrentes, sub divini interminatione judicii, iterumque sub canonicis pœnis omnibus, & singulis Christifidelibus mandamus, nè Doctrinam memorati S. Doctoris, ejusque insignem in Ecclesia Scholam, præsertim ubi in eadem Schola de divina Gratia per se & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita Prædestinatione ad Gloriam sine ulla meritorum prævisione, agitur, ullatenus dicto, vel scripto contumeliosè impetant, ac veluti consentientem cum damnatis ab Apostolica Sede, & signanter à Constit. LXIV. d. fel. rec. Clem. XI. incipien.* Unigenitus, *Jansenii, Quesnelii, & aliorum erroribus, traducant, à quibus S. Thomas, & vera Schola Thomistica quàm longissimè abest, & abfuit, universis tam antiquis, quàm nunc Christi Ecclesiam vexantibus hæresibus, & pernicioſis assertis adversans. Damnamus item folia, Theses, & Libros antebàc Typis impressos, vel etiam (quod Deus avertat) imprimendos, in quibus*

ad

ad procreandã, seu fovendam doctrinæ S. Thomæ, Prædicatorum Ordini, aliisque genuinę Thomisticę Doctrinę Assecl s invidiam, designatę, atque damnatæ à Nobis calumniæ assertivè renovantur, vel in aliam à germana prędictarum nostrarum Litterarum sententia, sive Decessorum nostrorum mente, honorifica, atque faventia Doctrinæ Thomisticæ verba fallacissimè detorquentur. Deum veritatis, & pacis enixè rogantes, ut ad majora Glorię suæ incrementa creditus Nobis Populus non minùs tradita à tanto Magistro salutari Doctrina, quàm ipsius innocentium morum, & illustrium virtutum imitatione proficiat. Hîc usurpare licet illud Augus. *Sedis Apostolicæ Rescripta venerunt; causa finita est: utinam finiatur & error.*

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum auxilium supernaturale sufficiens, seu dans posse ad præceptorum impletionem, denegetur interdùm quibusdam scelestissimis, & excæcatis hominibus?

415 PRo resolutione hujus celebris, & nimis involutę opinionũ varietatê quęstionis, supp. ut fide certum, nulli justo deesse auxilia sufficientia, quibus in accepta justitia perseverare possit: Sic enim diffinitur can. 25. C. Arausi. II. vide sup. n. 386. & 389. *Supp.* 2. posse Deum homini lapso justè denegare auxilia ad salutem sufficientia; filio quippè iræ (qualis nascitur iste) non gratia, sed pæna debetur. Hinc illud Sap. 12. *Quis stabit adversùs judicium tuum. . . aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?* *Supp.* 3. Deum, quantùm est ex se, omnibus hominibus misericorditer offerre auxilia ad æternam salutem sufficientia; cùm omnium salutem syncerè velit; pro omnibus mortuus sit; omnes ad se vocet; pro omnibus sacramenta instituerit. *Supp.* 4. ut frequentius apud Theologos in Tract. de Prædest. auxilium illud omnibus oblatum, non omnibus actû conferri seu dari, proùt *dare* est correlativum

ad

ad *recipere* : plures enim parvuli ſine baptiſmo decedunt; plerunque enim feſtinantibus parentibus , & pręparatis miniſtris, ut baptiſmus parvulo detur, *Deo tamen nolente , non datur* , ut Aug. ait de dono perſev. c. 12. evaſiones præludens : qui tamen unicum erat illis medium ſufficiens ad ſalutem. Quod argumentum ita convincens credidit Auguſtinus, ut Pelagianos alloquens dicat : *Vobis ora obſtruunt & linguas premunt , qui loqui nondùm valent. Plures* etiam dantur (juxta D.Th.2.2.q.10.a.1.) infideles negativè , quibus nihil de Evangelio prædicatum eſt, qui proinde nullum auxilium ſufficiens ad credendũ habent : quomodò enim credere in eum poſſunt , de quo nihil audierunt ? Et *ſanè* aliàs eorum infidelitas non eſſet negativa & innoxia, ſed privativa & culpabilis, ut patet.

416 Supp. eſt 5. nec omnibus reprobis negari à Deo auxilia ſufficientia ad ſalutem (aliàs nullus reprobus in legis ſupernaturalis tranſgreſsione peccaret) nec continuè, aut ſingulis momentis , illa conferri ; talis enim continua auxiliorum collatio , neceſſaria minimè eſt ad ſupernaturalem Dei providentiam erga reprobos , imò nec ad illam quam de electis habet : Sed ſufficit , pro certis & determinatis occaſionibus illa dari. Et certè experientiâ compertum eſt, homines non ſemper, ſeu continuè , piis cogitationibus, aut ſanctis affectionibus , illuſtrari, aut tangi ; gratia autem ſufficiens, aut in illis conſiſtit , (juxta RR.) aut ad illas movet ſeu applicat , ut Thomiſtæ docent. His ſuppoſitis,

417 Concl. eſt affirm. & frequentior , imò communis inter Thomiſtas ; nam qui ab ea recedere videntur , illam tandem expreſsè tenent, ut videre eſt apud Salmant. diſp.6. de grat.dub.3. pręcipuè n.102. & Mag. Ferre. Prob. autem 1. ex Scrip. Hierem.51. *Curavimus Babylonem , & non eſt ſanata : derelinquamus eam , & abeamus uniſquiſque in terram ſuam.* Ubi Gloſſa ordinaria (quæ eſt Hieronymi ad illum locum) apertè docet, Deum aliquandò obſtinatis peccatoribus adjutoria ſufficientia (quibus ſæpè ſubventum eſt , & curari poterant) ſubtrahere propter obſtinationem eorum.

Vi-

Vide Mag. Lemos, to. 4. tract. 3. c. 16. ubi laudatam Glossam optimè expendit. Idem colligitur ex illo Isa. 5. *Ostendam vobis quid ego faciam vineæ meę: Auferam sæpem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur.* Quod in spirituali sensu intelligunt Hieron. Cyrill. D. Th. aliique PP. de peccatrici anima, semper divinis adjutoriis receptis obstinatè resistente: adjutoria autem (ob resistentiam illis præstitam, denegata) efficacia non sunt, his quippè nunquàm resistitur. Vide Lemos ubi proximè à n. 229.

418 Præt. juxta Scrip. Deus excęcat, & indurat; *non quidem impertiendo malitiam, sed subtrahendo auxilia gratiæ*, ut fert Theolog. proloquium ex Aug. *excęcatio* autem, sæpè quidem fit per denegationem auxilii efficacis, non qualemcumque (aliàs omnis peccans diceretur excæcatus) sed continuam, quâ positâ, præceps ruit homo in maxima & gravissima peccata; qualiter excęcati fuerunt Judæi, & Pharao, quibus profectò non omne sufficiens auxilium fuit denegatum, ut ex Aug. lib. 83. quæst. q. 68. docet D. Th. super cap. 9. ep. ad Rom. lect. 3. §. *Deinde cum dicit*: Nihilominus, in quibusdam fit *excęcatio* & *obduratio* per ablationem etiam auxilii sufficientis: Nam D. Th. 3. cót. Gen. c. 162. docet, testimonia Scripturæ, quæ de excæcatis & obduratis procedebant, *secundum hoc intelligenda esse, quòd Deus aliquibus non confert auxilium ad vitandum peccatum, quod aliis quibusdam confert.* Ubi non loquitur de negatione solius auxilii efficacis, *tum*, quia aliqua ibi enumerat *merè sufficientia*: *tum*, quia omnes quibus denegatur auxilium efficax ad conversionem, dicerentur *excęcati*, & *obdurati*, quod est falsum: fit igitur multotiès *excęcatio* per negationem auxiliorum sufficientium.

419 Prob. deinde Concl. ex Aug. Serm. de Verbis Dom. ubi loquens de peccatore obdurato ait: *Cùm vult non potest; quia quando potuit non voluit; ideò per malum velle perdidit bonum posse.* Ubi per ly *non potest* cùm vult, significat impotentiam simpliciter, & antecedentem, ortam ex abla-

ablatione auxilii sufficientis; nã per ly *potuit* dùm nõ voluit, intelligit potentiam, seu sufficientiam simpliciter, seu antecedentem; nam cum potentia cum actu conjunctâ non stat non velle. Idem docet lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Illa peccati pœna* (inquit) *justissima est; ut qui rectè facere cùm posset, noluit; amittat posse cùm velit. Præt.* 1. de correp. & grat. c. 11. ait: *Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini defuisset, quoniam non talis natura facta erat ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet; non utiquè sua culpa cecidissent, adjutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent: nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.* Et idem docet D.Th. 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. ergo nunc in statu lapsûs negatur interdum quibusdam in pœnam præcedentium peccatorum auxilium sufficiens ad cavendum peccatum, & à fortiori ad pœnitendum de commissis.

420 Dices loqui Aug. aut de adjutorio solùm facilitante; aut de efficaci; aut de solo habituali; aut de proximè sufficienti duntaxàt. *Sed* hæc omnia sponte ruunt. Duo quidem priora: quia, si semel adsit auxilium dans absolutum posse ad actum præceptum, hujus omissio imputatur, quantunvis desit, aut adjutorium merè facilitans, ut patet; aut efficax, aliàs nulli imputaretur lapsus, auxiliô quippè efficaci destituitur omnis peccans. *Tertium* etiam apertè ruit: Loquitur enim Mag. Parens de omni auxilio necessario, ut primus Parens in bono posset permanere, si vellet; sed utrumque adjutorium, habituale scilicèt, & actuale sufficiens, erat Adæ necessarium ad perseverandum in bono: ergo. *Quartum* denique. Nam si Adæ vel Angelo datum fuisset auxilium tantùm remotè sufficiens, adhuc culpâ suâ cecidissent; habenti enim potentiam remotam ad actum præceptum, & si careat proximè sufficienti, imputatur omissio, modò detur advertentia ad instantiam præcepti, quę Adæ, & Angelo minimè defuit: ergo. *Prob.* demum Concl. experientiâ enim constat, nonnullos, dum peccant, nullas percipere sanctas cogitationes, piasque affectiones, in quibus cosistunt (vel formaliter, vel consecutivè) auxilia sufficientia: planè autem repugnat, prædicta dum adsunt,

sunt, non percipi, cùm verè sint actiones nostræ, tametsi indeliberatę, ut optimè discurrit Bellarm. l. 2. de gratia & lib. arb. c. 6.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

421 Opp. 1. contra id quod in confirmationem quartę supp. adduximus, dari scilicèt, infideles negativè. Omnis perveniens ad usum rationis, tenetur converti ad Deum conversione justificativâ, seu, ad quam infallibiliter sequatur justificatio, ut docet D. Th. 1. 2. q. 89. a. 6. & q. 24. de verit. a. 2. ad 2. quæ conversio, supernaturalis proinde est; ad nullam quippè dispositionem merè naturalem sequitur infallibiliter gratia sanctificans: ergo omnis perveniens ad usum rationis, recipit de facto auxilium supernaturale sufficiens ad convertendum se supernaturaliter in Deum: ergo nullus datur infidelis negativè.

422 Concessô ant. & 1. cons. n. 2. Quanvis enim in primo instanti usûs rationis, omnes accipiant sufficiens auxilium supernaturale ad acceptandam totam legem, & res fidei (implicitè tunc propositas, & per modum magni cujusdam præmii pro observantibus legem) non tamen omnibus proponuntur res fidei determinatè & explicitè; nec omnibus proinde confertur auxilium ad explicitè credendum; plures enim, quia priori resistunt auxilio, nec volunt acceptare legem, nec ad Deum converti, indignos se reddunt propositionê rerum fidei sub motivo explicitô fidei. Horum nihilhominus infidelitas, privativa non est; ad hanc enim requiritur resistentia, seu non acceptatio fidei divinæ, sufficienter propositæ in particulari, & explicitè; aut saltem sub motivo Dei dicentis & testificantis: repugnat autem quòd quis resistat Deo testificanti, si nihil sibi proponatur, ut testificatum à Deo: Omnia ergo consonant, nec ulla est in dictis D. Th. contradictio. Vide J. à S. Th. disp. X. de reprob. a. 3. §. *Ad primum*, & PP. Salm. ubi suprà.

423 Dices: Nullus datur actus supernaturalis anterior actû fidei; est enim fides *humanę salutis initium*, juxta Trident. sess. 6. cap. 8. ergo si omni pervenienti ad usum rationis supernaturale confertur auxilium, ad actum fidei cõfer-

fertur. *Dist.* ant. Nullus datur actus supernaturalis anterior actu fidei, qui non sit dispositio ad fidem, C. qui sit dispositio ad fidem, N. Talis autem est conversio illa, de qua loquitur D.Th. convertenti enim se ad Deum, ejusque legem acceptanti, proponentur explicitè (sive per Angelum, sive per Prędicatorem) mysteria ad salutem necessaria, & justificabitur. Fides autem dicitur à Trident. *Salutis initium*, tum ratione sui, tum ratione dispositionum. Et sanè si fides dicitur *justificare*, quia disponit ad justificationem, quid ni actus disponens ad initium salutis, diceretur suô modô *salutis initium*?

424 Opp. 2. cont. Concl. Homo, quantunvis excæcatus, tenetur ad Deum converti, & pœnitere: ergo potest; *Deus enim impossibilia non jubet*, ut definit Trident. ergo nulli homini, quamlibèt excæcato, denegat Deus auxilium sufficiens prębens posse converti, & pœnitere. *Dist.* conseq. Ergo potest, sumptâ potestate à potentia Dei, & auxiliis sibi præparatis & oblatis, & priùs receptis etiam in ordine ad illud tempus, sed ab illo refutatis, C. sumptâ potentiâ ab auxiliis, quæ tunc habeat, N.

425 Tenetur itaque infœlix ille servare mandata; quæ quidem absolutè servare potest per auxilia sufficientia sibi præparata & oblata, & etiam interna, non quæ tunc habeat, sed quæ priùs recepit in ordine ad illud tempus; sed quia illa sæpè refutavit, ipse se reddidit impotentem impotentiâ consequente, & sibi liberâ, utpotè prævisâ in causâ, quam vitare noluit cùm posset; imò impotentiâ directè volitâ; rejiciens enim, & positivè nolens auxilia sufficientia, directè vult *non posse*, seu *impotentiam*. Quid ergo mirum, si hujusmodi dicentibus Deo, *recede à nobis*, *scientiam viarum tuarum nolumus*, imputetur cœlestium inobedientia mandatorum, absolutè utiquè possibilium, sed quæ, ipsi, ut effrenatè vivant, sibi impossibilia reddunt, positivè abjiciendo sufficientiam & posse, non modò sibi præparatum & oblatum, sed & sæpè præstitum?

426 Quanvis ergo nec Deus, nec Ecclesia, impossibilia jubeant; præcepta tamen instant eis, qui directè, vel indi-

directè nolunt sufficientiam, seu posse ad eorum impletionem. Hâc ratione, eligenti opus, incomposibilem reddens adimpletionem præcepti, imputatur hujus omissio, ut patet in projiciente breviarium in mare, & domî manente, tempore auditionis sacri, quibus recitationis, & sacri, imputatur omissio. Quemadmodùm & ignorantia, directè vel indirectè volentis ignorare, jurè ab omnibus judicatur vincibilis, voluntaria, & non excusans. Præcepta igitur instarent nolentibus & sæpè rejicientibus auxilia sufficientia ad illorum impletionem; quibus propterea Deus ea omninò deinceps justissimè denegaret.

427 Valdè tamen notandum est, quòd cùm Deus justè nonnunquàm deneget auxilia sufficientia in pœnam peccati personalis, aut originalis, ut expressè docent Aug. & D. Th. locis n. 418. laudatis: si illa deneget in pœnam solîus peccati originalis, illorum carentia non est libera libertate personali; adeòque nec præcepta obligant, nec illorum transgressio imputatur; quia, ut rectè docet D. Th. in 2. d. 30. q. 1. a. 2. *ad culpam personæ requiritur voluntas personæ*: ideoque 2. 2. q. 10. a. 1. docet, infidelitatem negativam non esse peccatum, sed pœnam peccati. Idem docuerat Aug. lib. 1. de peccat. meritis c. 35. dicens: *Sine voluntate propria, nullum vitæ propriæ potest esse peccatum.* Et hinc meritò damnata est ab Alex. VIII. sequens Jansenistarum prop. numerò prima: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium & liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adæ peccantis.* Vide c. 2. n. 449.

428 Præcepta igitur non obligant quemcumque destitutum auxiliô sufficienti, sed illos duntaxàt, quibus illud justè denegatur in pœnam peccati personalis; non qualiscumque, sed volentis directè vel indirectè talem denegationem, & impotentiam inde secutam: *Si* verò hæc neutiquàm fuerit voluntaria peccanti, hunc minimè obligarent præcepta: esset quippè antecedenter & simpliciter impotens adimplere illa. *Et* hôc modô conciliantur diversæ in speciem Thomistarum sententiæ. Crediderim tamen, nulli

pec-

peccatori, (quantunvis maximo) denegari defacto auxilia sufficientia, nisi illa directè vel indirectè nolenti, & cui proinde voluntaria sit impotentia.

429 Scripturæ autem testimonia, quæ in oppositum frustrà cumulant Adversarii, probant quidem id, quod in fronte dubii ut certum supposuimus, nimirùm, Deum, quantùm est ex se, omnibus hominibus misericorditer præparasse, & offerre auxilia ad æternam salutem sufficientia; nec quempiam peccatorem suis obligare præceptis, qui non possit ea adimplere, modò talis impotentia non fuerit modô dictô voluntaria. *In* dictorum autem confirmationem, audiendus Aug.lib.de perfect.just.c.6.ubi Celestio objicienti: *Quomodò culpa hominis est, non posse sine peccato esse, si hoc non est, quod esse non potest?* Sic occurrit: *Respondetur* (inquit) *ideo esse culpam hominis, quòd non est sine peccato, quia sola hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non potest*... Et infrà: *Peccatum est autem, cùm, vel non est charitas, vel minor est, quàm debet: sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia si potest, præsens voluntas id facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit*, quâ, scilicèt, directè, vel indirectè voluit carêre auxiliô tribuente posse.

430 Præt. idem Mag. Parens ep. 105. ait: *Ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati.* Quid ni ergo idem de impotentia, ortâ ex justa auxilii sufficientis denegatione dicendum est, nimirùm, quòd *ipsa talis impotentia in his qui posse noluerunt, sine dubitatione peccatum est?* Æquè enim impotens est implere præceptum, illud ignorans, seu carens illius cognitionê; ac carens interiori auxiliô ad illud implendum: cognitio enim objecti se tenet ex parte actûs primi, juxta omnes, cùm voluntas in incognitum ferri non possit, est quippè ejus objectum bonum apprehensum. *Hinc* videas, quô jure, quave injuriâ, Modernus Schotista Smising, dixerit trac.3.d.6.n.168. *oppositam sententiam esse de fide.* Et Franciscum Henno, suô Smising laudatô, subjunxerit: *Sanè mirum est, quòd aliqui videantur plus deferre dubiis*

Au-

Augustini passibus, quàm apertis Scripturæ testibus, quos nè quidem sibi objicere & explicare dignantur.

431 Hæc quidem rectè jactasset in Jansenistas, qui ad firmandam hæresim de impossibilitate præceptorum, abutuntur variis August. locutionibus, quibus insinuare videtur, homines non posse præcepta implere, & tentationes vitare, indeque monet nos, ut oremus pro posse, id quod ex ipso docet & Tridentinum sess. 6. sæpè laudatâ, dicens: *Deus jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Abutuntur, inquam, Aug. verbis: Loquitur enim M. P. & ex illo Trident. de impossibilitate, non *physica* (quam verbis præcedentibus rejecerat dicendo, *Deus impossibilia non jubet.*) sed *morali*, quæ cum difficultate recurrit; id quod multis eruditè ostendit M. Mansus q. 5. de grat. suffic. §. 3. & apertè constat (pluribus aliis omissis) ex illo Mag. Parent. lib. de nat. & grat. cap. 69. *Eo ipso* (inquit) *quo firmissimè creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* En, quæ priùs & sæpè aliàs *impossibilia* dixerat, propter quæ Deus orandus est; nunc, sui interpres, *difficilia* exponit. Sed de his satis.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Causa Gratiæ.

432 ABsolutâ consideratione gratiæ quoàd ejus necessitatem, quidditatem, & divisionem, agit consequenter D. Th. tribus postremis quæst. de his, quę gratiæ extrinseca sunt, causâ scilicèt, & effectibus. De causa quidem, q. 112. diffiniens a. 1. solum Deum esse causam illius effectivam principalem; sequentibus verò de gratiæ dispositionibus differit quoàd earum necessitatem, connexionem cum illa, & inæqualitatem veluti intensivam. *Consul-*

rò autem reliquas gratiæ causas omittit, quia, cùm ipsa sit quædam forma, opus non est de illius causa formali disputare: Constat pariter ex dictis circa gratiæ quidditatem, causam illius finalem esse gloriam Dei & Christi, ac vitam æternam, id quod posteà diffinivit Trident.sess.6.cap.7. ubi de causis justificationis gravissimè statuit. *Supponit* demùm, ut indubitatum, solam creaturam rationalem esse posse causam materialem subjectivam gratiæ. Agit autem S. D. a.5. de certitudine, quam quis habere potest de ipsa gratia. Horum præcipua examinare juvat. Sit igitur

DUBIUM I.

Utrum solus Deus possit esse causa efficiens principalis gratiæ?

433 COncl. est affirm. & com. Supponit autem ut fide certum, quòd defacto solus Deus est causa effectiva principalis gratiæ, quia Scripturæ passim testantur, esse proprium Dei *dare gratiam, sanctificare, justificare, peccata dimittere*, Job 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Psal. 77. *Deus noster, Deus salvos faciendi.* Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, Isa.45. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas: narra si quid habes ut justificeris.* Marci 2. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Rom. 3. *Unus est Deus qui justificat. Præterea* Trident.locò laudatò, exactissimè enumerans omnes gratiæ justificantis causas, pro efficiente solùm assignat misericordem Deum, qui gratuitò abluit & sanctificat. Hôc igitur suppositô,

434 Prob. concl.rat. D.Th. a.1. Causa efficiens principalis est potior suô effectu; sed nulla creatura est potior gratiâ sanctificante, cùm hæc sit participatio formalis naturæ divinæ, excedentis omnem aliam naturam: ergo. *Ratio* hæc, rectè intellecta, est demonstrativa, ut optimè notat J. à S.Th. Loquitur enim in ea D. Th. in sensu formalissimo

mo de eo quod excedit facultatem alicujus naturæ primò & per se, ac formaliter, non secundariò & mediatè. Loquitur similiter de participatione naturæ divinæ, reperta in gratia, quę est per se & immediata naturę divinæ, ut natura est: Instauratur igitur sic ratio: Impossibile prorsùs est, quòd excedens per se primò facultatem alicujus naturæ, estque immediata participatio superioris, procedat tanquàm à causa principali, ab aliqua natura inferiori, etiam per virtutem communicatam; sed talis est gratia sanctificans respectû cujusvis naturæ creatæ, aut creabilis, cùm sit immediata participatio neturæ divinæ, quà talis; adeòque, nulla virtus communicata valet esse illâ superior: aliunde nec gratia potest esse productiva alterius, alioquin defacto illam produceret, quia propriâ & nativâ virtute id haberet: ergo.

435 Præt. Producens gratiam, dat Spiritum S. at nulla creatura dare potest Spiritum S. ergo. Prob. min. Quia, juxta D. Th. 1.p. q. 98. a.1. ad 1. donum debet esse aliquô modô dantis, vel per idemptitatem, vel per originem, vel per possessionem; at nullô ex his modis potest Spiritus S. esse alicujus creaturæ, ut patet: ergo. *Hinc* Aug. 15. de Trinit.c.20.ait: *Quomodò Deus non est, qui dat* (principaliter) *Spiritum S?* *Demùm*: Impossibile est quòd aliquid igniat, nisi solus ignis: ergo impossibile est quòd deificet per gratiam, nisi solus Deus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

436 Opp. 1. cont. 1. rat. Non repugnat duplex species luminis glorię; adeòque virtus perfectioris poterit inferiorem minusquè perfectam producere. *Deinde* contra 3. Ferrum candens v.g. aliudve corpus, quod ignis non sit, potest ignîre ex virtute ignis communicata: ergo per virtutem à Deo communicatam, poterit creatura deificare. *Ad* 1. R. in primis N. ant. idem enim specificè lumen gloriæ sufficit ad omnem effectum luminis, sicut & eadem charitas secundum speciem valet ad omnes charitatis effectus. *Dato* deinde ant. N. conseq. quia lumen est quidam particularis habitus cognoscitivus, intra cujus formale objectum,

ctum, non repugnat concipere diversas specificè rationes formales ad attingendum Devm clarè visum : Gratia verò, cùm sit formalis participatio naturę divinę, quà talis, est omnium habituum & participationum supernaturalium radix ; adeoque repugnat dari aliam gratiam extra illam. *Dato* demùm ant. & 1. etiam conseq. N. 2. Nec enim species perfectior & superior potest inferiorem intra idem genus producere, quantunvis sit species perfectior : sicut non potest homo formicam producere, quantunvis sit species perfectior intra genus animalis.

437 Ut igitur species sit alterius productiva, requiritur, quòd sit istâ eminentior, quasi alterius generis, cujusmodi est cœlum respectu corporum corruptibilium : sed talis nō foret una gratia respectu alterius, datô quòd specificè distinguerētur. *Ad* 2. R. rationem illam adduci à D.Th. per modum similitudinis, & procedere ex vi virtutis proprię & nativæ. Prima tamen ratio (proùt suprà explicata est) planè convincit, non posse gratiam principaliter effici à creatura, nec virtute propriâ, nec communicatâ.

438 Opp. 2. Non repugnat, creaturam esse causam efficientem principalem gratiæ, ratione supernaturalitatis (homo siquidem elevatus principiô supernaturali, causat principaliter actus supernaturales) nec titulô creationis, gratia enim non creatur : nec demùm, ex eo quòd intra animam fiat, quia saltèm non repugnaret, aliquem intra se ipsum producere gratiam. Nec respectu alterius repugnat: sicut non repugnat, unum Angelum illuminare alium intra ipsius intellectum, juxta D.Th. 1.p.q.106.a.3. ergo. *N.ant.* quoàd 1. p. ad prob. N. conseq. Gratiæ enim repugnat à creatura produci, ratione supernaturalitatis; non qualiscumque, sed primò & immediatè participatæ à Deo. Supernaturalitas autem actuum participatur mediante formâ supernaturali. Vide J.à S.Th. disp. 25.a.1.ad 2.

439 Opp. 3. Causans principaliter ultimam dispositionem ad formam, ipsam quoque formam principaliter producit; sed homo causat principaliter ultimam disp. ad gratiam, scilicèt, actum charitatis, vel contritionis : ergo.

Prat.

Præt. Ecclesiast. 2. Ezech. 18. & 1. Joan. 3. habetur, hominem seipsum *vivificare*, *sanctificare*, & hujusmodi: ergo homo causat principaliter gratiam, quâ fit sanctificatio. *Ad* 1. dist. maj. si ultima dispositio educatur de potentia naturali subjecti, C. Si secùs, N. Homo igitur causans principaliter ultimas dispositiones ad animam rationalem, & gratiam, neutram principaliter causat, quia illa creatur, hæc educitur de potentia obedientiali, soli Deo subjectâ. *Dum* autem in Scrip. gratia dicitur *creari*, non est sermo de creatione *physica*; sed *morali*, quatenùs per eam constituitur homo *in novo esse ex nihilo*, *idest*, *non ex meritis*, ut docet D. Th. suprà q. 110. a. 2. ad 3. *Ad* 2. N. conseq. Ad verificandas enim illas Scrip. locutiones, satis est, quòd homo effectivè se disponat ad gratiam, eliciendo actus contritionis & charitatis.

440 Opp. ult. Gratia Christi est causa principalis *moralis* gratiæ nostræ: ergo & *physica*, æqualem enim utraque requirit virtutem & perfectionem, scilicèt infinitam. *Præt.* Gratia Christi, dum in nostram influit, illam sibi assimilat, cùm utraque ejusdem sit speciei: ergo illa est hujus causa principalis *physica*. *Ad* 1. omissâ solut. Godoy, & Ferre, R. disp. esse. Quia, ut gratia Christi esset causa principalis *physica* gratiæ, deberet esse physicè infinita, quod repugnat: ut autè causet illâ principaliter *moraliter*, sufficit infinitas moralis, quâ à Supposito dignificante derivat. *Ad* 2. N. cons. ob dicta.

DUBIUM II.

Utrum facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, Deus certa lege det gratiam?

441 SUpp. cum D. Th. a. 2. ad recipiendam gratiam habitualem, aliquam requiri in adulto præparationem, quia nulla forma suscipitur, nisi in materia disposita; secùs ad recipiendam gratiam actualem, sed potiùs omnis præparatio à divino auxilio est. *Deindè* supp. quòd

quòd ipſe bonus motus liberi arbitrii, pręparans ad gratiam, procedit à libero arbitrio, ut motô à Deo; & ita principaliter eſt à Deo: Et quia verè eſt actus liberi arbitrii moti à Deo, dicitur Proverb. 16. *Hominis eſt præparare animum*; & quia eſt principaliter à Deo movente liberum arb. dicitur, *à Deo voluntas hominis præparari*, & *à Domino greſſus hominis dirigi*. *Supp.* 3. præfatum actum, *phyſicè* quidem ad gratiam diſponêre, tametſi efficienter ad illam non concurrat. De quo in tract. de Charitate. *Supp.* demùm, aſſertionem iſtam: *Facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturę viribus, Deus certa lege dat gratiam*, ſic intellectam, *quòd opus, ſolis naturę viribus factum, ſit meritum gratię dandæ*, fuiſſe capitale fundamentum, quô prȩcipitatores arbitrii, ut ipſum adverſus Dei gratiam extollerent, ſemper utebantur; quod propterea pluriès anathematizavit Eccleſia & maximè in Conc. Arauſ. II. & Trident. His ſuppoſitis,

442 Concl. eſt neg. & com. contra Molinam in Concor. q. 14. a. 13. diſp. 10. aſſerentem, facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, dari infallibiliter gratiam, non quidem ex meritis (quod veluti Pelagianum ipſe refûtat) ſed propter pactum & promiſsionem Dei, illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum, volentiſque, omnes homines ſalvos fieri: *& ob merita Chriſti, qui ut verus Redemptor, nobis promeruit atque obtinuit auxilium gratiæ ſaltem ſufficiens; eamque legem ſubveniendi hòminibus cum Patre conſtituit.* Prob. autem concl. *Tum*, quia ex præfata Molinæ ſententia ſequi videntur inconvenientia, quæ ille expreſsè averſatur, & propulſare nititur, nimirùm, quòd opus illud naturæ viribus factum, foret reverâ *meritum*, *& poſitiva diſpoſitio gratię dandę*, *& ſalûtis initium*.

443 Suppoſitâ enim tali lege, ſeu pactô, gratia non daretur merè gratis, ſed intuitû operationis naturalis, & per modum retributionis, fundatæ in pacto & promiſsione Dei, alioquin, ſi intuitû illius operis non daretur gratia, illud ad iſtam omninò per accidens ſe haberet, nec proinde daretur propriè pactum, ſed promiſsio ſub conditione diſparatâ. Præt. initium ſalutis eſſet ex nobis, ideo enim gratiam

tiam promissam haberemus, quia, quod in nobis est, fecissemus. *Et hinc*, unus ab alio se dicerneret, haberet quippè promissam gratiam, præ alio, quia fecisset quod in se erat, secùs alius. *Præt.* Quanvis opus illud, solis naturę viribus factum, secundum se, non sit meritum aut positiva dispositio gratiæ, nec ullam cum illa dignitatem, vim, commensurationem, vel proportionem habeat; secùs tamen, suppositâ certâ illâ lege: tunc quippè homo sic operans, mereretur ut Deus ei gratiam retribueret, quam suâ lege, se daturum sic operanti, firmavit: Quemadmodùm, si Rex legem ferret, ut qui prior tali die Palatium ingrederetur, supremam obtineret nobilitatem; hanc profectò sibi mereretur sic ingrediens, tanquàm sibi debitam ex lege Principis sic ordinâtis; tametsi opus illud, secundum se, non esset meritum talis pręmii, nec ullam cum illo diceret proportionem, &c. Ad rationem siquidem meriti sufficere videtur, quòd merces debeatur, non tâm ex natura operis, quàm ex Principis numerantis ordinatione.

444 Nec vitat inconveniens, imò aggravat, recursus ad meritum Christi: Si enim Christus meruisset, ut, nobis facientibus ex viribus naturæ quod in nobis est, semper & certâ lege daretur gratia; meruisset utiquè, ut ipsius gratia, non esset jam gratia, sed naturæ operibus debita, suppositâ tali lege, seu pactô. *Profectò* per hunc recursum facilè possent Pelagiani sua prava dogmata excusare, dicendo, Christum cum Patre (ob meritum suum) legem statuisse, ut incipientem viribus naturæ hominem opus bonum, adjuvet Deus donis gratiæ: ergo.

445 Prob. deinde concl. Quia minimè constat, talem legem dari. Imò illam non esse, colligitur ex Con. Arausc. can. 6. ubi damnatur qui dixerit, *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus, nobis misericordiam conferri*: Conferretur autem, si talis lex esset statuta. *Colligitur* præterea ex Aug. sæpè asserente, nullam posse assignari rationem ex parte hominis, quare Deus vocat istum, & non illum, & istum trahat, & illum non trahat. Et quandoque vocare, & trahere meretrices & histriones, relictis vi-

viventibus sine querela, & bona moralia facientibus: quod non esset, si dicta lex esset statuta: ergo. *Tum* L. 2. cont. 2.ep. Pelag. dicente: *Avertat Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum*: Ita tamen esset, supposità illà lege. Vide M. Lemos lib.4. p.1. trac.6. per totum. M. Serra 1.2. q.109.a.6. & q.112.a.3. & J.à S. Th.disp.20.a.1.& disp.25.a.2.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

446 Opp. 1. In potestate hominis adulti est ejus salus, juxta illud, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*: ergo facienti quod in se est, ex viribus naturæ, infallibiliter conferûtur primę vocationis gratia, & gratiæ prævenientis auxilia, sine quibus *salus* haberi non potest. *Præt.* Quia aliàs sine culpa sua careret gratiâ, & damnaretur; faciens enim quod in se est ex viribus naturæ, non peccat. *Ad* 1.N.conf. Nec enim *salus* est in hominis potestate, tanquã in primo inchoãte, sed tanquã in liberè consentiente,& cooperãte, suppositô auxilio prævenientis gratiæ. Unde Aug. de bono pers. c. 8. inquit: *Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, ut habeãt homines potestatem filios Dei fieri*: *Ab ipso quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quę operatur per dilectionem.* Et iterum lib. cont. 2. epist. Pelag. c.2. ait: *Cùm itaque non vivant homines benè, nisi effecti filii Dei*: *Quid est, quod iste* (Julianus) *libero arbitrio vult benè vivendi tribuere potestatem*: *Cùm hæc potestas non detur nisi gratia Dei per Jesum Christum D. nostrum, dicente Evangelio: quotquot autem receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri? Ad* 2. N. sequel. Ad prob. N. conf. Quanvis enim sic operando non peccet, peccat tamen resistendo auxiliis sufficientibus, quę Deus omni adulto confert, juxta superiùs dicta.

447 Opp.2.D.Th.q.14.de verit.a. 11. ad 1. dicentem: *Si aliquis taliter nutritus* (in sylvis) *ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali; certissimè tenendum est, quòd ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea quę sunt ad credendum necessaria; vel aliquem fidei prędicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Act.10. Et ad 2. *Quanvis non sit* (inquit) *in potestate nostra cognoscere*

ea

ea quæ sunt fidei, ex nobis ipsis; tamen si nos fecerimus quod in nobis est, ut scilicèt, ductum rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo quod nobis est necessarium. Præt. in 2. d. 5. q. 2. a. 1. ait S. D. *Si homo facit quod in se est, Deus ei dat gratiam. Ad hoc autem faciendum, non exigitur aliquid aliud; illud enim, ad quod non potest per se liberum arbitrium, non est in homine, ut faciat illud; illud enim in nobis esse dicitur, cujus nos domini sumus.* Quibus non videtur loqui de faciente quod in se est ex divino auxilio; quippè istud nec in nostra potestate est, nec illius domini sumus: Loquitur ergo de faciente quod in se est, ex solo libero arbitrio. *Demùm* in eodem 2. d. 28. q. 1. a. 4. ad 4. ait: *Ad fidem aliquis se præparare potest per id quod in naturali ratione est*: ergo.

448 R. gratis omninò hæc & similia test. nobis objici; cùm in illis apertissimè loquatur S. D. de gratia justificante, quam certum est (& opponentes ipsi ultrò fatentur) non dari facienti quod in se est ex solis naturę viribus, sed ex divino supernaturali auxilio. Ut quid ergo inducuntur pro faciente quod in se est ex solis naturæ viribus, in ordine ad prevenientem gratiam illuminationis, & inspirationis? Nullibi autem dixit S.D. gratiam (seu prævenientem, seu justificantem) conferri facienti quod in se est solis naturæ viribus, sed semper & ubique id asserit de faciente quod in se est ex divino auxilio, quanvis id non semper expresserit.

449 Id apertissimè constat 1. 2. q. 109. a. 6. per totum. Et super ep. ad Rom. c. 10. lect. 3. ubi hæc habet: *Si qui tamen eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio Act. 10. & Paulum Macedonibus, ut habetur Act. 16. Sed tamen hoc ipsum quòd aliqui faciunt quod in se est, convertendo se, scilicèt, ad Deum; ex Deo est, movente corda ipsorum ad bonum.* Tren. 5. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Quibus omnia alibi à se dicta exponit. Et sanè Cornelius, quem in exemplum doctrinę ubique adducit, *infidelis non erat... habebat autem fidem implicitam... unde, ut eum in fide pleniùs instrueret, missus est ad eum Petrus*, ut loquitur S. D. 2. 2. q. 10. a. 6. Non igitur fecit Cornelius

quod

quod in se erat ex solo arbitrio, sed ex divino prævenientis gratiæ auxilio. In hoc igitur sensu perpetuò loquitur D. Th.

450 Nota autem, quòd in testimoniis objectis ex 2. sent. rejicit D. Th. sententiam requirentium ad contritionem (ultrà habitum gratiæ gratum facientis) alium habitum gratię gratis datæ, ad eliciendum contritionem, quoàd substantiam. Hujus igitur secundi habitûs necessitatem negat ibi S. D. docens, solum liberum arbitrium, sine illo, posse contritionem, quoàd substantiam, elicere; non tamen sine divino supernaturali auxilio: Unde ly *solum* non istud, sed præfatum excludit habitum, ut ex littera liquet. Ecquis verò audeat tantum errorem tanto Doctori tribuere, quòd dixerit, *solum liberum arbitrium, sine auxilio gratiæ, elicere posse contritionem*, quam ibidem meritò vocat, *ultimam dispositionem ad gratiam justificantem*? Ratio autem quam secundò locò adducit, solîus prędictę habitualis gratiæ gratis datæ necessitatem excludit; nam verè in nostra est potestate facere quod in nobis est ex divino actuali auxilio, ut declarat S.D. 1.2.q.109.a.6. ad 2. quia tale auxilium ponit in nostra potestate actum, quô facimus quod in nobis est; nec enim illud quod est in dominio & potestate nostrâ, excludere potest dominium & potestatem Dei, quâ nos movet, ut defacto habeamus in potestate nostra talem actum.

451 Ad penitiorem resolut. captum, nota D. Th. super cap. 12. epist. ad Heb. lect. 3. quòd ipsum non ponere impedimentum gratiæ Dei, est ex ipsa gratiâ Dei, quasi ex principio removente obstaculum; atque adeò quòd gratia detur, nullô modô pendet ex libero arb. etiam ut à principio removente prohibens, sed à Deo, intendente infundere gratiam, & sic tollente obstacula: Unde liberum arbitrium tollit illa, faciendo opera naturalia ex motione gratię, & ut subordinatum illi: sicut ventus aperit fenestram, quæ est impedimentum ut intret domum. Si quando ergo opera naturalia conducunt ad obtinendam gratiam, vel removenda impedimenta ad illam; talia opera naturalia procedunt ex Deo movente ad gratiam; quod est procedere ex auxilio

su-

supernaturali, à quo sanè procedere quandoque possunt: sicut & imperari in nobis à virtute supernaturali in finem supernaturalem. Vide J. à S. Thom. disp. 20. a. 1. versùs finem.

DUBIUM ULTIMUM

Utrum homo possit certò cognoscere, se habere gratiam?

452 Conclusio: *Nullus viator, citra specialem revelationem, certus esse potest certitudine fidei, Theologica, aut quavis alia infallibili, se habere gratiam; sed morali duntaxàt, non omnem excludente formidinem.* Supponit concl. posse homines per divinam revelationem certò cognoscere, se esse in gratia; quis enim prohibet, Deum id, quibus maluerit, revelare? imò certum est, nonnullis defacto id revelasse; qui proinde firmâ fide credere potuerunt, se justificantem gratiam obtinuisse. Et quoàd 1.p. est fidê certa, utpotè definita in Trident. sess. 6. cap. 9. cont. Lutheranos, & Calvin. dicente: *Cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

453 Constat. insuper ex illo Ecclesiastês 9. *Nescit homo, an amore, vel odio dignus sit*: Ubi est sermo de homine sapiente & justo, præmiserat enim Sapiens; *sunt viri justi & sapientes, &c.* peccator enim certò scire potest, se esse in peccato. Ex illo etiam 1. Cor. 4. *Nihil enim mihi conscius sum*, ideſt, *non habeo conscientiam peccati* (glossat D. Th. hîc) *sed non in hoc justificatus sum.* Ideſt (prosequitur S. Doctor) *non sufficit ad hoc, ut me justum pronuntiem; quia possunt aliqua peccata me latere, secundum illud Psal. 8. Delicta quis intelligit?* Sunt & innumera alia Scrip. test. quorum aliqua adducit Medina hîc a. 5. concl. 2. Quibus accedit communis PP. & Theol. consensus. *Accedit* demùm ratio Theologica: Certitudinê quippè fidei solùm creduntur, quæ sunt formâ-

maliter revelata; at, quamvis revelatum sit, Deum pârcerè verè pœnitentibus, nullibi tamen revelatum est, quòd hic, vel ille, verè & syncêrè pœnituerit, & quòd minister habuerit intentionem ipsum absolvendi: ergo.

454 Quoàd 2. p. est com. cont. Cather. in opusc. de certitudine gratiæ, docentem, posse aliquem fide divinâ (non quidem catholicâ, sed particulari) cognoscere se esse in gratia: asserit tamen, cognitionem illam fidei, non inniti immediatè revelationi divinę, sed mediô discursu Theologicô ex una præmissa de fide, & alterâ lumine naturali notâ. Hoc autem paradoxon esse, quis non videat? Cognitio enim fidei, etiam privata, non discursui, sed soli revelationi innititur: confundit igitur cognitionem fidei cum theologica. Prob. deinde hæc p. & rejicitur opinatio Cather. *Tum*, quia adversatur Scrip. testimoniis suprà laudatis, & etiam Tridentino, definienti, ubi suprà, neminem posse esse certum de sua gratia certitudine infallibili, cui non possit subesse falsum. Et ut appositè notat Vazquez, neque hæretici, quos directè anathematizat Concilium, dicebant, certitudinem illam pertinêre ad fidem Catholicam, sed ad fidem peculiaris promissionis: damnat igitur eos qui dixerint, fide divinâ (seu catholicâ, seu privatâ) hoc posse cognosci. *Nihil* autem refert, quòd Catherinus, aliique Tridentini PP. (ut ipse refert) laudato decreto (dùm formaretur, & legeretur) ex parte non consenserint: Postquàm enim à majori parte latum, & à Summo Pontifice confirmatum esse, constat; omnes illi ex integro parêre & consentire tenentur.

455 Rejicitur præt. sent. Cath. evidenti erat. Quia tanta certitudo illa, nec haberi potest à priori, seu ex causis nostræ justificationis; nec à posteriori, seu ex effectu ejus. Non quidem à priori, nec enim possumus certò cognoscere causam *principalem* gratiæ, scilicèt, voluntatem Dei, nam *quæ sunt Dei nemo novit nisi spiritus Dei*; nec *instrumentalem*, seu sacramenta, quorum efficacia pendet, *tùm* ex intentione ministri, nobis occultâ; *tum* in ferè omnibus, ex illîus charactêre, nobis etiam ignotô, ob incertitudinem intentionis

eum

eum baptizantis, aut initiantis. Nec tandem causam *dispositivam*, utpotè supernaturalem, & ex motivo supernaturali provenientem. *Nec* etiam à posteriori: Nullus enim gratiæ effectus (per se cum illa connexus) est, citra revelationem, certò cognoscibilis: ergo. *Profectò*, nec testimonium conscientię non remordentis est infallibile gratię indicium, ut patet in Davide, & Paulo, proferentibus quę suprà: nec voluntas subeundi martyrium, cùm dentur falsi martyres, ut patet de hęreticis morientibus pro Deo, ut ipsi falsò existimant: ergo.

456 Et hinc constat, nec posibilem esse (citra revelationem) quamlibet aliam certitudinem infallibilem, seu quæ omnem hæsitationem excludat; cujusmodi est, quam habemus de existentia Constantinopoleos, v.g. qui hanc non vidimus; de illa quippè nullus sanę mentis, etsi sponte velit, dubitare potest; quanvis enim non repugnet metaphysicè, incredibile tamen prorsus est, omnes falli, aut fallere velle: talem igitur certitudinem nemo habere potest de sua gratia, quiquid Vega, aliique (quibus vulgò annumeratur Soto, etsi non clarè loquatur) asserant. Id enim repugnare videtur Scripturæ, sæpè docenti, oportêre justos cum timore salutem suam operari, & beatificanti virum, qui semper est pavidus; & item Tridentino, ubi suprà, dicenti: quòd *quilibet, dùm se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & dubitare potest.*

457 Plura nihilominus habere possunt justi signa suę Justitiæ (majora, vel minora, juxta vitæ qualitatem) inducentia consolationem illam, & pacem, totiès in Scripturis commendatam, de quibus eruditissimè pluriès Bern. præcipuè Serm. 2. in Oct. Paschæ, ubi expendens illud 1. Joan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis*, ait: *Testimonia enim gratiæ, sunt hęc tria: operibus spiritualibus exerceri, Lachrymarum fonte sordes peccatorum abluere, & sanguinolento pœnitentiæ martyrio pravas affectiones perimere.* Quibus consonat D. Th. hîc dicens: *Cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua signa: & hoc modo aliquis cogno-*

gno-

gnoscere potest, se habere gratiam, inquantùm percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & inquantùm homo non est sibi alicujus peccati mortalis conscius: secundum quem modum potest intelligi, quod habetur Apoc. 1. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit nisi qui accipit: *Quia scilicèt ille qui accipit per gratiam, per quandam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille qui non accipit. Ista tamen cognitio imperfecta est, &c.* Unde & pax justorum (quamlibèt magna, & omnem exuperans sensum) omnimodam non affert securitatem, nec omnem prorsùs timorem excludit. *Et* hinc Aug. in Soliloq. *Vita hic versatur in periculis, via in exilio, finis in dubio.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

458 Opp. 1. cum Luth. illud Rom.8. *Ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filii Dei sumus.* Illud 1. Cor.2. *Accepimus Spiritum, qui à Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sint nobis.* Illud demùm 2. Cor. ult. *Vosmetipsos tentate si estis in fide... An non cognoscitis vosmetipsos quia Christus Jesus in vobis est, nisi fortè reprobi estis?* Unde & D. Th. hîc ad 2. concedit, quòd habens fidem, certus est, se habere illam: ergo idem de gratia dici potest, nec enim minus occulta est fidei supernaturalitas, quàm gratiæ. R. in his, & similibus test. loqui Paulum, interdùm quidem, de seipso aliisque Apostolis, primitias Spiritûs habentibus, quibus de sua gratia & confirmatione in illa, revellatum est: Aliquando verò de tota Ecclesia, non de singulis fidelibus. *Vel* loqui de scientia (non absolutè, & excludente omnem formidinem) sed ut relûcet in quibusdam effectus & signis magnam probabilitatem facientibus. *Vel* demùm, de certitudine practica, quâ cognoscimus, & gustamus effectus donorum, cum aliqua fiducia obtinendæ salutis, juxta Bern.Ser.1. de Annun.

459 Ad id quod additur ex D.Th. N. cons. ex eodem ibidem,& 1.p.q.87.a.2. ad 1. 1. Cor.13. lect.2. Cùm enim certitudo pertineat ad perfectionem intellectûs, in quo existunt fides, & scientia; ideo quicumque habet scientiam vel fidem, certus est, se habere. Id quod expressè docet Aug.

lib.

lib. 3. de Trinit. c. 1. habent quippè rationem lucis, cujus est, non solùm alia, sed & seipsam manifestare. *Non* est autem similis ratio de gratia, charitate, aliisque perficientibus voluntatem, de cujus perfectione, non est certitudo: adeoquè illius actus, nec certificant directè de objectis, nec reflexè de seipsis: unde quanvis directè amans objectum, reflexè amet, se amare; non tamen certificat de suo amore. *Magnum* tamen est disidium inter Discipulos D. Th. circa qualitatem certitudinis, quâ habens fidem, certus est, se illam habere; ut videre est apud MM. Medinam, Greg. Mart. Serra, & Ferre.

460 Nobis autem maximè arrîdet sententia asserentium, loqui D. Th. de certitudine infallibili & evidenti, proveniente ab ipsa fide; est quippè fides lumen, obscurè quidem ostendens mysteria credita, seipsam tamen evidenter manifestans: Nec opus est à Deo revelari, me fidem habere; cùm *in corde videatur*, & *certissima scientia*, idest, cognitione evidenti, *teneatur*, ut loquitur M. August. lib. 3. de Trinit. cap. 1. Nec incônvenit, ab eodem lumine fidei provenire cognitionem creditorum *obscuram*, & ipsius luminis *evidentem*: sicut nec ab eadem opinione cognitionem *probabilem* rei opinatæ, & *evidentem* ipsiusmet opinionis. Et inferiùs suô locô dicemus, judicium *evidens* credibilitatis mysteriorum (piam regulans affectionem) elici ab ipsa fide, à qua est *obscura* eorundem cognitio.

461 Opp. 2. Baptizans infantem, potest infallibiliter cognoscere, illum suscipere gratiam; potest enim evidenter cognoscere sua [illegible]ntionem, nullô insuper eget charactêre, sicut nec i[illegible] dispositione: ergo. *Præt.* Potest quis certò infallibiliter cognoscere, se accedere ad Sacramentum pœnitentiæ cum dolore ob pœnas inferni: ergo, & quòd gratiam recipiat dùm absolvitur. *Ad* 1. N. cons. tunc enim infans non cognoscit, se gratiam habere. *Ad* 2. N. cons. non enim quælibet attritio cognita, est sufficiens dispositio; sed, quæ firmum & stabile includat propositum de cętero non peccandi: nullus autem scire potest, tale esse

pro-

propositum sicut oportet ad fructum Sacramenti. Ac de 3. tract. hactenùs.

TRACTATUS IV.

DE PRIMO GRATIÆ HABITUALIS effectu, seu de Justificatione impii.

Ad q. 113.

462 ABSOLVIT Ang. Doct. Tract. de gratia differens de illius effectibus. Et primò de Justificatione impii, quæ est effectus gratiæ operantis. Cujus consideratio celeberrima evasit in Scholis, post exortam Lutheranorum hæresim, cujus teterrima circa justificationem capita (à D. Th. hîc, & alibi funditùs eversa, ac prędamnata) dearticulatè proscripsit Sacra Trid. Synodus totâ sess. 6. & quidem ipsâ Sanctissimi Præceptoris Doctrinâ, ut ex utriusque Littera, ex Actis, & Historia laudati Concilii (à Card. Palavicini concinnatâ) apertissimè liquet. Id quod Angelicę Doctrinæ plena laus est. Considerat autem Communis Magister decem articulis cuncta ad mirabilem justificationis transmutationem exacta, tùm ex parte utriusque termini, *à quo*, & *ad quem*, tùm ex parte dispositionum: nimirùm, *remissionem culpæ*, *infusionem gratię*, *& motus liberi arbitrii in Deum*, *& in peccatum*. Exâminat deinde prædictorum ordinem adinvicèm. Resolvit demùm in calce quæst. quantum, ac quale sit justificationis opus. Quæ omnia tribus disp. comprehendemus. Sit igitur

*** ***

DIS-

DISPUTATIO I.

De remissione peccati.

463 ANtequàm ad dubia descendamus, nonnulla præfari juvat, quæ, & illarum resolutioni, & dicendis Tractatûs decursû lucem afferant. Supponendum igitur est 1. nomen *Justificatio* multifariàm sumi in Scripturis S. Interdùm significat *pronuntiare justum*, ut in illo Prov. 17. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, uterque est abominabilis apud Deum.* Aliquando accipitur pro *reddere unicuique jus suum*, ut Deuter. 23. & Psal. 81. *Pauperem & inopem justificate.* Nonnunquàm pro *defendere*, ut Job. 9. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.* Usurpatur etiam pro *augmento justitiæ.* Apoc. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Sumitur demùm pro eo quod est ex justo facere justum. Rom. 4. *Credenti autem in eum, qui justificat impium.* Et in hoc sensu loquimur hîc de *justificatione*, sumptâ denominatione à termino ad *quem*, scilicèt, à *justitia*, non quidem commutativâ, distributivâ, legali, aut politicâ; sed quę importat perfectam hominis rectitudinem, à qua nimirùm, dicitur *Justus* qui in gratia constitutus est. Quæ quidem dupliciter fieri potest; vel per simplicem generationem, quæ est à privatione ad formam (ut côntigit in Angelis, & Adam) vel per motum à contrario in contrarium, ut in justificatione impii, de qua est hîc sermo.

464 Supp. 2. est, rectissimè hîc, & sępè aliàs, dixisse D. Th. *Justificationem esse effectum gratiæ operantis*, quidquid Vazquez aliique aûtument: Illam quippè Deus in nobis sine nobis operatur; quia illam efficienter adæquatè causat, sicut formaliter adæquatè causatur à gratia: Actus igitur contritionis, quantunvis ad gratiam disponat, nec huic, nec Deo cooperatur in ordine ad justificationem: etenim ut

duæ cauſæ cooperari dicantur ad aliquem effectum, debent operari in eodem genere cauſæ: Ideoque meritum eſt effectus gratiæ cooperantis, quia nempè, ad illud concurrit gratia ſimul cum voluntate in eodem genere cauſæ efficientis.

465 Supp. eſt 3. peccatum quod juſtificationê deletur, non eſſe *actuale* (nam iſtud non dicitur propriè *remitti*, ſed *ceſſare* tranſeunte actû) ſed eſſe effectum, ſeu maculam ex actuali relictam, quam *peccatum habituale* jurè vocare poſſumus, quidquid dicat Mag. Ferre: Sic enim communiter jam audit, & loquendum eſt cum pluribus; nec de nomine diſceptandum, cùm idem prorsùs nunc intelligatur complexô illô, quod olim nomine *macula*. *Supp.* eſt. 4. quòd *macula* (ſeu peccatum habituale) *non eſt aliquid poſitivè in anima, nec ſignificat privationem ſolam, ſed privationem quandam nitoris animæ in ordine ad ſuam cauſam, quæ eſt peccatum*, ut loquitur D.Th. ſuprà q. 86.a.1. ad 3. *Et* hinc ſartę tectæ manent *diſtinctio*, *inæqualitas*, & *multiplicatio* maculârum, ſeu peccatorum habitualium; nam licèt hæc privationi ſecundum ſe conſideratę non conveniant, competunt tamen illi in ordine ad ſuam cauſam conſideratæ; unde & penes hunc ordinem penſanda eſt gravitas maculæ, ſecùs penes augmentum gratiæ accidentale.

466 Supp. eſt. 5. quòd peccatum hominis conditi in puris naturalibus, non conſiſteret in privatione gratię; ſed in privatione cujuſdam nitoris, provenientis ex refulgentia luminis naturalis rationis. Sic D. Th. ſuprà q. 86. a. 1. *Vel* dici poteſt, ex eodem S. Doctore, quòd conſiſteret in privatione gratię; quia homo privaretur per illud gratiâ, quantùm eſt ex ipſa intrinſeca ratione peccati, licèt defacto, & quaſi per accidens ratione ſtatûs, illâ non privaretur, ſed præfatô nitôre. *Macula* autem venialis conſiſtit in privatione fervôris actûs charitatis, quem habitus charitatis & gratiæ derivare poſſent in actum honeſtum, ſive à charitate elicitum, ſive ab alia virtute: Unde & per fervorem ſupervenientem actûs charitatis remittitur, juxta D. Th. 3. p. q. 87. a.2. ad 3. Vide dicta to.2. à n.960. circa formale conſti-

stitutivum peccati originalis; eadem enim est utrobique difficultas, cùm peccatum originis etiam sit habituale. Quapropter, nè acta agamus, & tomus iste nimis excrescat, dicta sufficiant. His igitur prælibatis, sit

DUBIUM I.

Utrum in justificatione impii sic remittantur peccata, ut penitùs auferantur, & radicitùs evellantur?

467 TRia sunt præcipua Lutheranorum, & Calvinist. perversa dogmata circa impii justificationem, ut (inter alios) observat Dominicus Sotus lib. 2. de nat. & grat. c. 19. *Primum*, peccata in justificatione non ita remitti, ut tollantur; sed quòd à Deo non imputentur. *Secundum*, justificationem non fieri per formam nobis inhærentem, sed per solam justitiam Christi nobis extrinsecùs imputatam. *Tertium*, dispositionem ad justificationem ex parte nostri, esse solam fidem, seu fiduciam, quâ certò credimus, imputari nobis justitiam Christi, & quâ, veluti manû, talem justitiam trahimus ad nos, eamque nostram facimus. *Hæc* omnia, aliaque inde pullulantia, ubertissimè præfocaverat Ang. D. in præsenti, adeòque feliciter, ut, vel unô ictu (in ipso primo art.) cuncta funditùs verterit, apertissimè ostendens, justificationem esse *transmutationem hominis de statu injustitiæ ad statum justitiæ per veram peccatorum remissionem*. Illa deinceps sigillatim refellit. Rejiciamus igitur nunc primum errorem, reliquos ordinatè in sequentibus eversuri.

468 Concl. est affirm. & fidê certa, diffinita in Trid. sess. 5. can. ult. per hæc verba: *Si quis per Jesu-Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema sit.* Eadem autem

est ratio de peccato actuali lethali, ut vel ipsi hæretici fatentur : Imò, idcircò Con. de *originali* expresè loquitur, quia de isto potissimùm contendebant illi, non tolli revera per baptismum, sed veluti *radi*, ac *tegi*, sive *non imputari* ; & deinde eundem errorem ad *actualia* extenderunt, ut locô laudatô notat Sotus.

469 Prob. concl. apertissimis Scrip. test. quibus peccata *tolli, deleri, remitti, in profundũ maris projici, disrumpi, exhauriri*; ipsique peccatores *mundari, ablui, lavari*, ac *dealbari dicuntur*. Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*. Psal. 50. *Dele iniquitatem meam*. Psal. 115. *Dirupisti vincula mea*. Isaiæ 1. *Si fuerint peccata tua sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Mich. 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata vestra*. Joan. 1. *Ecce qui tollit peccata mundi*. 1. Cor 6. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis*, Hebr. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Sed hæc omnia verificari non possent (sed ineptissimè dicerentur) si peccata verè non tollerentur, sed solùm tegerentur, &c. ergo. Unde Aug. lib. 1. cont. duas epist. Pelagian. c. 13. *Dicimus baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, neque radices peccatorum in mala carne teneri, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata*. Hinc videas, perantiquum esse errorem istum, id quod testantur Epiph. hære. 54. & Theod. lib. 4. hæretic. fabul. *Accedit* consensus PP. quorum test. longum esset recensere, viderique possunt apud Bellar. l. 2. de justif. c. 8.

470 Prob. demùm concl. rat. *Tum*, quia aliàs homo simul esset *justus*, & *injustus*, cùm peccatum verè permanens (quantunvis tectum) sit essentialiter *injustitia*. *Tum*, quia Deus reipsâ amaret impios & peccatores, quos odio prosequi, passim ipse testatur. *Tum*, quia non esset in Ecclesia vera & realis peccatorum remissio, sed impropria, & fictitia, contra illum Symboli articulum : *Credo peccatorum remissionem*, & illud Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. *Tum*, quia Sacramenta novæ legis non propriè auferrent peccata, contra apertissima Scrip. oracula.

Tum

Tum, quia si peccata remanerent; vel esset, quia Deus non posset illa delêre, vel quia nollet; quorum primum repugnat ipsius Omnipotentiæ (& aliàs in Patria remanerent, contra illud Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*) Secundum verò repugnat illius misericordiæ, & planè derogat passioni, merito, & satisfactioni Christi, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris. *Demùm*, quia si tantùm tegerentur peccata, esset (ut ipsi fabulantur) ut non appareant in conspectu Dei, quò nihil stultitius dici potest: quomodò enim possent non apparêre in conspectu Dei, cujus oculis etiam occultissima sunt nuda & aperta? ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

471 Opp. 1. illud Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Illud Psal. 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, & operuisti omnia peccata eorum.* Illud demùm 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*: ergo peccata in justificatione operiuntur, & teguntur, non delentur. *N.* conf. Cùm enim nihil sit opertum & occultum oculis Dei, idem prorsùs est, peccata nostra esse *tecta* & *operta* apud Deum, ac esse penitùs *deleta* & *ablata*. Unde August. Ser. 2. in Psal. 31. *Cooperta sunt peccata, & tecta sunt, abolita sunt.* Et paulò infrà. *Nec sic intelligatis* (inquit) *peccata cooperta esse, quasi ibi sint, & vivant... Medicus tegit & curat.* Hinc etiam D. Th. in 4. d. 22. q. 1. a. 1. ad 2. *Charitas* (inquit) *dicitur operire peccata Deo, qui omnia videt; unde oportet, quòd ea destruat.*

472 Opp. 2. Illud Isaiæ 64. *Facti sumus immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ justitiæ nostræ. Præt.* Paulus justificatus scribit ad Rom. 7. *Jam non Operor illud, sed quod manet in me peccatum*: ergo. *Præt.* Dominus Matth. 18. à servo denuò peccante exigit omne debitum, quod ei anteà dimiserat: ergo non erat ablatum. *Ad* 1. R. quòd Propheta invehitur in populum sceleratissimum, de quo subdit: *Non est qui invocet nomen tuum*, & loquitur morè Prædicatorum, ità populi mores reprehendentium, ac si nullus

in

in eo probus esset. Sic & ipse Isaias alibi dicebat : *A planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas in eo.* Sic & Paulus ad Philip. 2. *Omnes quę sua sunt quærunt, non quæ Jesu-Christi.* Vide Medinam suprà q. 18. a. 1. §. *Ad testimonium Scrip.* Mitto, quòd ibi non est sermo de justitia remittente peccata, sed de opere justitiæ, quod multipliciter inquinari potest, ut exponit ibi D. Th. *Ad* 2. R. loqui Apost. de concupiscentia, quam *peccatum* vocat, non quia tale sit, sed quia *ex peccato est, & ad peccatum inclinat*, ut, post Aug. loquitur Trid. sess. 5. can. 5. Vide to. 2. n. 977. *Ad ult.* R. sensum esse, non quòd peccata remissa non fuerint verè deleta, aut reviviscant; sed quòd occasionem & materiam præstant, ut ingratitudo superveniens gravior censeatur.

473 Opp. tandem : Peccata post justificationem possunt iterùm submitti clavibus : ergo adhuc subsistunt; quod enim non est, non potest esse materia absolutionis. *N.* cons. Tunc enim non submittuntur clavibus ut deleantur simpliciter; sed ut quasi informata novô dolore, novum gratiæ augmentum recipiat pœnitens ratione Sacramenti: Dicit quidem Minister : *Absolvo te à peccatis tuis*, sed verba ista æquivalent sequentibus : Confero tibi gratiam *remissivam peccati*, non autem *remittentem* peccatum aliàs ablatum.

DUBIUM II.

Utrum Remissio peccati sit mutatio realiter distincta ab infusione gratiæ, & justificatione?

474 COncl. est affirm. frequentior cont. Cajet. hîc a. 3. & expressa D. Th. q. 28. de verit. a. 1. & 6. & idem confirmat hîc a. 6. ad 2. apertè docens, differe *infusionem gratię*, & *remissionem culpę*, sicut differunt in naturalibus *generatio*, & *corruptio*, quas certum est, esse distinctas realiter mutationes, quamvis sint idem realiter motus seu

a-

actio. Id quod de *infusione gratiæ*, & *culpę remissione* ex professo docet laudatâ q. de verit. eadem igitur est utrobique doctrina; quam in concl. defendimus. Et prob. rat. D. Th. Omnis motus versatus inter terminos positivos, secum fert duplicem realiter mutationem; ut patet in motu calefactionis, quô movetur aqua de frigida in calidam, mutatur enim aqua de non calida in calidam, & de frigida in non frigidam; sed impii justificatio est motus versatus inter terminos positivos, ut ex D. Th. vidimus suprà n. 463. ergo includit duplicem realiter mutationem, *infusionem*, scilicèt, *gratiæ*, & *culpę remissionem*, quarum primâ mutatur peccator de non justo in justum, aliâ verò, de peccatore in non peccatorem.

475 Confir. Justificatio, ut mutatio, est transitus de non esse justitię ad esse justitiæ; remissio autem culpæ, est transitus de esse peccati ad non esse peccati; sed prima reperiri potest sine secunda, ut patet in justificatione Angelorum, & Beatissimæ Deiparæ, ac in primâ Prothoparentis: ergo una non est realiter alia, quanvis in justificatione impii concomitanter se habeant; suppositô enim peccatô, justificatio infallibiliter infert (saltèm ex natura rei) remissionem peccati; & hæc vicissim stare non potest absque justificatione, seu infusione gratiæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

476 Opp. Ubi non est aliqua forma corrumpenda, sed pura privatio tollenda, non est duplex, sed unica mutatio; sed ex peccato nulla relinquitur forma, per infusionem gratiæ corrumpenda, sed sola maculæ privatio, per illam tollenda: ergo non datur mutatio corruptiva, sed solùm productiva, quæ est infusio gratiæ. *Conf.* In justificatione Angeli nulla fuit mutatio corruptiva, quia nulla erat forma corrumpenda, sed sola privatio gratiæ; sed hæc sola intêrvenit in justificatione impii, nã in illa consistit macula tollenda: ergo. *N.* min. quia ut ait D. Th. q. 28. de verit. a. 6. *Culpa aliquid ponit, & non solùm absentiam gratiæ; absentia enim gratię secundum se considerata, habet tantùm rationem pœnę, non autem rationem culpæ, nisi secundum quòd relinqui-*

quitur ex actu voluntatis præcedentis : ſicut tenebræ non habent rationem umbræ, niſi ſecundum quòd relinquitur ex interpoſitione corporis opaci.

477 Ex quibus infert, quòd *remiſsio culpæ importat, non ſolùm ablationem abſentiæ gratiæ, ſed ablationem impedimenti gratiæ, quod erat ex actu peccati precedenti ; non ut actus ille non fuerit, quia hoc impoſsibile eſt, ſed ut propter illum influxus gratiæ non impediatur. Patet igitur quòd infuſio gratiæ & remiſsio culpæ non ſunt idem ſecundum rem.* Unde privatio gratiæ non conſtituit maculam abſque connotatione actûs mali, vî cujus redditur terminus poſitivus. *Ad* conf.N. Min. nam terminus *à quo* in juſtificatione impii, eſt privatio gratiæ, ut relicta ex actu peccati, & ſubinde, ut connotans vel involvens aliquid poſitivum, per quod gratia ipſa impeditur : In juſtificatione autem Angeli, terminus *à quo* fuit mera privatio, nihil poſitivum connotans.

478 Hinc tamen non inferas, hujuſmodi juſtificationes ſpecificè differre ; utraque enim reſpicit eundem terminum *ad quem*, gratiam, ſcilicèt, remiſsivam peccati, quantumvis illud in Agelo per accidens (& quia non ſupponitur) non remittat. Et quanvis diverſitas termini *à quo* refundat interdum diverſitatem formalem in terminum *ad quem*, ut videre eſt in aſcenſu & deſcenſu, ad idem punctum terminatis: Non tamen in juſtificatione impii, & non impii, quia omninò per accidens ſe habet ad gratiam & ad actionem illius productivam, quòd in ſubjecto ſupponatur, vel non ſupponatur peccatum. Et hinc corruit fundamentum oppoſitæ ſententiæ. *Si* autem inquiras, quomodò verificetur doctrina D. Th. hîc a.1. aſſerentis, in juſtificatione *non impii* (v.g. Adę, & Angelorum) juſtitiam, ſeu gratiam fieri per motum ſimplicis generationis, qui eſt ex privatione ad formam, cùm nulla in illis (utpotè in gratia conditis) præceſſerit privatio aut negatio gratiæ ? *R.* juſtificatos fuiſſe ex privatione, nó quæ de facto præceſſerit ſed quæ præceſsiſſet, ſi ab ea non fuiſſent præſervati per infuſionem gratiæ.

☞ (***) ☜

DIS-

DISPUTATIO II.

De forma Justificante.

DUBIUM I.

Utrum homines justificentur per formam ipsis intrinsecè inhærentem?

479 CONcl. est affirm. & fidê certa cont. secundum Lutheranorum errorem n. 467. relatum, quem his verbis proscribit Trident. sess. 6. cap. 7. *Unica formalis causa* (justificationis impii) *est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicèt ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam.* Et iterum can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantùm favorem Dei; anathema sit.*

480 Constat insuper concl. apertissimis Script. test. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c.* & v. 17. *Abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ accipientes.* Secundæ Pet. 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Et 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus*: *Accedit* consensus omnium PP. Latinorum, & Græcorum. Unus pro omnibus audiatur Aug. de Sp. & lit. c. 9. 11. 18. & 21. elucidans illud Rom. 3. *Justia Dei manifestata est: Justitia Dei* (inquit) *non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cùm justificat impium.* Et in Psal. 30.

sic

sic inquit : *Cùm justus fuero, tua justitia est : Sed sic mea, ut tua fit, ideſt, à te donata.* Et iterum : *Quid est justitia Dei? Quid est justitia hominis? Justitia Dei est, non qua Deus justus, sed quam Deus impartitur, ut homo justus sit.* Concinunt universi Scholastici, quorum Princeps Ang. Doct. sic concludit hîc a. 2. *Et ideo non posset intelligi remissio culpę, si non adesset infusio gratiæ.*

481 Prob. demùm concl. rat. D.Th. a. 2. In justificatione remittuntur peccata, quatenùs Deus nobis pacatur, quæ pax consistit in dilectione, quâ Deus diligit nos; sed effectus divinæ dilectionis in nobis, est gratia, quâ homo fit dignus vitâ æternâ, a qua peccatum mortale excludit : ergo non remittitur nobis peccatum, nec justificamur, absque gratiæ infusione. *Præt.* Ex peccato & inobedientia Adæ (cui Apost. Rom. 5. comparat justitiam & obedientiam Christi) transfunditur in posteros peccatum inhęrens unicuique proprium : ergo ex Christi justitia derivatur in nos (dum justificamur) justitia nobis intrinsecè inhęrens. *Præt.* Quia filiatio adoptiva Dei, quam justificatione assequimur, fit per aliquam formam intrinsecam, ut docet D. Th. 3. p. q. 23. a. 1. *Tandem* : Nec albedo facit album, nec sapientia sapientem, nec vita vivum, nisi inhæreant subjecto : ergo nec justitia justum. *Notanda* est hîc inconstantia Calvini, qui Dogmati Catholico (quod petulãtissimè alibi impetit) apertè subscribit lib. de vera rat. reformandæ Ecclesiæ, initiô, per hæc verba : *Nunquàm reconciliamur Deo, quin simul donemur inhęrenti gratia.* Vide M. Sotũ lib. 2. de nat. & grat. cap. 19. & 20. Andr. Vega lib. 15. & M. Medinam hîc.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

482 Opp. 1. Christus est nostra justitia, quâ justi sumus coram Deo, juxta illud 1. Cor. 1. *Qui factus est nobis justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Et illud Rom. 5. *Per obedientiam unius* (scilicet Christi) *justi constituuntur multi.* *Præt.* Justitię Christi derogatur, si, prętер illam, aliam in singulis requiramus. *Ad* 1. R. test. illa, & similia, non esse intelligenda in sensu formali, sed causali : sicut cùm ibi-

dem

dem dicitur, Christum factum esse nobis sapientiam; & ipsemet Dominus dixit Joan. 11. *Ego sum resurrectio, & vita.* A justitia igitur Christi justificamur *effectivè*, & *meritoriè*, quatenùs, scilicèt, justitia nobis inhærens (& quâ justi *formaliter* sumus) à justitia Christi descendit, & ejus meritô nobis donatur. Dú ergo dicút PP. *nos esse justos justitia Christi*, ly *Christi* non designat *subjectum*, sed *causam effectivam*: Quemadmodùm dum dicimur peccatores *peccato Adæ*, sensus est, peccatô nobis intrinsecô, causatô tamen ab illo. *Ad* 2. N. ant. Quin potiùs magis relucet ejus dignitas, si virtutê illius communicetur nobis justitia inhærens, quâ formaliter justificemur; ut docet Trid. sess. 6. can. ult. anathematê percutiens oppositum dicentes.

483 Opp. 2. illud Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Et illud: *Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*: ergo justitia nostra non est propria, sed imputata. *Præt.* Psal. 142. dicitur. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, & Job 9. *Scio quòd non justificetur homo compositus Deo*; hæc autem essent falsa, si homo haberet justitiam sibi intrinsecam: ergo. *Tandem* Rom. 10. ait Apost. *Ignorantes justitiam Dei, & suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Quibus justitiam nobis intrinsecam damnare videtur: ergo. *Ad* 1. R. Apost. non excludere justitiam nobis intrinsecam, sed errorem existimantium, meritô observatæ legis se venisse in Evangelii gratiam. *Ad* 2. sensum esse, quòd omnis nostra justitia comparata ad divinam, pro nihilo habetur. *Vel*, quòd homo ex his quæ facit propriis arbitrii viribus, non justificabitur coram Domino; verè tamen justificatur coram illo ex his quę in eo, & per eum operatur Spiritus S. per dona divinitùs infusa. *Alias* hujus loci catholicas expositiones videsis apud Medinam suprà q. 18. a. 1. ad 4. *Ad* ult. R. Apost. non rejicere justitiam internam meritis Christi comparatam, sed invehi in existimantes, se justificari per observantiam legis naturæ, & Mosaycæ.

484 Opp. ult. Satisfacimus per satisfactionem in Christo existentem, & nobis moraliter applicatam: ergo & justi-

ſtificamur per juſtitiam in Chriſto exiſtentem, nobiſcum mediâ fide conjunctam. *Præt.* Et eſt replica cont. ſol. 1. Chriſtis æquè dicitur ab Apoſt. factus nobis *redemptio*, ac *juſtitia*; ſed dicimur & ſumus formaliter *redempti* per ipſam Chriſti redemptionem, & non per aliquid nobis inhærens: ergo pariter. *Ad* 1. R. diſp. eſſe, quia *ſatisfactio* ex genere ſuo eſt quid morale, adeoque poteſt moraliter applicari ei cũ quo ſatisfaciẽs eſt moraliter unîtus; & conſequenter poteſt unus pro altero ſatisfacere: *Juſtificatio* verò ex genere ſuo eſt quid phyſicum, importans (inter alia) principia phyſica operationum ſupernaturalium, quibus Deo conjungimur; adeoque nequit unus alterius juſtitiâ formaliter ſanctificari. *Profectò* manus ſatisfacere poteſt pro delicto linguâ comiſsô, quin poſsit eſſe formaliter calida per calorem in lingua exiſtentem. Vide Salmant. hîc n. 42. *Ad* 2. R. diſp. eſſe, quia *redimi* eſt in nobis denominatio extrinſeca; *juſtificari* verò, intrinſeca; eſt enim renovatio interior hominis, quâ illi donatur fructus redemptionis per Chriſtum factæ: Quemadmodùm, creaturam eſſe productam, denominatio extrinſeca eſt; ſed illam exiſtere, denominatio intrinſeca eſt, ſumpta ab ejus exiſtentia.

485 Ex dictis inferes cont. Scotiſt. Nomin. & quoſdam Societ. gratiam habitualem, ab intrinſeco & ex natura ſua eſſe formam adæquatè juſtificantem; adeoquè nullô (præter illam) opus eſſe favore extrinſecô Dei, quô peccati condonetur offenſa. *Primum* conſtat, *tum* quia aliàs gratia non verè diceretur *cauſa formalis* juſtificationis, effectus quippè cauſæ formalis, ab intrinſeco connectitur cum illa; imò eſt ipſa forma, ut communicata ſubjecto. *Tum*, quia lux ab intrinſeco expellit tenebras, & qnævis forma poſitiva, privationem ſibi oppoſitam: ergo & gratia peccatum; & quidem adæquatè, cùm tollat *totum id quod veram & propriam peccati rationem habet*, ut diffinit Trid. ſeſſ. 5. can. 5. gratia igitur ab intrinſeco expellit & deformitatem maculæ, & rationem injuriæ, ſeu offenſæ.

486 Et hinc evidenter infertur (quidquid opinetur Suarez) nullum ultrà deſiderari extrinſecum Dei favorem

ad

ad offensæ condonationem. *Et* sanè aliàs non esset unica causa formalis justificationis, sed duplex, nempè, justitia inhærens, & favor ille extrinsecus. Unde Vazquez hîc disp. 102. c. 2. in illam sent. sic acriter invehitur: *Recentiores Theologos multò magis miratus sum, qui, post præclaram Concilii Trident. definitionem, tàm exilem justitiam inhærentem justis concesserunt, ut ex se non habeat virtutem tergendi maculas, neque eas purgare valeat, nisi favore & condonatione Dei relaxentur: si enim eorum sententia rectè expendatur, veram rationem justitiæ inhærentis è medio tollere videntur, quam Patres Tridentini pro viribus astruere & defendere moliti sunt.*

487 Nec fundamenta Suarez alicujus sunt momenti. Ducitur 1. quia, juxta Concilium, *justificatio non est sola peccatorum remissio*: ergo includit favorem extrinsecæ condonationis. Deindè: Quia licèt privatio physica gratiæ, formaliter & immediatè tollatur per oppositam formam physicam; moralitas tamen offensæ, per quid morale tollenda immediatè est; quippè immediatè opposita, ad eundem ordinem pertinêre debent; illud autem morale nihil aliud esse potest, nisi extrinseca Dei condonatio. *Postremò.* Quia gratia inhærens, non est ab intrinseco incompatibilis cum peccato: ergo. *Ad* 1. N. cons. Concilium enim jam exprimit quid (præter peccati remissionem) sit justificatio, dicens: *Sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis. Ad* 2. N. min. Sicut enim *macula* importat & privationem physicam gratiæ, & moralitatem offensæ; sic *gratia inhærens* est simul forma physica, & moralis, immediatè & formaliter expellens utrumque, nimirùm, & physicam sui privationem, & moralem offensam, quatenùs animam reddit amicam Dei, cui inimica erat per offensam. *Ad* ult. N. ant, de quo infrà

DU-

DUBIUM II.

Utrum de potentia absoluta possit peccatum remitti per solam extrinsecam condonationem, & absque aliquo dono intrinseco?

488 Concl. est neg. & comm. Thomist. si Nuñum excipias, quibus aliqui Societ. adhærent; aliquale tamen superest inter eos dissidium circa qualitatem doni extra elevationis statum: est autem contra D. Bonav. Durand. Scotist. Nominales, Suarez, aliosque, quorum aliqui (ut Scotus & Suarez) asserunt, remitti posse divinitùs peccatum per solam hujus non imputationem, & absque ulla gratia extrinseca, seu acceptatione ad Dei amicitiam. Alii verò hanc prorsùs necessariâ judicant. Concl. est expressa D.Th. hîc a. 2. in corp. & ad 2. verbis suprà n. 478. laudatis, quibus rectè perpensis, omnes evasiones (illis adhiberi solitæ) penitùs evanescunt. Ait enim, quòd *non posset intelligi* (quod omnimodam innuit impossibilitatem) *remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ*; quæ sanè neutiquàm adesset, si solùm adesset extrinseca Dei benevolentia. Vide M. Ferre hîc q. 5. §. 1. n. 883.

489 Prob. deinde rat. efficaci. Repugnat peccatum remitti per actum divinæ voluntatis nullum in nos diffundentem intrinsecum donum: ergo & per meram condonationem extrinsecam, quę sanè aliter fieri non posset. Prob. ant. Repugnat peccatum remitti per actum compossibilem cum peccato; sed actus nullum derîvans intrinsecum donum, adeoque nec gratiam, est planè compatibilis cum gratiæ privatione, ex peccato actuali relictâ (in qua peccatum remittendum consistit): ergo. *Præt.* Actus quô Deus velit remittere peccatum, si nihil intrinsecum derîvet, ad summum redderet Deum *non offensum* homini, vel non imputantem illi peccatum; relinqueret tamen hominē, quantùm in ipso est, & quoàd intrinseca, sicut antea: ergo

go ad summum tegeret hominis peccata, non verè remitteret. *Prob.* 2. rat. inductâ suprà n. 479. *Demùm* rat. D. Th. hîc a. 2. Nequit offensa peccati remitti, nisi Deus nobis pacetur; sed Deum pacari nobis, nihil est aliud, quàm diligere nos, non qualicunque dilectione, sed eâ cujus effectus est, qui tollitur per peccatum, scilicèt gratia: ergo nisi hanc infundat, nec nobis pacatur, nec offensa remittitur.

490 Hinc constat, per solam extrinsecam condonationem remitti non posse peccatum, ne imperfectè quidem, seu incompletè, idest, in ratione *solius maculæ*, aut *solius offensæ*: Nam primum ostensum est primâ rat. secundum verò, hâc ultimâ D. Th. Quod iterum ostenditur: *Macula* enim, cùm sit privatio gratiæ, neutiquàm absque hujus infusione tolli potest, ut ex terminis liquet. Deinde nec *offensa*, absque speciali amore illativô gratię. *Nota* tamen hîc, unionem hypostaticam, & visionem beatificam, (quia ab intrinseco sunt incòposibiles cum peccato) esse formas justificantes independenter à gratia habituali, quâ eminentiores utiquè sunt; justificatio tamen impii, si per illas fieret, non fieret per solam extrinsecam condonationem, ut patet. Hinc etiam habes, ad remissionem peccati hominis conditi in puris naturalibus, sufficere formam naturalem (nitôrem, scilicêt, seu bonum proveniens à lumine naturalis rationis) quia nimirùm, in sola illius privatione consisteret, ut colligitur ex D. Th. suprà q. 86. a. 1. & 2. & ita tenent Serra hîc, dub. 3. ad 5. vocans id *communius* & *probabilius*, Gonet. & alii quibus subscribit in MS. Anteceſſor & M. meus Joannes B. Escuder.

SOLVUNTUR ARGUMENTA,

491 Opp. 1. Potest homo transire de justo in non justum absque lapsu in peccatum, Deô (pro suo libito) auferente ab illo gratiam: ergo & poterit transire de peccatore in non peccatorem, seu *justificari*, absque infusione gratiæ. *Præt.* Aliud est *non esse peccatorem*, & aliud, *esse justum* & Deo gratum; imò denominationes istæ separabiles sunt, ut patet in homine non elevato, nec in peccatum lapso, & in

Pro-

Protoparente, antequàm gratiam reciperet. *Ad* 1. R. disp. esse, quia gratia intrinsecè justificans conservatur à Deo; secùs peccatum: adeoquè illa per suspensionem divini concursùs tolli potest; istud autem, per solam formæ incompossibilis (seu gratiæ) introductionem: sicut & tenebræ, per solius lucis adventum; quia nempè, non terminant divinam causalitatem. *Ad* 2. R. ant. esse verum absolutè, & ex terminis; secùs in homine elevato, sed lapsô, qui à peccato nundandus sit.

492 Opp. 2. Potest Deus per solam extrinsecam condonationem remittere *offensam* sibi irrogatam, quìdquid sit de *macula*: *Tum*, quia sic potest homo sibi illatam remittere. *Tum*, quia offensa intelligitur remissa eô ipsô, quòd Deus velit non esse homini infensus, quæ sanè volitio extrinseca homini est. *Præt.* Si Deus peccatorem anihilaret, & iterùm reproduceret sine gratia, absque hujus infusione remitteretur peccatum, aliàs istud Deo, hominem reproducenti, tribuendum foret: ergo. *Ad* 1. N. ant. ad 1. prob. R. disp. esse, quia offensa homini illata, cùm maneat solùm in obligatione satisfaciendi, destrui potest per juris cessionem. Offensa autem contra Deum, in *macula* habitualiter perseverans, per solam formam hujus destructivam auferri valet.

493 *Ad* 2. prob. R. volitionem illam, esse quidem homini extrinsecam; inferre tamen intrinsecam illius mutationem, & renovationem per gratiam quam talis volitio infallibiliter & necessariò infundit. *Ad* 2. N. ant. Tunc enim non remitteretur homini peccatum, sed desineret esse, ad destructionem illius: adeoquè priùs homo desineret esse, quàm peccatum. Istud autem tunc solùm remittitur homini, cùm, istô permanente, deletur: Sicut tunc solùm sanatur, dum, illô vivente, morbus aufertur. Et hęc solutio, cùm non minus evidens, quàm communis sit, mirum est, quòd Patribus Salm. displicuerit, contendentibus, hominem illum, sub peccato tunc reproducendum, quin Deo peccati reproductio adscribenda foret, resultante nimirùm peccatô ex entitate hominis reproductâ, & ante anihi-

hilationem infectâ : quemadmodùm (inquiunt) peccatum originale non producitur à Deo creante animam illud contrahentem. *Sed hæc* suâ sponte corruunt: Quia nulla alia causa, præter Deum, assignabilis foret reproductionis peccati; nec enim esset homo, quatenùs ex nihilo factus, ut patet; nec quà priùs infectus, quia proùt sic, non est terminus *à quo* reproductionis, hęc enim foret vera creatio ex nihilo. Anima autem à solo Deo creata contrahit originale peccatum, interventû alterius causæ, quam to. præced. assignavimus à n.936.

494 Opp. 3. Peccatum veniale remitti valet per solam extrinsecam condonationem: ergo & mortale; utrumque enim maculam & offensam importat, licèt inæqualem. Prob. ant. Gratia enim & charitas, earumque nitor aut intensio, sunt planè compossibiles cum veniali peccato: ergo. *N.* ant. ad prob. N. cons. Restat enim modus quidam cum peccato veniali incompossibilis, hujusqne (seorsim à mortalibus) remissivus, nimirùm, vel fervor charitatis actualis, vel extensiva gratiæ pulchritudo, juxta dicta n.464. *Et* quidem argum. probat defacto. Quod inconveniens videtur, postquàm Trident. diffiniit, remissionem peccatorum fieri per interiorem hominis renovationem: Ideoquè P. Vazquez disp.207. c.4. miratur, nonnullos RR. adhùc docêre, remitti venialia per extrinsecam condonationem.

495 Opp. 4. cont. ult. corol. D. Th. q. 28. de verit. a. 2. ad 5. dicentem: *Adam à statu gratię cecidit, & non solùm à statu naturæ. Sedtamèn si à solo statu naturæ decidisset, nihilominùs tamen, ad expiationem infinitę offensę, donum divinę gratiæ requireretur*: ergo tali donô opus est ad expiationem peccati hominis in puris naturalibus conditi. *Præt.* Peccatum ejusdem esset speciei in utroque statu: ergo. *Præt.* Quia peccatum hominis non elevati, cùm averteret à Deo in se ipso, averteret etiam ab illo ut Authore gratiæ: ergo. *Ad* 1. (quòd magni faciunt Salmant. & Ferre) omissâ solut. Gonet, R. D. Th. non loqui in hypothesi puræ naturę, sed solùm non acceptę gratię, ut ex verbis laudatis apertissimè liquet; loquitur enim de Protoparente quando lapsus est, de

quo in primis inquit, lapsum fuisse post acceptam gratiam. Subdit deinde : quòd etiam si *à solo statu naturę*, ideſt, non à ſtatu gratiæ, *decidiſſet*, *&c.* Senſus igitur eſt, quòd, cùm Adam conditus ſit in ſtatu elevationis, indigêret gratię donô ad ſurgendum, etiamſi ante illam acceptam cecidiſsit. Sed quid inde?

496 *Ad* 2. R. ant. eſſe verum de peccato actuali; ſecùs de habituali, quia aliud privaret formâ ſupernaturali; aliud, naturali dumtaxàt, juxta ſæpè dicta. *Ad* ult. N. ant. Nec refert adjuncta prob. Deus enim in ſe ipſo, ſub diverſo reſpectu, & in ordine ad diverſos effectus, dicitur finis *naturalis*, & *ſupernaturalis*, *conditor naturæ*, & *gratiæ largitor*: ita, quòd rationes iſtæ ſunt objectivè ſeparabiles, & una poteſt attingi per modum objecti, ſine alia, ut conſtat in dilectione Dei ſuper omnia naturali. *Profectò*, Deum eſſe in re finem ſupernaturalem hominis, & hominem eſſe in re ordinatum ad Deum ut finem ſupernaturalem, vel idem omninò ſunt, vel ſaltèm connexa & correlativa : cùm ergo homo in ſtatu naturæ puræ, non eſſet ordinatus ad Deum authorem ſupernaturalem (hoc enim repugnat cum ſtatu illo) nec Deus eſſet in re author ſupernaturalis : peccatum igitur illius hominis non eſſet averſio à Deo, ut fine & authore ſuperno.

DUBIUM III.

Utrum actus contritionis, vel charitatis, poſsint eſſe forma juſtificans, ſaltèm de potentia abſoluta?

497 SUpp. cont. Vazquez, & nonnullos RR. (quibus ſubſcribit Tyrſus to. 3. Select. diſp. 11. ſect. 6. §. 2.) præfatos actus non eſſe de facto formam juſtificantem. *Tum*, quia unica formalis cauſa juſtificationis (juſtitia, ſcilicèt, nobis intrinſeca) eſt ſola gratia habitualis, non verò aliquis actus, juxta mentem Trid. nam re-

cen-

censîtis sess. 6. cap. 6. actibus ad justificationem disponentibus, nimirùm, fide, timore, spe, dilectione Dei, & odiô ac detestatione peccati, sic exordîtur cap. 7. *Hanc dispositionem; seu præparationem justificatio ipsa consequitur.* Et sess. 14. cap. 4. diffinit, contritionem semper concurrere & impetratoriè, & dispositivè ad veniam peccatorum: & loquitur de contritione abstrahente à perfecta, & imperfecta, ut constat ex diffinitione illius, quam prœmittit: *Contritio* (inquit) *animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*; quæ utrique contritioni convenit. *Deinde*, quia contritionem, de qua loquitur, dividit in *imperfectam*, & *perfectam*. *Demùm*, quia contritionis impetrativè & dispositivè concurrentis ad veniam peccatorum, ponit exemplum in contritione David, utique perfectâ, & charitate formatâ. *Tum*, quia aliàs forma justificans non esset unica, cùm gratiam habitualem, omnes talem agnoscant. *Postremò*, quia contritis, & Deum perfectè diligentibus, speciale fit beneficium in remissione peccati, ut constat ex illo: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, & sexcentis aliis Scrip. locis. Hôc igitur suppositô,

498 Concl. est neg. & frequentior inter Theol. & com. Thomist. (si Araujo, & Serram excipias) Prob. autem *primùm* ex D. Th. hîc a. 2. dicente: *Non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ.* Ubi nomine *gratiæ* solam habitualem intelligit, præmisserat enim: *effectus divinæ dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, quâ homo fit dignus vita æterna*; quod autem intelligi non potest, implicat contradictionem, juxta usitatam D. Th. phrasim, & de eâdē habituali gratia loquens, dicit ibidem ad 1. *Post peccatum non potest* (homo) *esse sine culpa, nisi gratiam habeat.* *Deinde.* Privatio alicujus formę nec divinitùs tolli potest nisi per formam quâ privat, ut patet in morte, cæcitate, tênebris, quæ non nisi per vitam, visum, & lucem, possunt auferri: ergo peccatum habituale, seu *macula*, in privatione gratiæ habitualis consistens, per solam hujus infusionem auferri valet, etiam divinitùs. Ratio est D. Th. suprà q. 109. a. 7. ibi: *Cùm decor gratiæ proveniat ex illustratione divi-*

ni luminis, non poteſt talis decor in anima reparari, niſi Deo denùo illuſtrante: unde requiritur habituale donum, quod eſt gratiæ lumen.

499 Prob. 3. concl. Quia præfati actus non ſunt defacto forma juſtificans, ut oſtenſum eſt: ergo nec divinitùs poſſunt eſſe. Patet conſ. nam in cauſis formalibus locum non habet diſtinctio potentiæ ordinariæ, & abſolutæ, cùm per ſolam ſui communicationem ſuos præſtent effectus: Si enim per aliquid adventitium entitas formę mutetur, non erit êadem forma; ſi verò non mutetur, immutatus etiam erit effectus formalis. Hinc, quia color naturaliter & defacto non calêfacit, neutiquàm poteſt calefacere: ergo & viciſsìm, ſi tales actus poſſent divinitùs formaliter juſtificare, juſtificarent defacto; quin effectus iſte impediri poſſet ex conſortio gratiæ habitualis: ſicut hujus effectus non impeditur (imo perficitur) in humanitate Chriſti, ex conſortio gratiæ unionis, perfectiùs utique eandem humanitatem ſanctificantis. *Tandem*: Diſpoſitio ad formam, nequit eſſe talis forma, aut ejus effectum vel divinitùs præſtare: ſicut calor ad ignem diſponens, neutiquàm eſſe ignis, aut ignîre poteſt: cùm igitur præfati actus ad juſtificationem diſponant, juxta Trid. nec divinitùs poſſunt eſſe forma juſtificans, aut formaliter juſtificare.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

500 Opp. 1. cont. id quod initiò ſupp. Scrip. & PP. paſsim inſinuare, per contritionis & charitatis actus *remitti peccata, homines naſci ex Deo, & juſtificari. Præt.* Trid.ſeſſ. 14. cap.4. innuere videtur, contritioni perfectæ, ut includenti ſacramenti votum, adſcribendam eſſe reconciliationem hominis cum Deo. *Demùm* Actus charitatis eſt incompoſsibilis cum peccato habituali, aliàs conjungi poſſet cum gehenali pœna, & cum odio Dei, ad illam quaſi neceſſariò conſecutô. *Ad* 1. & 2. R. Scrip. Concilium, & PP. illa tribuere prædictis actibus, tanquàm diſpoſitionibus, & impetrationibus, juſtificationem inferentibus; non tanquàm formæ juſtificanti; aliàs Concilium ſibi ipſi, & Scripturis (accuratiſsimè ab ipſo perpenſis) contradiceret.

Ad 3.

501 *Ad* 3. quod est fundamentum P. Tyrsi, N. ant. ad prob. R. quòd in infernum detrusus cum illis actibus, & absquè gratia, non prorumperet in tale odium, saltèm in sensu composito dilectionis; id enim planè repugnat. Et quid diceret opponens de Beatis, si in infernum (ut possibile est) detruderêtur? Et sanè arg. probat, dilectionem naturalem esse formam justificantem, cùm eqùè incomposibilis sit cum odio illo infernali. Quod quidem (etsi ab illo ultrò admittatur) inconveniens videtur. *Nec* juvat recursus ad auxilium, quod ad illam naturalem dilectionem exigitur: *Tum*, quia illud, tametsi speciale, naturale est. *Tum*, quia etsi supernaturale admittatur, non potest peccatum remittere, aliàs, non dilectio esset remissiva (ut ipse prætendit) sed auxilium, quod nullus dixit. Argum. igitur undiquè corruit.

502 Opp. 2. cont. concl. Aversio actualis à Deo constituit hominem dignum inimicitiâ Dei: ergo actualis conversio dilectionis illum constituet dignum amicitiâ Dei; nam contrariorum eadem est ratio. *Prɛt.* Potiùs separat à Deo peccatum actuale, quàm habituale: ergo perfectiùs cum illo conjungit & unit actualis charitas, quàm habitualis: id quod major illius actualitas aliunde convincit; adeoquè perfectiùs illa, quàm ista justificat. *Ad* 1. N. cons. ad prob. R. contrariorum eandem esse rationem, quoàd præbendos contrarios effectus; secùs quoàd modum illos præstandi: Actualis quippè aversio à Deo, causat habitualem, in qua peccatum habituale consistit; actualis autem dilectionis conversio, habitualem (seu gratiam) effectivè non causat, sed hæc à Deo infunditur. *Ad* 2. Transeat primum cons. & N. 2. conseq. Cùm enim utraque illa charitatis unio affectiva sit; neutra justificat, sed effectiva solùm, quam sola gratia prɛstat. Major autem unionis perfectio, ex majori perfectione formæ unientis pensanda est, & non ex majori hujus actualitate; aliàs perfectiùs Deo conjungeret dilectio, quàm unio hypostatica. Peccatum autem actuale magis à Deo separat, quia magis avertit, estque radix maculæ, & omnis mali: Prima autem dono-

rum

rum radix, non est dilectio; sed gratia, ad quàm dilectio disponit, vel quam accidentaliter perficit.

503 Opp. 3. Si Deus diligenti se gratiam non infunderet, tunc ille justificaretur, essetque Deo dilectus & gratus, *nam omnis qui diligit, ex Deo est*: 1. Joan. 4. *& qui diligit me, diligeter à Patre meo.* Joan. 14. *Præt.* Tunc homo ille converteretur ad Deum, ut ultimum finem: ergo desineret esse ab illo aversus, & ad creaturam conversus; *implicat* enim, esse simul à Deo aversum, & conversum ad illum, & ad duos simul ultimos fines: ergo saltèm inadæquatè, seu negativè, justificaretur. *Postremò.* Visio beata est essentialiter incomposibilis cum peccato: ergo & dilectio supernaturalis, magis utiquè opposita aversioni peccati, quàm visio. *Ad* 1. N. ant. in casu enim illo metaphysico, & suavi Dei providentiæ repugnanti, nondùm homo ille justificaretur, sicut nondum ignîret lignum calidum ut octo, cui divinitùs forma ignîs denegaretur. Diligeretur quidem à Deo, juxta secundum testim. Sed non dilectione amicabili, sed ad justificationem disponente. Primum autem loquitur de solitô agendi cursu, quô talis dilectio à gratia habituali indivulsa est; secùs de casu, qui nunquàm côntigit, aut continget.

504 *Ad* 2. (manifestè instabile in dilectione naturali) Dist. ant. Converteretur ad Deum *actualiter*, & *affectivè*, C. *habitualiter*, & *effectivè*, N. ant. & cons. Ad tollendam enim habitualem *maculę* aversionem (relictam per modum effectûs ex peccato actuali) opus est conversione ad Deum habituali, & effectivâ, per solam gratiam habendâ. *Et* quanvis implicet, hominem simul habere duos ultimos fines, si utrumque, aut habitualiter, aut actualiter, respiciat; secùs, si unum actualiter, & alterum habitualiter. Sicut potest esse conversus actualiter ad Deum, & habitualiter aversus. Licèt autem aversio actualis tollat habitualem conversionem; actualis tamen conversio non tollit habitualem aversionem: quia utraque aversio in hominis potestate est; non autem utraque conversio, sed actualis duntaxàt; nam habitualis infunditur, ut dictum est. *Ad ult.* R. disp. esse,

quòd

quòd visio beata utramque aversionem tollit, cùm per modum habitûs & principii rectificet voluntatem, regulando amorem adæquatè necessarium; quod dilectioni non convenit.

DUBIUM IV.

Utrum de potentia absoluta possit esse infusio gratiæ absque remissione culpæ? Seu (quod idem est) an possit gratia cum peccato habituali lethali coëxistere?

505 CONcl. est neg. & com. Thomist. quibus adhærent Vazquez, Turr. aliique, adversus Scotist. Nomin. Suarez, Curielem, aliosque. Prob. autem 1. ex Trid. sæpè laudatô asserente: *Unicam causam formalem nostræ justificationis esse gratiam nobis inhærentem*: ergo hæc est prorsus incomposibilis cum habituali peccato; aliàs forma illud expellens, esset causa formalis justificationis nostræ. Nec gratia foret perfecta justitia, utpotè insufficiens, aliudque desiderans ad remissionem peccati. *Præt.* Gratia est planè incomposibilis cum sui privatione: ergo & cum peccato habituali, quod in illa consistit, vel illam essentialiter prærequirit. *Tertio*: Repugnat omninò, hominem esse simul *justum*, & *injustum* seu peccatorem, ut vel ipsi contrarii ultrò fatentur, & meritò, esse enim *justum*, est esse purum & mundum à peccati sorde, quod peccatori repugnat: ergo & repugnat coëxistere in eodem gratiam & peccatum, êadem enim est formarum, ac formalium earum effectuum, incomposibilitas.

506 Nec valet dicere cum Suarez, effectus illos gratiæ esse secundarios; adeoquè absolutè ab ea separabiles, sicut risibilitas à rationalitate. *Non*, inquam, valet. *Tum*, quia juxta ipsum, effectus primarius gratiæ sanctificantis, est reddere hominem Deo gratum & amicum; primarius verò peccati effectus, est facere hominem Deo inimicum; at esse-

effectus isti magis invicèm pugnant, quàm dies & nox, mors & vita, cæcitas & visus : ergo & formę, unde proveniunt, neutiquàm sociari valent. *Tum*, quia licèt aliqui gratiæ effectus sint secundarii, adeoque deesse forsàn possent habenti gratiâ; repugnat tamé, quòd in isto sint effectus peccati, privativè vel contrariè illis oppositi : quemadmodùm repugnat inesse rationali *binnibilitatem*, quantunvìs ab illo *risibilitas* auferatur. *Nulla* pariter est vulgaris aliorum solutio, asserentium, peccatorem incapacem esse effectûs formalis gratiæ ; sicut Christus filiationis adoptivę. Falsum quippè assumit, etenim homo (quantunvis peccator) capax est effectûs gratię expellentis peccatũ: sicut illud expelleret unio hypostatica à natura rationali, si peccatô infecta assumeretur à Persona Divina. Filiatio autem adoptiva, cùm requirat extraneitatem personę, repugnat Christo.

507 Prob. 4. concl. Gratia ex natura rei habet vim expellendi peccatum, ut diximus sup. à n. 483. ergo illâ positâ, non posset illud non expelli, nisi Deo specialiter conservante peccatum, seu suspendente nativam gratiæ vim expulsivam peccati, quod ejus sanctitati repugnat. *Præfatę* rationes (rectè perpensæ) convincunt, gratiam habitualem nec cum peccato actuali lethali coëxistere posse. Quòd ulteriùs prob. ex illo 1. Joann. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* : ergo existens in gratia, peccare non potest conjungendo peccatum cum gratia, nam certum est, peccare posse peccatô destruente gratiam. Et benè nota causalem illam Apostoli, *quoniam ex Deo natus est* : quâ innuitur, impotentiam peccandi, non ex lege Dei (ut respondet Ripalda) sed ab intrinseco gratiæ, provenire.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

508 Opp. 1. effectus secundarius formę, etiamsi negativus, suspendi divinitùs potest, ut patet in calore intenso non expellente (juxta aliquos) frigiditatem intensam : Et in corpore potente non expellere aliud ab eodem loco, salvâ utriusque extensione locali, juxta comm. Thomist. sent. sed

ex-

expulsio peccati est effectus secundarius gratiæ, tametsi negativus: ergo. R. maj. non esse universaliter veram; sed solùm in formis naturaliter dumtaxàt oppositis, secùs si omninò invicèm pugnent, ut videre est in qualibet forma substantiali, necessariò expellente quamlibet aliam ab eadem materia: in assensu, sic excludente dessensum in eodem circa idem: in rationalitate neutiquàm compatiente hinnibilitatem, & sexcentis aliis. Et ita sanè expellit gratia peccatum; *tum*, quia illi privativè opponitur, *tum*, quia aliàs Deus foret specialis causa conservationis, & permanentię peccati.

509 Opp. 2. Gratia est forma finita: ergo expellere nequit peccatum in ratione offensæ infinitum, vel saltèm superioris ordinis. *Prę.* Potest absolutè Deus hominem peccatô mortali infectum ad gloriam acceptare: ergo & efficere, quòd homo sit simul in gratia, & in peccato. *Ad* 1. (quod nimis probat.) dist. cons. expellere nequit peccatum per modum meriti, aut satisfactionis æqualis, C. per modum formæ incomposibilis cum illo, N. Nam ratione physicæ oppositionis, quamoptimè potest forma inferioris ordinis expellere superiorem; imò & infinitam, unio siquidem hypostatica (quæ ordinis divini, & infinita est,) impediri ac destrui posset vel minimô peccatô veniali, si humanitas Christi posset illud incurrere in sensu divisô. *Ad* 2. Dist. Ant. potest acceptare extrinsecè ad gloriam, C. intrinsecè, subdist. acceptatione destruente peccatum, C. illud non destruente, N. Itaque acceptatio extrinseca ad gloriam fit per decretum prædestinativum, cum quo sæpè conjungitur peccatum prædestinati: Intrinseca autem fit per gratiam, quâ necessariò expellitur peccatum.

510 Opp. 3. Gratia à solo Deo producitur, & ex sola ejus voluntate pendet: ergo destrui nequit per peccatum, quod divinum subtêrfugit decretum, & influxum. N. cons. Ad prob. inclusam, dist. ant. Peccatum subtêrfugit divinum decretum prædiffinitivum, C. permissium, N. Decretum autem permissivum peccati, est virtualis voluntas efficax non conservandi gratiam, vel secum fert volitionem for-

formalem non conſervandi illam : Unde gratia nunquàm deſtruitur, niſi dependenter à libera determinatione Dei: adeoquè ad non conſervandam gratiam non determinatur, aut neceſsitatur Deus à determinatione, aut peccato creaturę; ſed à ſua libera voluntate, quâ efficaciter vult permittere peccatum. Carentiam autem peccati vult Deus per aliud decretum, efficax quidem, ſi non adeſt decretum permiſsivum; ineffícax verò, ſi cum iſto conjungatur.

511 Opp. 4. cùm Lorca ad prob. peccatum actuale conjungi poſſe cum gratia habituali : Illud enim dùm exiſtit, hanc expellit ; ſed non quæ non eſt, hæc enim non expellitur : ergo quę eſt : ergo ſimul in eodem inſtanti coëxiſtunt. *Præt.* opponunt alii ad idem : Omittens charitatis actum, inſtante prœceptô, conjungit omiſsionis peccatum cum potentia proxima ad actum, aliàs non peccaret : ergo cum habitu charitatis illam conſtituente : ergo & cum gratia. *Poſtremò* : Si Deus decerneret conſervare gratiam Petro per totam vitam, & tale decretum illi revelaret, poſſet iſte omittere aſſenſum, quem teneretur revelationi prœſtare: ergo & conjungere omiſsionis peccatum cum gratia.

512 *Ad* 1. Reſp.D.Th. q.28.de verit. a.2.ad 9. peccatum expellere gratiam, quę immediatè anteà erat, & in inſtanti, quô peccatum illam expellens exiſtit, jam non eſt; imò repugnat tunc eſſe, ſicut repugnat non eſſe, dùm cauſatur. *Dùm* autem S. D. ibidem, alibique inſinuat, quòd *deſtruens effectivè aliquid* (qualitèr peccatum actuale expellit gratiam, juxta eundem 2.2.q.28.a.1.) *debet ipſi coexiſtere*, loquitur de efficientia expulſiva per motum ſucceſsivum (ut conſtat exemplô inductô ignîs, corrumpentis aërem) qualiter peccatum gratiam non expellit, datô, quòd efficienter expellat ; hoc enim non clarè docet S.D. locô laudatô ; ſed expulſionem per modum formæ ex natura rei incompoſsibilis vocat *efficientem*, ut plures eô loci interpretantur. Vide M. Bolivar hîc dub.4.§.2.à n.17.

513 *Ad* 2. N. conſ. Tunc enim potentia proxima ad actum conſtituitur per auxilium ſufficiens, quod Deus tunc infallibiliter confert : unde non ſequitur, quòd conjungat,

aut

aut conjungere posit omissionem peccaminosam cum habitu charitatis, & gratiæ. Nec ut omissio actû sit libera, requiritur, quòd sit absolutè conjungibilis cum omni principio dante posse ad actum; sed sat est, quòd hęc conjunctio non repugnet ex conceptu, quô tale principium dat posse: Licèt ergo omissio illa peccaminosa, sit absolutè inconjungibilis cum charitate, & gratia; hæc tamen conjunctio non repugnat illis ex conceptu *dãtis posse, auxiliantis*, & *elevantis potentiam*; sed ex conceptu *sanctitatis*, qui necessarius non est ad actum charitatis, cùm elici possit per auxilium fluidum. *Ad ult.* N. cons. Ad libertatem enim assensûs sufficeret tunc posse ad omissionem secundum se, secùs ut peccaminosam. Et idem dicendum in casu, quo Deus revelaret Petro decretum de nunquàm permittendo ipsi peccatum. Imò utraque hypothesis eadem est, nam decretum perpetuò conservandi Petro gratiam, est formaliter, vel virtualiter, decretum non permittendi unquàm illi peccatum.

DISPUTATIO ULTIMA.

De dispositionibus ad justificationem requisitis.

DUBIUM I.

Quinam motus seu actus liberi arbitrii requirantur ad justificationem?

514 LOquimur de sola adulti justificatione; certum est enim, parvulos absque ullo ipsorum actu (cujus sunt incapaces) justificari per gratiæ receptionem. Requiri autem in adultis dispositiones ad gratiam recipiendam, tradunt

dunt Scrip. (paſsim monentes,& præcipientes, ut ad Deum convertantur) diffinit Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & 6. & can. 4. & probat D. Th. hîc a. 3. hac rat. Juſtificatio fit, Deo movente hominem ad juſtitiam, Deus autem movet omnia ſecundum modum unîuſcujuſque; ſed homo ex ſua natura eſt liberi arb. ergo Deus non movet eum ad juſtitiam, ſine motu ipſius, ſi ſit hujus motionis capax. *An* autem de potentia Dei abſoluta, poſsit adultus juſtificari ſine tali diſpoſitione? Affirmativè communiter reſpondetur cum Cajet. adverſus utrumque Sotum: Poteſt ſiquidem Deus infundere gratiam juſtificantem dormienti, vel nihil operanti, ſicut poteſt formam naturalem in ſubjectum indiſpoſitum introducere. Hôc igitur ſuppoſito, ſit

515 Concl. *Diſpoſitiones ad juſtificationem adulti neceſſariæ, ſunt, actus fidei, ſpei, dilectionis, & pœnitentiæ.* Pateant ſingula. Requiritur in primis fides, nam *ſine fide impoſsibile eſt placere Deo*, ut dicitur Hebr. 10. *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis.* Ut loquitur Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. Prima inſuper converſio in Deum, fit per fidem, juxta illud Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere.* Nec poſſet voluntas (utpotè cæca) in Deum converti, niſi præcedente & prælucente mentis converſionê per fidem. Hæc autem fides, non eſt chimerica illa Hæreticorum noſtri temporis; quam *promiſsionum* vocant, quâ unuſquiſque ſibi perſuadet, ſua ſibi peccáta non imputari, propter Chriſti merita. Ecquis enim credat, quod revelatum non eſt? Quòd ſi revelatum id ſibi eſſe, condentant: qualiter hâc monſtruosâ fide juſtificari poſſunt? Cùm hæc ſupponere debeat revelationem remiſsionis, & conſequenter remiſsionem, ſeu juſtificationem, tanquàm *ſui objectum*? Fides igitur ad juſtificationem diſponens, eſt fides *dogmatica* quam ipſi *hiſtoricam* vocant, & quâ credimus à Deo revelata, & promiſſa; ut conſtat ex innumeris Scrip. teſt. Sufficiat illud Marci ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit* (in eo contenta) *ſalvus erit.*

516 Sed ad juſtificationem non ſufficit ſola fides; quæ (teſte Jacobô Apoſt. c. 2.) *Sinè operibus mortua eſt.* Et hinc

Trid.

Trid. sess.6. can. 9. ait : *Si quis dixerit, sola fide impium justificari... anathema sit.* Nec obest, quòd in Scrip. non semèl dicatur, *hominem justificari per fidem, justum ex fide vivere, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvandum esse.* Non obest, inquam, ea enim verba (ut Trident. sess.6.cap.8.docet) in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Cath. consensus tenuit, & expressit : ut scilicèt, per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire. *Gratis autem justificari* ideo dicimur, & *non ex operibus* ; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, (sive fides, sive opera) ipsam justificationis gratiam promeretur; alioquin gratia, jam non esset gratia. *Sunt* & aliæ expositiones horum locorum ; sed assignata est omnibus præferenda, utpotè à Conc. expressè tradita.

517 Desideratur etiam motus spei, quia sine spe veniæ, contritio ipsa non præparat ad justitiam, ut docet Trident. sess.14.cap.4.unde motum illum requirebat salvator Math. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Requirebat, & Paulus Rom.8. *Spe salvi facti sumus.* Et sanè, nemo convenienter movetur ad adipiscendam justitiam, nisi speret adipisci. *Hinc* illud Amb. l. 1. de pœnit. c. 1. *Nemo potest agere pœnitentiam, nisi speraverit indulgentiam. Opus* præterea est dilectionê, juxta illud 1. Joan.3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et illud 1. Cor. 13. *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Unde Trid. ubi sup. docet, quòd justificandi, *Deum tanquàm omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt. Necessaria* est demùm pœnitentia, ut utrumque exprimit Testamentum : Vetus quidem, Eccli. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* Novum autem, Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Idem* diffinit Trid. sess. 14. c.1. dicens : *Fuit pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato coinquinassent, quovis tempore, ad gratiam & justitiam assequendam, necessaria.* Et ratio suffragatur : Quia justificandus, sicut accedere debet ad Deum dilectionê, ita & à peccato recedere pœnitentiâ:

Ut

Ut igitur adultus justificetur, oportet ipsum *credere, sperare, diligere, & pœnitere.*

318 Ultra fidem ex parte intellectûs, spem, dilectionem, & pœnitentiam, ex parte voluntatis, recensetTrid. laudatô c. 6. sess. 6. divinæ justitię timorem, & votum seu propositum sacramenta suscipiendi, inchoandi novam vitam, & mandata servandi: sed hujusmodi votum includitur in contritione, quæ est præcipuus pœnitentiæ actus, ut dicitur sess. 14. cap. 1. Timor verò servilis, quô (ut Concait) utiliter peccatores concutiuntur, utilis proinde est ad eorum justificationem; non tamen absolutè necessarius, quia possunt subitò conteri contritione perfectâ, charitate foràs mittente timorem. *Præter* hos actus, à Trident. recensîtos, sunt & alii, ut oratio, humilitas, misericordia, & id genus, conducentes quidem ad justificationem, sed non sunt strictè dispositiones, cùm non sint motus liberi arbitrii recedentis à peccato, & ad Deum accedentis.

519 Inquires autem 1. An actus spei, & pœnitentiæ, ad justificationem requisiti, necessariò debeant esse formales & expressi, & ab actu dilectionis distincti? R. probabiliùs negativè. Et quidem de actu spei, prob. Potest enim homo subitò moveri de peccato ad justitiam, ex sola expressa consideratione Dei, & peccati ut Deo injurioši, non attentis promissis à Deo, nec propriis ex peccato damnis: Tunc autem non eliceret formalem spei actum, sed virtualem, in eminentiori charitatis actu contentum. *De actu* verò pœnitentiæ, etiam suadetur: Si quis enim invincibiliter oblîtus suorum peccatorum, actum perfectę charitatis eliciat, justificabitur; non enim stat, quòd sic diligens, maneat in morte: tunc ergo non requiritur formalis pœnitentiæ actus, à cujus elicientia invincibilis excusat oblivio; sed sufficit virtualis, in actu charitatis utique inclusus; qui enim efficaciter diligit, & convertitur ad aliquem terminum, efficaciter recedit ab alio. Et idem dicendum de subitò ad martyrium raptô, nec tempus habente recogitandi peccata. *Extra* hos autem casus, necessaria est pœnitentia formalis. Et ita tenet D. Th. 3. p. q. 87. a. 1. docens, virtualem pœniten-

tentiam sufficere ad remittenda venialia, non tamen mortalia, *nisi quantùm ad peccata oblita, post diligentem inquisitionem.* Et præcipua ratio est ordinatio divina, innumeris Scrip. locis attestata.

520 Inquires 2. An actus dilectionis necessariò debeat esse formalis ad justificationem adulti extra Sacramentum? R. frequentiùs affirmativè. *Tum*, quia (cùm sit omnium præstantissimus) nequit in alio perfectiori eminenter seu virtualiter contineri. *Tum*, quia imperat perfectam pœnitentiam, exactam ad justificationem extra Sacramentum. Et hinc habes, solos fidei & charitatis actus formalitèr & explicitè requiri, juxta legem ordinariam, ad justificationem adulti; præstant enim reliquis intellectûs & voluntatis actibus; adeoque non possunt in illis virtualiter contineri, ac proinde soli illi requiruntur expressi. Quòd si infunderetur alicui cognitio supernaturalis fide superior, & hanc virtualiter continens (qualis erat scientia infusa animæ Christi) necessaria non foret ad illius justificationem fides expressa.

DUBIUM II.

Utrum ultimæ dispositiones ad gratiam justificantem, ab ista effectivè procedant?

521 COnsultò inquirimus de ultimis dispositionibus, contritione nimirùm, & dilectione perfectâ; nam dispositiones, temporê præcedentes infusionem gratiæ, certum est, non posse ab ista effici, sed ab auxilio transeunte distinctô. *Nec* inquirimus de influxu immediato gratiæ in ultimas disp. quem impossibilem supponimus, sed de radicali duntaxàt, mediis, scilicèt, habitibus pœnitentiæ, & charitatis. Hôc suppositô, Concl. est affirm. quam communiter defendunt Thomist. Cajet. Conrr. Ferrar. uterque Sotus, Canus, Bañez, Medina, Alvarez, Ledesma, Greg. Mart. Serra, Gonet, Salmant. Labât, Auth. Supptem. Magistri Ferre, Bolivar, & alii plurimi, quibus

adhæ-

adhærent Valentia, Vazquez, aliique RR. adversus Scotistas, Nomin. Suarez, & nonnulos ex nostris, ut Capreolum, Zumel, Joan.à S.Th. Araujo, Contensonum, & paucos alios. Est autem concl. expressa D. Th. pluribus in locis, sed maximè in tota ferè præsenti q. A. 7.ait: *Justificatio impii originaliter consistit in gratiæ infusione, per eam enim & liberum arb. movetur, & culpa remittitur*: ergo motus liberi arbitriii, à gratia, peccati remissivâ (ad quam ultimò disponunt) efficienter proveniunt. *Præt.* a. 8. seq. docet, infusionem gratiæ præcedere ordine naturæ motum liberi arb. in Deum, & peccatum, & remissionem culpæ, tametsi omnia sint simul tempore, cùm justificatio non sit successiva. Et ad 2. asserit, *quòd motus liberi arbitrii, naturæ ordine præcedit consecutionem*, (seu receptionem) *gratię*; *sequitur autem gratiæ infusionem*: Cùm enim *receptio* sit causalitas causæ materialis, & infusio, efficientis; præfati motus, & causant materialiter dispositivè gratiam, & ab ista effectivè causantur.

522 Loquitur autem evidentissimè S. D. de infusione solius gratiæ habitualis, nam art. 7. loquitur de gratia remissivâ culpæ (requirente dispositionem subjecti ut in eo recipiatur) & requisitâ ex parte subjecti ad meritum gloriæ, ut constat ex corp. & sol. ad 4. quæ omnia soli gratiæ habituali, & neutiquàm actuali, competunt. *Præt.* a. 8. loquitur de infusione gratiæ, quam a. 2. statuerat, esse necessariam ad impii justificationem; quæ sanè est infusio habitualis gratiæ, ut nullus ambigit: de hac igitur est sermo a. 8. ubi, recensitis omnibus ad justificationem requisitis, scilicèt, *infusione gratię*, *motu liberi arb. in Deum*, & *in peccatum*, & *remissione culpæ*, (de quibus ex professò differuerat ab a. 2.) resolvit, quatuor illa, tempore quidem esse simul, sed ordinê naturę seu causalitatis, unum esse priùs alterô, & omnium primum esse *gratiæ infusionem*. Igitur in laudatis aa. imò in tota quæst. de sola gratia habituali, & justificante apertissimè loquitur D.S.

523 Tandem (ut innumera alia omittamus) q.28. de verit. a. 8. in corp. inquit: *Si ordo naturę attendatur secundum*

dum rationem causæ materialis, sic motus liberi arbitrii præcedit naturaliter gratiæ infusionem, sicut dispositio materialis formam: Si autem attendatur secundum rationem causæ formalis, est econtrà. Et simile est in rebus naturalibus de dispositione, quæ est necessitas ad formã; quæ quodammodò præcedit formam substantialem, scilicèt, secundum rationem causę materialis; sed alio modo, scilicèt, ex parte causæ formalis, forma substantialis est prior inquantùm perficit, & materiam, & accidentia materiæ. Quibus (præter causalitatem formalem, quam verba sonant) etiam effectivam tribuit gratię respectu ultimæ dispositionis ad illam, ut constat, *tum* exemplô formæ substantialis (utramque causalitatem in sui ultimam dispositionem exercentis) *Tum*, quia causa formalis, seu forma constituens principium effectivum, ad hujus operationes effectivè concurrit *ut quo*, ut patet in eâdem forma substantiali: ergo gratia (quæ per modum causę formalis constituit hominem in ratione principii effectivi contritionis, aliorumque motuum supernaturalium) ad istos effectivè concurrit. Corruit igitur solut. M. J à S. Th.

524 Prob. deinde concl. rat. ex dictis, *tum*, quia gratia, cùm sit radix omnium actuum supernaturalium, est forma constituens hominem principium effectivum illorum, ad quos erat ex se improportionatus. *Tum*, quia ultima dispositio ad justificationem, est meritoria (non gratię, quæ jam habetur) sed glorię, ut docet D. Th. q. præced. a. 2. ad 1. & alibi sæpè. Estque manifestum, cùm sit actus liber, ex objecto honestus, supernaturalis, & elicitus à subjecto gratiâ ornato; sed omnis actus meritorius, debet esse à gratia, ut radice & principiô effectivô, vel (ut loquitur D. Th.) esse debet *ex gratia*: quia debet esse illâ & charitate formatus, hæc autem formatio est efficienter à gratia & charitate, ut expressè docet D. S. q. 28. de verit a. 8. ad 4. Nec sufficit coëxistentia gratię & actûs in eodem subjecto, aliàs actus naturales honesti hominis justi non imperati à charitate, essent meritorii præmii supernaturalis: ergo.

525 Prob. insuper concl. evertendo fund. cont. sent. Nec enim repugnat, imò connaturale est, causas esse adin-

vicèm causas, juxta vulgatum Phil. proloquium, & patet innumeris exemplis naturalibus admissis vel ab ipso J. à S. Th. Calor enim ut octo disponit ad formam ignis, à qua effectivè procedit. Apertio fenestrę disponit ad aëris ingressum, à quo effectivè causatur. Generatio substantialis efficit genitum, à quo materialiter pendet, utpotè in eo subjectatur. Diaphaneitas (à luce utiquè procedens) ad illius receptionem disponit. *Tandem* (ut alia omittamus) organizatio corporis est ab anima, ad cujus receptionem ipsa disponit. Sed de his satis, sunt enim philosophica, in Libris de Ortu & interitu abundè tradita, sed quæ rectè perpensa omnes Adversi. evasiones præcludunt penitùs, ut consideranti patebit. Doctrina siquidem de distinctione signorum in eodem instanti, (sub quorum uno, causa intelligatur sub expresione *causæ*, existens, & extra causas; & in alio intelligatur sub expresione *effectus*, & ab alia dependens) generalis est; & ubiquè êadem: adeoque, aut ubique, aut nullibi tenenda.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

526 Opp. 1. Trident. sess. 6. c. 5. & can. 3. & 4. docens, causam *conversionis*, ad justificationem disponentis, esse *prævenientem Dei gratiam excitantem*, & *adjuvantem*, ab *habituali* utiquè distinctam. *Docet* præt. c. 7. *justitiam* recipi secundum propriam cujusque dispositionem; si autem hæc efficienter esset à gratia, potiùs econtrà dicendum foret. *Omissa* solut. afferentium, sermonem esse de solâ contritione, & dilectione *imperfecta*, R. jurè ibi illa solùm recensêri dispositionis principia; *tum*, quia sunt, quæ (salvâ fide) negari non possunt: an autem ipsa *justitia* talis sit? sub lite est. *Tum*, quia est sermo de justificatione, tàm intra, quàm extra Sacramentum; & sub hac abstractione (cùm non requirat perfectam dilectionem) positivè non exposcit gratiam *habitualem*, sed *excitantem*, & *adjuvantem* duntaxàt, ut principium actûs ad ipsam disponentis.

527 Et quidem actus fidei, & spei (ad justificationem pariter disponentes) ab illarum habitibus procedunt in peccatore fideli; tametsi excitantem, & adjuvantem requirant

rant gratiam. Quis insuper neget, à gratia & charitate habituali procedere *dilectionem*, quam justus elicit tempore justificationem subsecutò, quantunvis ad illam excitetur, & adjuvetur? *Ad* 2. R. utrumque verificari, ob mutuam utriusque dependentiam: quemadmodùm verificatur, & quòd forma ignis introducitur in materia, quia est disposita per calorem ut octo; & econversò, hunc dari, quia ibi est forma ignis.

528 Opp. 2. D. Th. q. 28. de verit. a. 8. ubi, versans hanc quæst. relatâ sententiâ asserentium, *quòd actus isti* (contritionis & fidei formatæ) *sunt meritorii, & gratia informati: unde naturaliter gratiam sequuntur: præcedunt autem remissionem culpæ naturalitèr* (quæ sanè opinio, eadem est cum nostra) sic illam rejicit: *Sed hoc non potest esse: nam quod causat aliquid per operationem, causat per modum causæ efficientis: Gratia igitur, si per actum contritionis, & fidei formatę causat remissionem culpæ, causabit eam in genere causæ efficientis, quod esse non potest: nam causa effectivè destruens aliquid, priùs ponitur in esse, quàm hoc quod destruit sit in non esse: non enim ageret in ejus destructionem quod jam non est: unde sequeretur, quòd gratia priùs esset in anima, quàm culpa esset remissa, quod est impossibile: unde patet, quòd gratia non per aliquam operationem est causa remissionis culpę, sed per informationem subjecti quę importatur per gratiæ infusionem & culpæ remissionẽ: & ideo inter gratię infusionem, & culpæ remissionem, nihil cadit medium.*

529 Ex quibus invictum deduci argumentum contra nostrâ sent. existimat J. à S. Th. Nam si contritio (inquit) in quantũ dispositio ultima, est efficienter à gratia habituali, & illa contritio servit ad expellendum peccatũ: ergo gratia habitualis, per aliquam operationem suam (scilicèt, contritionem à se elicitam) est causa remissionis peccati, cujus oppositum docet D. Th. & quidem ratio S. D. æquè probat, contritionem non esse effectivè à gratia. *Imò* inferre poterat laudatus Magister, sententiam ibi rejectam, *eandem esse cum nostra, imò, cum illa quam hic expresè tenet S. D.* Argumentum igitur, si quid probat, doctrinam D. Th. hîc traditam, vertit, & manifestam ostendit antilogiam: quod

proinde ab omnibus ejus Discipulis, (adeòque ab ipso sap. opponente, nulli secundô) solvendum est. *Tum* prætereà: Nam Auxilium transiens (à quo solo, juxta arguentem, contritio procedit) peccatum per illam, adeòque effectivè destruit: quod proinde, *priùs esset in anima, quàm culpa esset remissa*; quod & ipsi, & D. Th. apertè contradicit; asserit enim Sapientiss. Mag. tale auxilium realiter coëxistere perfectæ dilectioni, & contritioni, quæ quidem sunt simul tempore cum infusione gratiæ, & peccati remissione, juxta S. D. hîc a. 8.

530 *Solvendum* prætereà est ab omnibus Thomist. nam S. D. 3. p. q. 85. a. 2. ad 3. expressè docet, quòd *pœnitentia expellit omne peccatum effectivè, inquantùm operatur ad destructionem peccati*: pœnitentia igitur (si ratio objecta subsistit) erit simul cum peccato. Quod falsum est; quanvis enim destruat effectivè peccatum, non tamen simul cum illa existens, sed quod immediatè anteà fuit: sicut Sol in primo instanti in quo existit, effectivè expellit tenebras, non quidem simul cum eo existentes; sed quæ immediatè anteà erant, quô exemplô utitur D. Th. hîc a. 8. ad 1. *Omissis* igitur variis solutionibus, quas adhibent Gonet, Salmant. Labât, Bolivar, Escuder, aliique, dicendum est, S. D. apertè retractare hîc sententiam eô loci, alibique traditam, *inefficacem* reputans rationem illam objectam, & quâ in 4. d. 17. q. 1. a. 4. qq. 2. probare conatus est, inter infusionem gratiæ & culpæ remissionem, non mediare motus liberi arb. in Deum, & in peccatum; cujus oppositum expressè, & exprofesso docet hîc a. 8.

531 Non me latet, quòd effectivè destruens aliquid, trifariàm exigere potest priùs esse, quàm illud sit in non esse, vel simul esse cum illo, saltèm in principio: Ut si, nimirùm, illud destruat agendo in ipsum tanquàm in subjectum, qualiter ignis destruit lignum) *Vel*, si ipsum destruat tanquàm terminum *à quo*, per motum tamen successivum (qualiter ignis destruit frigiditatem aquæ) *Vel* demùm, si in primo instanti quô existit, operari non possit (qualiter nonnulli censerunt de Christi gratia; unde inferebant, ipsum

sum in primo suæ conceptionis instanti non potuisse mereri.) Quare, si Authores illi, quos ibi refûtat D. Th. defenderent aliquô ex modis relatis, gratiam effectivè expellere peccatum; proculdubiò ratio illa (tametsi absolutè *inefficax*) efficax foret ad hominem.

532 Cæterùm id minimè constat; imò sententiam illorum refert solis verbis suprà laudatis, scilicèt: *Alii dicunt, quòd actus isti sunt meritorii, &c.* Quibus, ut liquet, eandem ipsissimam exprimit sententiam, quam (re meliùs inspectâ, & se ipsô doctior factus) accuratè propugnat in præsenti a. 8. Hæc igitur solutio, quam Author supplenti Magistri Ferre, primò tradit, est unicè adhibenda, de cujus soliditate, ac reliquarũ insubsistentia, nullus, qui eas, & utrumque textum attentè legerit, poterit vel dubitare. *Omittimus* alia S. D. test. quæ objici solent ex 1. p. q. 62. a. 3. & 1.2. q. 109. a. 6. & 3. p. q. 89. a. 1. ad 1. Nam primô, & secundô locô, apertè docet sententiam nostram. Verbis autem objici solitis, loquitur evidenter de sola conversione imperfecta, & præcedente tempore infusionem gratiæ. In ultimo autem, loquitur quidem de contritione perfectâ (quidquid âutumet Bolivar) non tamen negat, à gratia procedere; sed asserit, disponere ad illam, quod subsequentibus pœnitentiæ actibus (à gratia pariter procedentibus) non cônvenit.

533 Oppt 3. causa efficiens præsupponere nequit existentiam sui effectûs, cùm illius sit eam huic tribuere; sed contritio præsupponitur existens ante gratiam, cùm ad istam disponat, & disponere nequeat, quin existat: ergo. *Prɐt.* Contritio (utpotè operatio, & actus secundus) si à gratia ut naturâ procederet, hanc supponeret omninò existentem, & positam extra omnes suas causas: ergo nullô genere causæ posset ad illius esse concurrere. *Postremò*, quia aliàs contritio esset, & non esset priùs existens, quàm gratia; priùs quidem existens, quatenùs causa; non priùs existens, quatenùs effectus: ergo. *Omissa* Solut. M. Serra, Gonet, PP. Salmant. & aliorum; quia non videntur rectè sumere diversa illa gratiæ habitualis munia, *ut auxiliantis*,

&

& *ut justificantis*; seu, quod idem est, *ut infusæ & datæ à Deo*; & *ut receptæ, & consecutæ ab homine* (cujus distinctionis meminit S. D. a. 8. ad 2.) Non enim sic accipienda est hæc distinctio, ut gratia *quà auxilians*, pro aliquo priori non sit etiam *sanctificans* ut laudati Authores innuere videntur. Hâc igitur solutione omissâ.

534 R. ad 1. Dist. Maj. præsupponere nequit existentiam sui effectûs, quatenùs causa est, & pro eo signo, C. quatenùs pro alio signo ipsa est effectus, N. & sic distinctâ Min. N. cons. *Ad* 2. Dist. pariter ant. supponeret gratiam omninò existentem inquantùm contritio effectus est, C. Inquantùm sub aliò signo habet rationem dispositionis, N. *Ad ult.* dist. similiter ant. Esset & non esset priùs existés, sub diversis signis, C. sub eôdem, N. Mutua siquidem causalitas, & prioritas, in eo stat, quòd pro signo, pro quo intelligitur gratia ut efficiens contritionem, non aliud intelligatur, nisi gratia ut dans esse contritioni, & contritio ut procedens à gratia. Pro signo verò, pro quo intelligitur contritio ut disponens ad gratiam, nihil aliud etiam intelligatur, nisi contritio, ut dans dispositivè esse gratiæ, & hæc, ut ab illa dependens. Intelligitur autem gratia *ut prior*, & *efficiens*, quatenùs se tenet ex parte Dei justificantis, seu, ut infusa à Deo: Intelligitur verò *ut posterior*, & *effectus*, quatenùs se tenet ex parte hominis justificati, & ut recepta & consecuta ab homine. Sed (ut dictum est) sub utroque munere & signo est & intelligitur *justificans*, & *sanctificans*. Benè autem nota, ut objectionem Suarez præcludas, nos non ponere causalitatem inter munera gratiæ, sed inter gratiam, & dispositiones.

535 Opp. 4. Nullus motus procedit efficienter à suo termino; sed contritio est quidam motus ad gratiam: ergo. *Præt.* Dispositio ad augmentum gratiæ & virtutum, non est ab ipso augmento effectivè: ergo pariter. *Ad* 1. R. maj. esse veram de motu propriè dicto, & effectivô sui termini, qualis non est contritio respectu gratiæ, cùm ista à solo Deo efficiatur, sed est motus largè duntaxat, & dispositivus. *Ad* 2. R. disp. esse, quia dispositio ad augmentum, illud de

con-

condigno meretur ; ideoque nequit ab isto effectivè procedere, aliàs esset effectivè prior & posterior illô ; quia, cùm meritum sit in genere causę efficientis, in eodem esset effectus & causa. Actus autem contritionis non meretur primam gratiam; unde optimè potest ab ista procedere.

536 Opp. tandem : Homini contrito novum fit beneficium in *remissione peccati*, & *gratiæ infusione*, ut dictum est n.495.sed hoc non esset,si prę supponeretur in illo gratia ut principium efficiens contritionis, cùm nulla forma sit novum beneficium respectu possidentis illam : ergo. *Pręt.* contritio, dum est pars Sacramenti pœnitentię, effectivè causat gratiam, juxta D. Th. Sed causa efficiens nequit efficienter causari à suo effectu : ergo. *Ad* 1. N. min. Ut enim *infusio gratię*, & *culpæ remissio* sit novum beneficium, à contritione distinctum, sufficit, unum sine alio posse reperiri, quanvis de facto sint connexa ex divina lege : & quidem *infusio gratię*, & *peccati remissio*, duo censentur beneficia, quia licèt illa hanc infallibiliter inferat, potest nihilominùs ex terminis sine ista reperiri, ut si gratia conferatur non peccatori, qualiter Angelis & Protoparenti collata fuit.

537 *Ad* 2. permissâ min. & consequenti, de contritione, ut parte Sacramenti, N. cons. de contritione secundum se ; quæ prout sic, non efficit gratiam ; sed ad illam solùm disponit. *Responderi* etiam potest, non repugnare, contritionem illam procedere à gratia efficienter principaliter, & causare illam efficienter instrumentaliter. Quanvis enim repugnet mutua causalitas, & prioritas in eodem genere causę proximô ; secùs in eodem remotô, ultima siquidem dispositio ad formam, est prior istâ in genere causę materialis dispositivæ, & est posterior in genere causæ materialis receptivæ, dispositio enim, cùm sit accidens,recipitur in composito,adeoquè etiam in forma inadæquatè.

538 Ad Tractatûs complementum, inquires 1. Quô ordine invicèm comparentur ea, quæ ad impii justificationem requiruntur ? Resp. D. Th. hîc a. 8. Ea omnia, tempore quidem esse simul, cùm justificatio non sit successiva;

or-

ordine tamen naturæ, *primum* esse infusionem gratiæ; *secundum*, motum liberi arbitrii in Deum; *tertium*, motum lib. arb. in peccatum; & *ultimum* remissionem culpę. Et rat. est, quia in quolibet motu priùs est motio moventis; deinde dispositio materię, sive motus ipsius mobilis, & postremò terminus; sed in justificatione impii motio Dei moventis est *gratię infusio*, dispositio autem mobilis est *duplex prędictus motus liberi arbitrii*, quos inter præcedit *motus in Deum*, cùm sit ratio detestandi peccatum, terminus denique est *remissio culpæ*: ergo.

539 Dices: Priùs est recedere à malo, quàm accedere ad bonum, juxta illud Psal. *Declina à malo, & fac bonum*: ergo prior est remissio culpæ (pertinens ad recessum à malo) quàm infusio gratiæ (spectans ad boni prosecutionem.) *R.* ex D. Th. ibidem ad 1. Dist. ant. Priùs est, &c. ex parte mobilis, C. ex parte agentis, N. Hîc autem est sermo de infusione gratiæ, & remissione culpæ, consideratis ex parte Dei justificantis: Quâ ratione, prior est infusio gratię: sicut ex parte Solis, priùs est *illuminare*, quàm *tenebras removere*. *Si* autem sumantur ex parte hominis justificati, est econversò, nam priùs est liberatio à culpa, quàm consecutio gratiæ: sicut ex parte aëris, prius est purgari à tenebris, quàm consequi lumen. *Et* hinc habes, qualiter intelligendus sit S. D. dum a. 6. in calce corp. dixit, quòd remissio peccati est cõsummatio justificationis, quia nimirùm, est ultimum in executione actionis (quò executô, cessat motus) & quasi *finis effectus* & *fructus* justificationis, juxta illud Isaiæ 27. *Iste omnis fructus ut auferatur peccatum ejus.*

540 Inquires 2. an justificatio impii sit maximum opus Dei, & miraculosa? *Ad* 1. R. D. Th. a. 9. Quòd quanvis creatio *ex parte modi agendi* sit majus opus, quàm justificatio impii; *ex parte rei factæ* est econversò; quia creatio terminatur ad bonum naturæ mutabilis, justificatio autem ad bonum æternum divinæ participationis, consumatè quidem in patria, inchoatè autem in via. Ubi D. Th. non loquitur de gratia entitativè consideratâ (sic enim quælibet substantia est simpliciter perfectior illâ, ut dicemus Tract. de Charit.)

fit.) Sed loquitur de illa ratione sui ordinis,& participationis,sic enim est participativè natura divina;& ide est maximũ opus Dei,id est,maxima participatio Dei. *Valde* hîc notãda sunt verba Sapientiss. & juxta piisimi Cajet. *Tene* (inquit) *ante oculos die noctuque, & semper, quòd bonum gratiæ est melius,quàm bonũ naturæ totius universi, ut continuò videas dãnationẽ imminentem non estimanti tantũ bonum oblatum. Ad* 2. resp. S. D. a.10. quòd justificatio, ut communiter fit, non est simpliciter miraculosa, cùm non fiat præter communem ordinem divinæ providentiæ supernaturalis, miraculosa autem erit si aliter fiat, sicut in Paulo. Ac de Justificationis Tractatu hactenùs.

TRACTATUS V.

DE MERITO JUSTI.

Ad q. 114.

541 EXPLICATA impii Justificatione, quæ est effectus gratię habitualis,*ut operantis*; differit consequenter Ang. Doct. quæst. ult. 1. 2. de effectu ejusdem gratię, *ut operantis*, seu de Merito Justi. Cujus considerationem decem articulis (quibus illius subjectum, formam, & objectum scrutatur) absolvit. Quia tamen, semèl expositis meriti conditionibus, illius subjectum, & forma, seu principium, innotescant necesse est; duplici tantùm disputatione, brevitatis ergô, Tractatum absolvemus. Sit igitur

☞ (*_*) ☜

DIS-

DISPUTATIO I.

De conditionibus ad Meritum requisitis.

542 LOquitur hîc D. Th. de merito absolutè & strictè tali determinatè; quemadmodùm quæst. 81. disseruit de demerito: non igitur agit acta suprà q. 21. a. 3. & 4. ibi enim de actu humano in communi, tàm meritoriô, quàm demeritoriô locutus est. *Meritum* autem (quod à *mercede* seu *merendo* nomen habet) nihil est aliud, quàm *opus studiosum, cui merces jurè debetur*, dicente Paulô Rom. 4. *Ei qui operatur* (id est meretur) *merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum justitiam.* Hinc in merito concurrunt quatuor, scilicèt, *persona merens, opus studiosum*, seu *ipsum meritum, merces* merito correspondens, & *persona mercedem reddens. Vulgò* dividitur in meritum *de condigno*, & *de congruo*; sed, cùm istud non innitatur justitiæ, sed congruêtię, non est propriè & strictè tale. Exemplum utriusque habetur in milite, cui proprium stipendium exhibetur de condigno; de congruo verò, nobilitatis beneficium. De solo igitur merito de condigno respectu premii supernaturalis, est sermo in præsenti, ad quod diversę, *ex parte operantis, operis*, & *munerantis*, desiderantur conditiones, de quibus dubiis seq. disseremus. Sit igitur

DUBIUM I.

Utrum ad meritum condignum requirantur ex parte merentis status gratiæ, & viæ?

543 COncl. est affirm. & comm. & quoàd 1. p. supponitur à Trid. sess. 6. cap. 16. & can. 32.

Col-

Colligitur ex illo 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ex illo etiam Joann. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis*, nempè, per fidem, & charitatem à gratia indivulsam, juxta communem PP. expositionem. Ratio autem est: quia ad meritum condignum vitæ æternę, non modò opus, sed & persona debet esse isti fini proportionata, ac proinde ad statum filiationis, & amicitiæ divinæ, per gratiam elevata. Hinc Dion. de Eccles. Hier. c. 2. docet, *hominem non posse facere divina, nisi priùs ipse divinus efficiatur.* Quæ ratio probat etiam pro statu naturę puræ.

544 Probat insuper cont. Scotist. & Nomin. quòd nec de potentia Dei absoluta possit homo de condigno mereri vitam ęternam, absque gratia sanctificante, quæcumque illa sit, sive habitualis, sive unio hypostatica, sive visio beata. Improportio enim naturę cum vita æterna, est intrinseca ex natura rei proveniens, quam proinde Deus tollere non potest, nisi infundendo gratiam, quæ est vitæ æternæ radix, constituens hominem proximè capacem illius, adeoquè illam meritum essentialiter exigit. Quanvis ergo carenti gratiâ possit absolutè Deus conferre gloriam, non tamen ut hæreditatem, aut coronam; ad primum enim requiritur essentialiter jus filiationis; ad secundum, jus meriti; utrumque autem ex gratia sanctificante essentialiter pendet.

545 Quoàd 2. verò p. constat ex illo Ecclesiastès 9. *Mortui non habent ultra mercedem* &: *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quò tu properas, quasi dicat* (inquit Hier.) *nihil facies post hãc vitam, dignum præmio.* Unde Joan. 9. dicitur: *Venit nox* (id est, mors) *quando nemo potest operari*, id est, meritoriè laborare. Et ideo *dum tempus habemus, operemur bonum.* Ad Gal. 6. *Ratio* etiam suffragatur, nam cessante viâ, & positò terminô, seu fine possessô, non est ampliùs, quod quis mereatur; & cùm ipsa beatitudo sit naturâ suâ immutabilis, non est conve-

niens,

niens, ut semel obtenta, ulteriùs augeatur, vel minuatur, & quòd beati præmia aliqua accidentalia de novo mereantur, ut docet D. Th. 1. p. q. 62. a. 9. ad 3. quanvis id absolutè non repugnet.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

546 Opp. 1. cont. 1. p. illud Matth. 9. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ubi solam observantiam mandatorum requirit Dominus ad beatitudinis consecutionem, nullâ factâ mentione gratię adoptionis. *Præt.* Potest homo apud hominem mereri, etsi nunquàm ejus gratiam habuerit: ergo potiùs apud Deũ, cujus misericordia & liberalitas infinitè excedit humanam. *Ad* 1. R. quòd licèt ibi solùs observantiæ mandatorum (ad vitam consequendam utique necessariæ) meminerit Dominus; alibi tamen, ut vidimus, necessariam declarat dignitatem operantis, à gratia provenientem, & quę priùs attenditur, quam dignitas operis, ab illa derivata, juxta illud Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad* 2. Resp. D. Th. hîc a. 2. ad 3. disp. esse, quia homo benefaciendi virtutem habet à Deo, non autem ab homine; unde potest quis apud hominem mereri, etsi nihil ab eo acceperit, per id, quod à Deo accepit; secùs apud Deum, nisi per donum ejus, juxta illud Apost. Rom. 11. *Quis prior dedit ei, & retribuetur illi?*

547 Opp. 2. contra eandem: Quia aliàs peccator frustrà bonis operibus incumberet. N. sequelam. *Tum*, quia tenetur in omni statu Deo parêre, illorum praxim præcipienti. *Tum*, quia licèt opera extra charitatem facta, nihil æternum, aut temporale propriè mereantur; *valent* tamen *ad triplex bonum, scilicèt, ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam, & ad assuetudinem bonorum operum*, ut docet D. Th. in 4. d. 15. q. 1. a. 3. qq. 4. *Et* hinc inferes, cont. Araujo, & alios, quòd actus intensus fidei, v. g. elicitus à peccatore, non meritoriè, sed dispositivè duntaxàt concurrit ad augmentum habitûs fidei, quod peccatori datur.

548 Opp. 3. cont. 2. p. Animę beatæ (extra statum viæ utique positæ) pro nobis orant, ut est fidê certum; imò postu-

ſtulant ſui corporis gloriam, ut docet D. Th. 2. 2. q. 83. a. 10. ad 1. ergo & poſſunt ſibi & nobis aliquid mereri, nam ipſa orationis impetratio, eſt quoddam meritum de congruo, quod *impetratorium* vocari ſolet. *Præt.* Elîas, & Enoch, non ſunt propriè in via; & tamen adhuc merentur: ergo. *Ad 1.* N. conſ. nam *meritum* & *impetratio* non ſunt formaliter idem, ſed pluribus differunt, ut ex D. Th. oſtendit Godoy diſp. 37. de Merito Chriſti n. 80. & quanvis in via ſæpè coîncidant, ſecùs in Patria. Beati enim in via meruerunt, ut in Patria pro ſe, & pro nobis, exaudirentur. *Animæ* autem in Purgatorio detentæ, quia quoàd pœnas ſunt inferiores nobis, non ſunt in ſtatu orandi, ſed magis, ut oretur pro eis, ut docet D. Th. ibidem a. 11. ad 3. cui conſonat conſuetudo Eccleſiæ, nunquàm eas deprecantis, ut pro nobis orent. *Patres* autem in Limbo exiſtentes, poterant pro Populo orare, ut de Jeremia conſtat 2. Mach. ult. erant enim Viatoribus planè ſuperiores, utpotè, citrà pœnam damni (utriſque communem) nulli aliæ ſubjecti erant. Vide D. Th. & Cajet. locô laudatô.

549 *Ad 2.* R. incertum omninò eſſe, mereantur, nec nè, quouſque ordinarium viæ ſtatum (Antichriſtum debellaturi) reſumant. *Fortè* nunc non merentur ex ſpeciali Dei ordinatione, ut quibuſdam placet, nec enim ſunt propriè viatores, nec comprehenſores, ſed veluti *æternitatis candidati*, ut loquitur Tertul. l. de reſur. carn. Quòd ſi merentur (ut alii autumant) non inde ſequitur, eorum meritum excedere, imò nec æquare Apoſtolorum merita, & multò minùs Beatiſſ. Virg. Deiparæ, æqualitas enim, vel inæqualitas meritorum, non ex actuum multiplicatione, aut cumulo, pendet; ſed ex majori eorum fervore, & intenſiori gratiæ & charitatis augmento, ad quod breviſsimô tempore perveniri poteſt, cum ex ſola Dei ordinatione, & gratia pendeat.

*** *** ***
*** ***
***

DU-

DUBIUM II.

Utrum ad meritum de condigno requiratur ex parte operis, quòd sit positivum, & liberum, moraliter honestum, & in obsequium munerantis factum, per virtualem saltèm charitatis influxum?

550 CONcl. est affirm. Et quoàd 1. p. est comm. cont. P. Rippalda, & nonnullos. Traditur à D. Th. suprà q. 71. a. 5. ad 1. docens, quòd cùm plura requirantur ad bonum, quàm ad malum; ideo peccatum contingere potest faciendo, & non faciendo; sed meritum requirit, ut quis faciat voluntariè quod debet. *Prob.* insuper, *tum*, quia omissio actûs mali, nec refertur in Deum intrinsecè (cùm indifferens ex se sit, ut benè, vel malè appetatur) nec extrinsecâ operantis ordinatione, cùm supponatur nullum habere actum. *Tum*, quia purâ actûs omissione non tenditur ad beatitudinem, sicut meritô, quanvis ab ea non recedatur. *Quoàd* 2. est diffinita ab Innoc. X. proscribente, ut hæreticam, sequentem Jansenii propositionem: *Ad merendum, & demerendum in statu naturę lapsę non requiritur in homine libertas à necessitate, &c.* quam sæpè explosimus, &, ut hæreticam prædamnaverat D. Th. q. 6. de malo a. unico. Vide to. 2. à n. 154.

551 *Quoàd* 3. est comm. & constat, *tum*, quia in Scrip. solis actibus bonis promittitur merces. *Tum*, quia meritum est proprietas honestatis. *Quarta* autem p. quoàd actus virtutum naturalium, est comm. cont. P. Vazq. Becan. Torr. Merat. & paucos alios. *Quoàd* actus verò fidei, & spei, ac moralium infusarum, est expressa D. Th. D. Bonav. Scoti, Dur. ac reliquorum Veterum, quibus universi Thomistæ subscribunt (unô excepto Serrâ) & ex extraneis Bellarm. Valen. aliique. Ut hinc videas, quô jurê P. Suarez hanc sent. *improbabilem*, & *intollerabilem* appellet. & Henno, oppo-

si-

sitam *probabiliorem* pronuntiet. *Porrò* ex laudatis DD. nullus ad meritum actuum aliarum virtutum, necessarium dicit *formalem* seu *actualem* charitatis *influxum*; nullus, *solum habitualem*, seu *meram habitus concomitantiam*; sed omnes unô ore, requiri asserunt *virtualem*, per actum videlicèt charitatis (seu proximè, seu diù ante elicitum, & moraliter perseverantem) quô, omnes illos in Dei gloriam retulit & obsequium.

552 Prob. autem 1. ex Scrip. in quibus sæpè indicat Christus, se justorum opera remuneraturum, si fiant in nomine & intuitu ipsius, ut Matth. 19. *Omnis* (ait) *qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, propter nomen meum, centuplum accipiet, &c.* Lucæ 9. *Qui recipit unum ex his pusillis, in nomine meo, me suscipit.* Marci 9. *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, non perdet mercedem suam. Præt.* Apost. 1. Cor. 10. & ad Coloss. 3. sedulò monet fideles, ut quidquid faciunt, *in nomine Domini, & in gloriam Dei faciant*: quę particulę relationem in finem ultimum, à charitate præstitum, designant. *Denùm* ad Gal. 5. dicitur, ad salutem valêre solam fidem quę *per charitatem operatur*, seu (ut alia versio habet apud PP. usitatissima) *per dilectionem*, & quidem in Vulgata charitas sæpè significat *dilectionem*, seu *charitatem actualem*, non habitualem, ut in eodem cap. ibi: *Sed per charitatem spiritus servite invicèm*, idest, *per dilectionem*, ut legit Ambros. & jurè; nam subditur: *Omnis enim lex in uno sermone impletur, diliges proximum tuum*: lex autem non præcipit habitum. Et iterùm infrà: *Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, &c.* Fructus autem Sp. S. non habitus sunt, sed actus, ut ostendit D. Th. suprà q. 70. a. 1. Undè etiam in laudatis verbis *fides quæ per charitatem operatur* sumitur pro actu, & ita explicant illa verba universi PP. & Theologi, quorum authoritate roboratur concl.

553 Prob. deinde ex D. Th. q. 2. de verit. a. 11. ad 2. & 3. docente: Quòd dum quis *ordinat se in Deum, ut in finem, in omnibus quę propter se ipsum facit manet virtute intentio ultimi finis; unde in omnibus mereri potest, si charitatem habeat;*

beat; & hoc modo præcipit Apoſt. quòd omnia in gloriam Dei referantur. Et ſubdit ad 3. *Quòd referre omnia virtualiter in Deum, cadit ſub præcepto charitatis, & non ſolùm habitualitèr, quia virtualiter referre, eſt agentis propter finem ordinantis in Deum. Præt.* hîc a. 4. ait: *Meritum vitæ æternæ primò pertinere ad charitatem, ſecundariò ad alias virtutes, quatenùs imperantur à charitate.* Et ad 3. *Fidei actus* (inquit) *non eſt meritorius, niſi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Gal. 5. ſimiliter actus patientię & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex charitate operetur.*

554 Reſpondet Henno, loqui D. Th. de charitate habituali, adducit enim illud 1. Cor. 13. *Si tradidero, &c. charitatẽ autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, ubi ſermonem eſſe de charitate habituali, *ſenſus eſt* (inquit) *omnium Interpretum.* Sed quid inanius? Sermo quidem eſt de habitu charitatis, non tamen otiosô, ſed eliciente amorem Dei, & proximi; ſeu de ipſa dilectione, habitum ſupponente, & quâ fides, eleemoſyna, martyriumque, ordinantur ad finem charitatis, & hæc eſt mens Apoſt. juſta omnes PP. & Exp. quorum plurima teſt. adducit M. Serna hîc & contextus ipſe demonſtrat: De illa enim charitate loquitur ibi Apoſt. de qua c. ſeq. concludit: *Sectamini charitatem*; ſed hæc eſt actualis, præceptum enim aut conſilium non eſt de habitibus: ergo. De hac igitur, ſeu de habituali, non otioſa, ſed operante, loquitur etiam Ang. D.

555 Prob. tandem rat. Nequit opus eſſe meritorium, niſi fiat (non modò ex fine operis, ſed etiam ex fine operantis) in obſequium munerantis, juxta omnes; ſed non ita fit in obſequium Dei (gloriâ muneratis) quod in Deum non ſic refertur; nec in Deum ſic quidpiam refertur ſine virtuali ſaltèm imperio charitatis, quæ ſola finem ultimum reſpicit: ergo. *Præt.* Infidelitas & ſtatus peccati, concomitans opera naturalia moraliter honeſta, ea non vitiat, niſi in pravum referat finem, ut ſæpè dictum eſt, contra Bajanos: ergo pariter gratia & charitas, bona opera concomitans, non illa dignificat, aut meritoria reddit, niſi ea referat (ſaltèm virtualiter) in ultimum finem.

nem. *Et* quidem nihil esse potest meritorium vitæ æternæ, nisi supernaturale sit, saltem quoàd modum, cùm debeat esse ejusdem ordinis cum præmio; nullum autem opus naturale moraliter honestum, fieri potest supernaturale quoad modum, ex sola charitatis concomitantia, & sine virtuali saltèm illius influxu: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

536 Opp. 1. cont. 1. p. concl. Pura omissio boni, potest esse demeritoria, juxta probab. opin. ergo & omissio mali, meritoria. *Præt.* Eccles. 31. laudatur & beatificatur ille, *qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit;* & additur: *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino*: ergo in omissione mali, potest esse meritum. *Tandem* D. Th. 2.2. q. 79. a. 1. docet ex Phil. quòd *declinare à malo*, & *facere bonum*, sunt duæ partes universalis justitiæ: ergo in utroque reperitur meritum, justitiæ respondens. *Omissa* solut. asserentium, non posse omissionem esse voluntariam, ob defectum obligationis ponendi oppositum (id enim rejecimus t.2. à n. 189.)

557 R. ad 1. N. cons. *tum* ob dicta n. 546. ex D. Th. *Tum* propter ea, quæ docet 2.2. q. 79. a. 1. ad 2. *Dicendum* (inquit) *quòd declinare à malo, secundum quòd ponitur pars justitiæ, non importat negationem puram, quod est, non facere malum (hoc enim non meretur palmam, sed solùm vitat pœnam) importat autem motum voluntatis repudiantis malum, ut ipsum nomen* declinationis *ostendit. Et hoc est meritorium, præcipuè quando aliquis impugnatur, ut malum faciat, & resistit.* Pura igitur omissio mali (quanvis libera & voluntaria admittatur) meritoria esse non potest. *Et* per hæc patet *ad* 3. & etiam *ad* 2. quia non est sermo de pura omissione mali, sed de imperatâ à charitate, firmante voluntatem in bono, nè deducatur in malum. Argumenta cont. 2. p. soluta manent t. 2. à n. 160.

558 Opp. 2. cont. 3. p. Quia Exodi 1. dicitur, Deum ædificasse domos obstetricibus, quæ mentitæ sunt Pharaoni, nè perirent parvuli Hebræorum, ubi Greg. ait: *Quòd culpa mendacii terrenam recompensationem accepit.* Similiter re-

remunerata est à Deo Raab meretrix, quæ mendacio exploratores liberavit. *Præt.* Romani Imperium à Domino acceperunt, ob bona sua opera, ex inani gloria ab ipsis facta, juxtà Aug. 5. de Civit. c. 15. ergo. *Argumentum* procedit de merito præmii temporalis, & naturalis: sed nihil refert, conditio enim quam impugnat (sicut & duæ præcedentes) generalis est ad omne meritum. *R.* autem, illud locum non habere in sententia quam defendimus to. 2. à n. 365. excludente mixturam boni & mali in eodem actu. *Admissa* tamen oppositâ, adhuc neganda est actui illi ratio meriti; quia ad istam requiritur honestas actûs, nedùm ex objecto, sed etiam, ut procedit ab operante; præmium enim non merito datur, sed merenti.

559 Dicendum igitur, mercedem illam, obstetricibus & meretrîci collatam, non mendacium respexisse, sed opus undequaquè honestum, & præcedens tempore mendacium: De illis enim dicitur Exodi 1. 21. *Et quia timuerunt obstitrices Deum, ædificavit eis domos*; de meretrice autem dicitur ad Hebr. 11. *Fide Raab meretrix non periit.* Unde Aug. l. cont. mendacium c. 15. sic de utrisque loquitur: *Restat itaque ut intelligamus, illis mulieribus, vel in Ægypto, vel in Jericò pro humanitate & misericordia redditam fuisse mercedem, utiquè temporalem. Romanis* pariter contulit Deus Orbis imperium propter opera undequaquè honesta, & nullâ pravâ circunstantiâ vitiata. Aug. autem loquitur de inani gloriâ subsequente opera, quantunvis undique honestè facta, quæ ista non vitiat; sæpè enim contingit, actus adæquatè honestos, esse objecta actûs pravi, à quo tamen in executione non procedunt, ut sæpè diximus. Vide to. 2. n. 379. & 625.

560 Opp. 3. cont. 4. p. ex P. Vazq. Scrip. S. sæpè testari, Deum quodcumque opus bonum, etiam acquisitum (ut opera misericordiæ) gloriâ muneraturum, nullâ factâ mentione imperii charitatis; ut videre est Math. 10. 12. & 25. *Idem* præt. constat ex Trid. sess. 6. c. 10. & 16. & insuper sess. 14. c. 8. dicitur: quòd *dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu conformamur*; sed constat, nos satisfa-

facere per opera pœnalia bona, etiamsi à charitate non imperentur: ergo. *R.* mercedem gloriæ promitti in Scrip. bonis operibus, *quæ fiunt in nomine Christi, aut propter Christum*, aut *in gloriam Dei*, ideſt, relatè ad gloriam Dei, ſeu finem ſupernaturalem, ſaltèm virtualiter, ut dictum eſt n. 548. *Et* ſanè Jacobi 1. non repromittitur patientiæ martyrii (inter maxima opera jurè connumeratæ) niſi ratione dilectionis. *Quam repromiſit* (inquit) *Deus diligentibus ſe.*

561 Nec aliud docet Trid. nam 1. locô ait: *Creſcunt juſti in juſtitia, cooperante fide bonis operibus.* Fidê ſcilicèt, formatâ, & per dilectionem operante. *Cap.* autem 16. docet, juſtos mereri *bonis operibus in Deo factis*, quibus verbis idem motivum deſignatur, ac iſtis, *in nomine Christi. Mitto*, quòd loquitur de bonis operibus *theologicè*, morê veterum CC. & PP. qualiter ſola opera perfecta, & charitatê formata, dicuntur ſimpliciter & abſolutè bona; quanvìs *philoſophicè* loquendo, alia ſint & dicantur ſimplicitèr bona. Unde arg. favêre non poteſt P. Vazq. Vide dicta to. 2. n. 708. *Ad ult.* in primis N. min. ait enim C. per talia opera *nos effici conformes Chriſto, qui pro nobis ſatisfecit*; quod ſine charitate non fit. *Deinde* datâ min. n. conſ. Meritum enim non exigit primò & per ſe ſolutionem pœnę, ſicut ſatisfactio; ſed obſequium liberum per actum bonum erga Deum, adeoquè ex debito fine procedens.

562 Opp. 4. D. Th. q. 2. de malo a. 5. ad 7. & in 2. d. 40. q. 1. a. 5. alibique, docentem, quòd *in habentibus charitatem & gratiam, omnis actus deliberatus debet eſſe meritorius, vel demeritorius*; ſed actus moraliter honeſti non ſunt demeritorii in juſto, quanvìs deſit charitatis influxus: ergo. Unde, ult. locô ad 3. ait S. D. *Qui intendit caſtitatem ſervare, etiamſi nihil de charitate cogitet, conſtat quòd meretur, ſi charitatem habeat.* *R.* laudatam D. Th. Doctrinam verificari, non quidem ob meram gratiæ & charitatis concomitantiam; ſed quia omnis actus moraliter bonus ab homine juſto elicitus, refertur ad Deum ultimum finem virtutê primi actûs charitatis, eliciti initiô juſtificationis, moraliter

perseverantis, utpotè non retractati peccatô lethali, juxta dicta ex S. D. n.549. Quod etiam verificatur in justificato per Sacramentum cum attritione; recipit enim iste cum gratia habitum charitatis, præbentem posse & maximam inclinationem ad Dei dilectionem; in quam proinde (si impedimentum absit) statim ille prorrumpit, cujus propositum & intentionem jam per attritionem habebat; nova siquidem & melior vita (cujus propositum includit attritio juxta Trident.) in dilectione, quę est legis plenitudo, consistit.

563 Dices, inde sequi 1. nullum fore in justo actum otiosum, cùm nullus careat debitô fine. *Secundò*, omnia infidelium & peccatorum opera, esse demeritoria, quia ratione primi peccati, reliqua in illius finem forent relata. *Demùm*, unicam intentionem conficiendi Sacramenta, duraturam, per totam vitam; sed hæc omnia sunt absurda: ergo. *N.* triplicem sequel. Ad prob. 1. R. actum otiosum esse venialitèr malum, ob finîs proximi malitiam; adeoquè non est in ultimum per charitatem referibilis. *Ad* prob. 2. N. ant. quia peccatum non refert omnia peccatoris opera in pravum finem; nisi adeò perversa foret hujus intentio, quòd omnia in malum finem aut Idôlum referre vellet: tunc enim eâdem esset utrobique ratio. *Ad* prob. ult. R. disp. esse, quia intentio conficiendi Sacramenta, si diù præcesserit, nec apponantur media ad talem finem, censetur retractata: Justus autem sæpè apponit media cõducentia ad finem præintentum per primam dilectionem, cujusmodi sunt omnes illius operationes rectæ, in quarum proinde immediata elicientia, prima illa charitatis intentio seu relatio, virtualiter & moraliter perseverât.

564 Et hinc corruut reliqua Vazq. & alterius sententiæ fundamenta: Cùm enim omnes actus honesti hominis justificati, tàm naturales, quàm supernaturales, referantur in Deum (saltèm *virtualiter*) à charitate; nullus fraudabitur præmiô æternô. Quòd si à charitate non imperentur; nec tunc fraudarentur mercede suâ, quia si non fiunt à charitate, nihil eis debetur; nihil enim est dignum Deô (qui

est

est præmium nostrum) nisi quod fit propter Deum, qui *non quantum* attendit, sed *ex quanto*, nec *tàm censum* æstimat, quàm *affectum*. Nec *pretium dati*, sed *affectus dantis* facit opus dignum mercedê. *Accedit*, quòd omnes actus virtutum moralium infusarum, præsupponunt charitatis actum, sicut earum habitus habitum charitatis, juxta dicta to. 2. n. 717. Actus autem supernaturales (quos circa earum materiam peccatores eliciunt) non à gratia, sed ab auxilio supernaturali transeunte procedunt. Actus demùm fidei & spei non attingunt Deum ut in se bonum, nec in ejus referuntur obsequium; nec proinde merentur, donec charitatis formentur imperiô.

565 Ad pleniorem dictorum intellig. scito ex D. Th. 1.p. q. 95. a.4. alibique; imò *ex communi sent. SS. & DD. in Theologia* (ut loquitur Sanctiss. Patronus meus D. Vincentius Ferrerius Ser.4. Dom. in Septuag. & planè convincit M. Serna a.4. dub. 2.) *prœmium essentiale beatitudinis, soli charitati deberi; reliquarum autem virtutum actibus, (etiam à charitate imperatis) attenta bonitate eorum specifica, solum præmium accidentale respondere.* Et ita expressè docent (ultra laudatos) D. Bonav. Lyra, Burg. Carthus. Maldon. Bañez, Ferre, Gonet, Serra, & communiter Thomistę: Unde contemnenda est censura, quâ P. Suarez sent. hanc inurit. *Pro* illius autem penitiori captû, sciendum, quòd in actu fortitudinis infusæ, v.g. à charitate imperatô, duplex datur bonitas: altera specifica fortitudinis, altera ab imperio charitatis derivata. Quanvis autem fidê certum sit, præfatum actum adæquatè sumptum, meritorium esse præmii essentialis; illud tamen non per utramque bonitatem attingit. *Præmium essentiale* vocamus Dei visionem, amorem, & gaudium (tam quoàd substantiam, quàm intensionem inspecta) quod *Aurea* dici solet. *Accidentale* verò dicitur, quidquid (præter hæc) donatur in præmium, ut *Aureolæ* Martyrum, &c. de quibus to.2. à n.105. *Intensio* autem gratię & charitatis in via, ad *præmium essentiale* reducitur, quia illi respondet in patria, visionis, amoris, & fruitionis, augmentum.

*** ***

DU-

DUBIUM III.

Utrum ad meritum condignum gloriæ, requiratur ex parte munerantis „ ordinatio divina, & qualis?

566 PRima concl. est affirm. & D. Th. hîc a. 1. cõmuniter recepti, dicentis: *Meritũ hominis ad Deũ esse non potest, nisi secundũ præsuppositionem divinæ ordinationis.* Colligitur ex illo Math. 20. *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, &c.* nomine enim *denarii diurni* intelligitur Beatitudo Æterna, juxta PP. & nomine *conventionis* significatur ordinatio divina, ut docet C. Senon. in decreto fidei cap. 16. Colligitur etiam ex Trid. sess. 6. cap. 16, *Proponenda est* (inquit) *vita æterna, tanquàm merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Accedit* etiam ratio, quia cùm opera nostra sint pluribus titulis Deo debita, nullum jus posset homo habere ad præmium, si Deus ea non ordinasset ad illud. *Et* quidem, defectû hujus ordinationis, non merentur animæ beatæ, aut in Purgatorio detentæ. *Hinc* Aug. in Psal. 83. *Debitorem Deus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo.* Et D. Th. hîc a. 1. ad 3. *Deus non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, inquantùm debitum est, ut sua ordinatio impleatur.*

567 Secunda concl. *Ad præfatam ordinationem, nulla (ex terminis & absolutè) requiritur promissio divina, aut pactum; sed sufficit, & requiritur decretum gloria munerandi opera gratia informata, & in Dei obsequium facta.* Dicimus *ex terminis & absolutè*, quia certum est, Deum in hac providentia reverâ promisisse vitam æternam, &c. juxta illud Jac. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Et ad Tit. 1. *In spem vitę æternę, quam promisit qui non mentitur Deus.* Hòc supp. Prob. concl. quoàd 1. & 2. p. Ad meritum enim de condigno sufficit condignitas sive

æqua-

æqualitas inter opus & præmium, jusque in merente ad præmium, ita, ut sit illi debitum & infallibiliter conferendum, si perseveraverit usque in finem; sed primum habetur per gratiam (radicantem gloriam, juxta illud Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna*) adeoquè indepenter à tali promissione, imò decreto, (ut cont. Scotistas & Nomin. communiter defenditur) Ad secundum autem sufficit præfatum decretum, cùm istud (omni promissione seclusâ) reddat infallibiliter futuram mercedem: ergo. *Et* hinc etiam constat 3. p. Futuritio enim præmii non stat absque decreto, juxta dicta in Tract. de Scientia futurorum.

568 Authores requirentes promissionem & pactum ad meritum de condigno, non aliud fortè intendunt, quàm, quòd voluntas de reddendo præmio, innotescat aut reveletur hominibus, ut constabit attentè legenti M. Labât, aliosque. Quod quidem verum est; saltèm ut præmium credi & sperari possit, & juxta hanc providentiam, juxta quam est necessarium ad salutem credere de Deo *quia est*, & *quia remunerator est*, ut dicitur Hebr. 11. quanvis absolutè ex terminis, & præscindendo ab hac providentia, possent homines fieri æternâ mercede digni, etiamsi hujusmodi decretum ignorarent, ut ipse M. Labât ultrò fatetur. Cæterum, quanvis ad meritum necessaria omninò foret revelatio, aut manifestatio talis decreti; hæc tamen nequit (nisi impropriè) vocari *promissio*, & multò minùs *pactum*, juxta dicta t. 2. à n. 926.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

569 Opp. 1. con. 1. D. Th. suprà q. 21. a. 4. docentem, actum humanum (inquantùm est bonus, vel malus) esse meritorium, vel demeritorium apud Deum; sed actus est bonus, absque ordinatione Dei ad præmium: ergo. *Præt.* Peccans meretur pœnam, seclusâ omni ordinatione peccati in illam: ergo pariter. *Præt.* Opus informatum gratiâ & charitate, est dignum gloriâ independenter ab ordinatione Dei: ergo & meritorium illius. *Denùm*: Ad meritum apud homines, non requiritur hujusmodi ordinatio præmiantis: ergo pariter. *Ad* 1. R. D. Th. intelligendum

dum esse, si adsint reliquæ conditiones ad meritum. *Ad 2.* R. ex D. Th. in 4. d. 25. q. 1. a. 3. qq. 1. ad 3. disp. esse, quia opus, quantumcumquè bonum, fundare nequit jus ad præmium, nisi Deus velit pro suo beneplacito acceptare illud in ordine ad præmium, cùm sit ipsi multis aliis titulis debitum; peccatum verò, (ex se ipso pœnâ dignum) cùm ad nihil aliud referri valeat, illam ex se mereri potest, absque ulla ordinatione divinâ; imò hæc necessaria est, ut illam defacto non mereatur: sicut defacto illam non merentur peccata damnatorum, juxta D. Th. 2.2. q.13. a.4.ad 2. Deô sic ordinante. *Hinc* patet, perperàm vulgò negari ant. Nec enim necessaria est ordinatio Dei, ut peccatum mereatur supplicium; imò necessaria est, ut illud non mereatur.

570 *Ad* 3. N. conf. *vel* dist. ant. clarit. ergô. Est dignum gloriâ, quoàd æqualitatem valoris cum illa, C. quoàd jus ad illam, N. ad hoc enim requiritur decretum, sive ordinatio divina, propter dicta. *Ad ult.* R. disp. esse. Quia homines, quantunvis supremi Principes, subjiciuntur legi naturali ad dignè distribuendum; & omnia, quę in eorum fiunt obsequium, non sunt aliàs ipsis debita; ideoque, absqne ulla eorum ordinatione, inducitur jus meriti apud ipsos. Cæterùm omnia opera nostra sunt multis titulis debita Deo, qui nullam aliàs habet supra se legem; ideoque nullum jus apud ipsum (nisi ipsô ordinante) habere possunt.

571 Opp. 2. cont. 2. CC. Trid. Senon. & Mogunt. expressè docêre, justorum opera habere rationem meriti ex divina promissione: ergo. *Præt.* Meritum condignum apud Deum, respicit mercedem *ut debitam*, & Deum *ut debitorum*, cùm obtineat jus, illam apud istum exigendi, juxta illud Cypr. l. de opere, & eleem. in fine, *qui meretur Christum Judicem, Deum computat debitorem.* Et illud Aug. in Psal. 89. *Indulgentiam donavit, coronam reddet; donator est indulgentiæ, debitor coronæ*; sed Deus, cùm sit supremus omnium Dominus, solâ promissione fieri potest debitor, *Debitor factus est* (inquit Aug. Ser. 16. de verbis Apost.) *non*

ali-

aliquid à nobis accipiendo, sed, quod ei placuit, promittendo. . . illo ergo modo possumus exigere dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti: ergo. Et quidem Christus D. Matth. 20. totam rationem *debiti* poluit in conventione: *Nonne* (inquit) *ex denario diurno conveniisti mecum? tolle quod tuum est, & vade.*

572 *Ad* 1. R. CC. loqui de facto, & secundum præsentem prov. non verò in casu quô Deus non promiserit, sed decreverit, præmium se daturum, de quo est quæst. *Ad* 2. N. maj. quoàd 2. p. *vel* dist. illam: Respicit Deum, ut debitorem *merenti*, N. *sibi ipsi*, subd. ex justitia, N. ex sua ordinatione C. & N. min. Itaque, cùm Deus *reddat debita nulli debens* (ut rectè Aug. ait) nec sibi, nec hominibus prœmium debet: efficicitur autem *debitor sibi, inquantùm debitum est, ut sua ordinatio impleatur*, ut ait D. Th. hîc a. 1. ad 3. quod quidem sufficit ad meritum nostrum apud ipsum, reddit enim prœmium infallibiliter futurum, tametsi illud non promiserit; Deus enim *negare se ipsum non potest*, ut dicitur 2. ad Timoth. 2. Nec aliud intendunt laudati PP. *Et* hinc videas, ferè nullam esse hanc quæst. nisi de solo nomine; quæ tamen celebris effecta est Theologorum contentione non intelligentium voces aliorum, ut notat M. Serna n. 1164.

573 Inquires: Utrum Deus prœmia meritis retribuat ex sola justitia distributiva? R. affirmativè cum D. Dion. c. 8. de div. Nom. & D. Th. ibi lect. 4. & 1. p. q. 21. a. 1. alibiquè sæpè, quibus universi Theol. subscripsêre ante Suarez, & Vazq. qui in extremas abiêre sent. Suarez enim asserit, Deum merita nostra ex justitia commutativa munerare; Vazquez autem, ex nulla stricta justitia, nè distributivâ quidem: Et alter alterius sententiam pugnacissimè rejicit, veluti novam, & quam nullus anteà Theologus ausus sit concedere, ut videre est apud Vazquez 1. p. d. 85. c. 2. & hîc disp. ult. c. 1. & apud Suarez lib. 12. de grat. c. 33. n. 12. Uterque autem in suam declinavit sent. ut Lutheranorum, & Calvinist. vitaret errorem, negantium meritum propriè tale hominis apud Deum: quasi ad catholicam fidem pro-

pu-

pugnandam, opus sit à communi Theolog. sent. recedere.

574 Ut autem evidenter appareat, utrumque trepidasse ubi non erat timor, sciendum est, Communem & Ang. M. hîc a. 1. docêre, *meritum hominis apud Deum, non esse simpliciter tale, quia inter utrumque nequit esse simplicer justum, ob maximam eorum inæqualitatem; sed solùm secundum quid, nempè, secundum præsuppositionem divinę ordinationis, ita scilicèt, ut id homo consequatur à Deo per suam operationem quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit.* Hæc sanè Angelica Doctrina fuit præfatis DD. lapis offensionis, ut eos legenti constabit, utrique enim visum fuit favêre illam Novatorum errori; ob quem vitandum, Suarez *justitiam commut.* à D. Th. Deo denegatam, tribuit. Vazquez autem contendit, nullam ad meritum requiri justitiam propriam; ideoque negat Deo *distributivam*, à D. Th. assertam.

575 Sed satiùs fuisset, detege ęquivocationem adverbii *simpliciter*, quod bifariàm sumi, nullus ambigit: Interdum enim sumitur pro *absolutè, verè, propriè*, & *sine addito diminuente*, aut *alienante*: aliquando verò, pro *perfectè, completè*, & *omnibus modis*. Igitur S. D. suprà q. 21. a. 4. propugnat, meritum justi erga Deum, esse *simpliciter* tale, sumptô ly *simpliciter* in primo sensu. Et hæc est profectò Doctrina Catholica, diffinita in Trid. sess. 6. cap. 16. adversùs Lutheranos, & Calvinistas. Hîc verò asserit, *meritum nostrum erga Deum, esse non posse simpliciter tale*, sumptô ly *simpliciter* secundô modô, idest, *completè, perfectè*, & *omnibus modis*, qualiter inter homines esse potest: id quod ratione suprà insinuatâ planè demonstrat. Omnia igitur constant, nec ulla fuit à communi sententia recedendi occasio data. Hôc igitur supp.

576 Prob. resol. In primis enim, munerare Deum Sanctorum merita ex justitia, constat ex illo 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dom. in illa die justus Judex*; non foret enim *corona justitiæ*, nisi Deus ex justitia redderet præmium, qui purâ misericordiâ largitus

est

est gratiam. *Deinde* gratitudo, cùm respiciat benefactorem *ut superiorem*, æquè Deo repugnat, ac *religio*, *pietas*, & *observantia*. Quòd si Vazquez solam gratitudinem latè acceptâ asserat Deo, quâ remuneret merita justorum, nihil tandè resolvit; restat enim inquirendum: quænam sit hæc virtus, quę appellatur *gratitudo* in latâ acceptione? *Tandem*: Si, quod ex fidelitatê redditur, esset *præmium*, *merces*, & *corona*; talis essent Incarnatio Verbi, & peccatorum remissio, cùm illa fuerit promissa antiquis PP. hæc verò convertentibus se; quod tamen nefas est dicere, cùm utraque sit purè gratuita, nec sub merito condigno cadere possit: ergo Deus coronat justorum merita, ex sola justitia; sed non commutativâ, fundatâ *in dato*, & *accepto*, adeoque Deo repugnante, cùm ipse à nullo accipiat, juxta illud Apost. *Quis prior dedit, & retribuetur ei*? ergo ex sola distributivâ.

577 Si quando verò Scrip. & PP. *justitiam commut.* Deo tribuere videantur; non illius *essentiam* indicant, sed *modum* & *similitudinem* duntaxàt: *servatur* quippè *proportionis quędam æqualitas inter Deum dantem*, & *creaturam recipientem, inquantùm scilicèt, ita se habet ad suam superabundantiam, sicut creatura ad id quod competit ei, secundum suam parvitatem*; & *sic quidam modus commutativæ invenitur in Deo respectu creaturæ*, inquit D. Th. in 4. d. 46. q. 1. a. 1. qq. 1. Quapropter 2. 2. q. 61. a. 4. ad 1. docet, in divino judicio servari *formam commutativę justitię*, tàm in reddendo præmio pro meritis, quàm suppliciô pro culpis; dat enim unicuique, juxta opera sua.

578 Reliqua arg. in oppositum, facilè solves, si præ oculis habeas 1. discrimen inter obligationem justitiæ commutativę & distributivæ. *Obligatio* commutativę nascitur in uno, ex jure alterius secundum æqualitatem; unde uterque invicèm comparatur ut persona particularis, ex æquo obligata. *Obligatio* verò distributivæ non oritur in distribuente, ex jure inferiorum; nec enim habent jus *in re* ad bona distribuenda, sed jus *ad rem*, juxta proportionem dignitatis cujusque: oritur ergo obligatio ex ipsa ordinatione distribuentis circa bonum commune; quæ quidem ordinatio, in-

fe-

ferioribus Gubernatoribus imposita est per legem naturæ, vel pactum cum ipsa Communitate. In Deo autem ex sola sua voluntate descendit; adeoque sibi soli fit debitor, quatenùs debitum est, ut suam ipse ordinationem impleat, qui eam liberrimè præfinivit; unde, si nostra merita non muneraret, nullam nobis injuriam faceret.

579 *Secundo*, quòd licèt non omne pretium sit præmium (ut patet de pretio quod redditur pro labore brutorum) præmium tamen est quoddam pretium; denarium enim, redditum in pretium laborantibus in vinea, Math. 20. dicitur merces. *Tertiò*, quòd retribuens ex justitia distributiva (& maxime Deus) *respicit affectum dantis*, non quatenùs exhibet aliquid spontè & gratis (sic enim à gratitudine consideratur) sed quatenùs opus, tali affectû factum, reddit operantem dignum aliquô præmiô distribuendô. *Quartò*, quòd opus factum in obsequium personæ privatæ, si debitum non sit, *beneficium* est, cujus remuneratio, seu retributio dicitur *antidoralis*, fitque ex gratitudine, quæ propterea Deo repugnat. *Quibus* rectè perpensis, omnes utriusque extremę sententiæ objectiones penitùs evanescunt, quin opus sit eas proponere, & morem gerere modernis Theol. fusissimè quęst. istam versantibus.



DIS-

DISPUTATIO II.

De objecto Meriti, seu de his quæ sub merito cadunt.

DUBIUM I.

Utrum homo possit sibi, vel alteri, mereri de condigno primam gratiam?

580 SUpp. ex dictis, posse hominem in gratia constitutum, de condigno promereri vitam æternam; id quod D. Th. ostendit a. 3. & diffinit Trid. sess. 6. cap. 16. & can. 32. *Supp.* deide, non posse hominem sibi mereri primam gratiam actualem, ne quidem de congruo, juxta dicta suprà à n. 440. & constat ex Trid. sess. 6. c. 7. ubi dicitur, exordium nostræ justificationis desumi à vocatione Dei, *qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur*, &c. ubi particula illa negativa, omne prorsus meritum (etiam congruum) videtur excludere. Fallitur autem enormiter M. Serna dùm hîc n. 1289. asserit, *D. Thomam docere primam gratiam*, seu actualem, seu habitualem (de utrâque enim âutumat n. præcedenti, loqui S. D.) *posse cadere sub merito de congruo operum naturalium.* Et postquàm litteram a. 3. & 6. hujus quæst. allegat, concludit: *Ac proinde in bonis operibus naturalibus, recognoscit D. Th. in hac q. meritum de congruo respectu primæ gratiæ supernaturalis.*

581 Sed hoc, sôla utriusque articuli lectione refellitur: loquitur enim apertè S. D. de opere, quod est meritorium re ipsâ de condigno præmii supernaturalis; quod proinde nullus, nisi pelagianus, *opus naturale* dicere audeat. Considerat autem illud S. D. secundum diversas formalitates,

tes, nimirùm, & ſecundum ſubſtantiam operis, ſeu quatenùs procedit ex libero arbitrio (non quidem nudè ſumptô, ſed adjutô gratiâ actuali, ſeu habituali *ut auxiliante*, ut liquet, & optimè notat Mag. Nicolai in marg.) & ſecundum quòd procedit ex gratia Spirit. S. Et ſub hac ſecunda conſideratione, affirmat, eſſe tale opus *meritorium de condigno*; ſub prima autem, ſolùm *de congruo*: *Videtur enim congruum* (inquit) *ut homini operanti ſecundum ſuam virtutem* (non quidem purè naturalem, ſed elevatam auxiliô gratiæ) *Deus recompenſet ſecundum excellentiam ſuæ virtutis*, ſeu, (ut loquitur a. 6.) *ſecundum ſuperexcellentem virtutem, excellentiùs operetur.* Vide Ferrar. 3. cont. Gen. c. 149. & M. Lemos t. 3. p. 2. tract. 2. c. 37.

582 In 2. autem d. 27. a. 4. ad 4. non tribuit actibus naturalibus *meritum congrui* reſpectu gratiæ (quidquid dicat laudatus M.) ſed diſponentibus ad illam: *Sed tamen habent* (inquit) *aliquam diſpoſitionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodammodò ex congruo gratiam mereri.* Ecquis autem dicat, actum naturalem *eſſe diſpoſitionem*, nè *remotam* quidem, ad recipiendum gratiam? In a. autem 6. in corp. loquitur de eiſdem actibus gratiam præcedentibus, & ad illam *præparantibus*, & *diſponentibus*. Nec refert (ut legenti conſtabit) quòd ibi ſolut. ad 4. meminerit *actuum* purè *naturalium*. *Meritum* autem *congrui*, quod ibi & alibi tribuit S. D. actibus ſupernaturalibus, diſponentibus ad primam gratiam habitualem, non eſt *ſtrictum* (quod importat jus amicabile) ſed *latè acceptum*, pro qualibet connaturali habitudine, quam verè dicit diſpoſitio ad formam, cùm hanc connaturaliter exigat. Vide M. Serra in præſenti. *An* autem *prima gratia radicalis*, ſeu, *Incarnatio Verbi*, (quæ eſt prima radix ſeu principium omnis meriti) ſub merito cadere poſsit? Reſolvitur 3. p. q. 2. a. 11. Nunc autem, de merito condigno ſolîus primæ gratiæ habitualis diſceptamus. Quô ſupp.

583 Concl. eſt neg. Et quoàd 1. p. videtur fidê certa ex illo Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Ex C. Araus. can. 17. diffiniente, charitatem eſſe *donum Dei diffu-*

ſum

sum in cordibus nostris, nullis ex parte nostra præcedentibus meritis. Et ex Trid. sess. 6. cap. 8. sic laudata Apost. verba exponente: *Gratis justificari ideò dicimur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Prob.* deinde rat. D. Th. hîc a. 5. Sub merito enim condigni non potest cadere gratia, quatenùs donum gratuitum est, juxta illud. Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Nec etiam considerata secundum naturam ipsius rei donatę; quodvis enim opus, illam præcedens (seu naturale sit, seu imperfectè supernaturale) & est improportionatum gratiæ (quę est forma supernaturalis perfectissima) & elicitur à peccatore: Opera autem primam gratiam subsequentia, sunt effectus ipsius gratię: ergo.

584 Hinc S. D. q. 29. de verit. a. 6. ait: *Meritum est causa præmii secundum reductionem ad causam efficientem; id autem quod est causa per modum efficientis, nullo modo potest esse posterius tempooe eo cujus est causa; unde non potest esse, quòd aliquis mereatur quod jã habet.* Ac si dicat: Nulla causa efficiés est posterior tẽpore suô effectu; sed omne meritum est causa efficiens præmii: ergo nullũ meritum est posterius tempore præmiô: ergo implicat, quòd aliquis mereatur quod jam habet. *Et* hinc vulgatum illud: *Principium meriti non potest cadere sub merito.* Quod maximè verum est de principio valorante, cujusmodi est gratia justificans. De quo latiùs, Deo dante, in Tract. de Incarn. *Quoàd* 2. verò p. prob. concl. ex D. Th. a. 6. Quia meritum de condigno debet esse ex motione divinæ gratiæ, ultra quam proinde extendi non potest; at nullus justorum, præter Christum, movetur à Deo per donum gratiæ, nisi ut ipse perveniat ad vitam æternam, solîus enim Christi gratia est *capitualis*, reliquorum verò *adoptionis*: ergo.

585 *Sed merito congrui* (subdit S. D.) *potest aliquis alteri mereri gratiã primã: Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est, secundum amicitię proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius; licèt quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis*

quis S. justificationem desiderat. Quibus loquitur de merito congrui strictè sumptô, cùm innuat jus quoddam amicabile. *Profectò*, astantium fidê permotus Christus, remissionem peccatorum spopondit Paralytico, Matth. 9. & Lucæ 5. & Stephani orationi Paulum Deus largitus est. Et filius lacrymarum S. Monicæ, Augustinus, perire non potuit, juxta Ambrosii vaticinium. Unde Jac. 1. dicitur: *Orate pro invicèm, ut salvemini, multùm enim valet oratio justi assidua.* Nullus autem potest sibi ipsi primam gratiam sic de congruo promereri, sed solùm *latè* & *impropriè*, juxta dicta n. 577. Unde D. Th. in 2. d. 27. q. 1. a. 6. postquàm dixit, quòd *nullus* (præter Christum) *alteri ex condigno meretur, sed solùm ex congruo*, subdit: *Ita tamen, quòd est hic plus de ratione meriti, quàm quando aliquis dicitur, sibi mereri gratiam ex congruo.* Ideoque a. 4. præced. ad 4. signantèr dixerat, hominem actibus, quibus disponitur ad gratiam, *quodammodò ex congruo gratiam mereri*, ut meritum congruum *strictum* excluderet.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

586 Opp. 1. cont. 1. supp. illud Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Præt.* Deus præmiat ultra condignum. *Ac* demùm potest, citra alicujus injuriam, gloriam justis denegare: ergo horum opera non merentur illam de condigno. *Ad* 1. R. D. Th. hîc a. 3. ad 1. Apost. loqui de passionibus SS. secundum substantiam, & proùt à libero arb. procedunt, juxta dicta n. 576. *Ad* 2. N. conf. sensus enim axiômatis non est, quòd justorum opera non sint digna vitâ æternâ, sed quòd (ultra pręmium illis debitum) aliquem liberaliter impertîtur Deus gloriæ gradum, juxta illud Lucę 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Ad ult.* N. conf. ob dicta n. 567. *Contra* 2. supp. objici potest, quòd antiqui PP. meruerunt de congruo substantiam, aut saltem circunstantias incarnationis: ergo & opera naturalia possunt sic mereri primam gratiam actualem; magis enim distat ordo hypostaticus ab ordine gratię, quàm iste à naturę ordine.

Sed

Sed. N. conſ. ad prob. diſt. ant. Magis diſtat entitativè, C. proportionaliter, N. uterque enim continetur intra ordinem ſupernaturalem. Vide t. 1. n. 176.

587 Opp. 2. cont. 1. p. concl. juxta Aug. præfat. in Pſal. 31. Fides meretur juſtificationem; ſed homo juſtificatur per 1. gratiam: ergo. *Præt.* Deus non dat gratiam niſi dignis; ſed non eſt dignus gratiâ, niſi qui eam de condigno promeretur: ergo. *Demùm*: Poteſt homo apud hominem promereri donum jam acceptum, equm v. g. benè eò utendo in obſequium Domini: ergo. *Ad* 1. R. D. Th. 2. 5. ad 1. Aug. vel illud retractaſſe, ſicut & quod aliquando dixit, *initium fidei eſſe ex nobis*: Vel ſumpſiſſe meritum *impropriè* pro diſpoſitione ad gratiam, aut hujus impetratione. *Ad* 2. ſic reſp. S. D. *Dicendum* (inquit) *quòd Deus non dat gratiam niſi dignis, non tamen ita, quòd priùs digni fuerint; ſed quia ipſe per gratiam eos facit dignos, qui ſolus poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine. Ad ult.* R. ad 3. diſp. eſſe, quòd prima gratia eſt principium omnis meriti ſubſequentis, ſub quo proinde cadere non poteſt: donum autem humanum, ut equus, non eſt principium boni nsûs illius; unde per iſtum poteſt quis dominium equi promereri. Vide aliam ſol. apud S. D. in 2. d. 27. q. 1. a. 4. ad 2.

588 Opp. 3. cont. eandem: Ultima diſp. ad juſtif. meretur de condigno primam gloriam, ſeu gloriæ conſecutionem, ut colligitur ex Trid. ſeſſ. 6. can. 32. & docet D. Th. ſuprà q. 112. a. 2. ad 1. ergo etiam meretur primam gratiam, cui illa correſpondet: ſicut opus meritorium ſecundæ gloriæ, ſeu glorię augmenti, meretur & ſecundam gratiam, ſeu gratiæ augmentum, cui gloriæ augmentum correſpondet. *N.* conſ. & prob. quia prima gratia eſt principium meriti; ſecùs prima gloria, & gratiæ augmentum; ſed potiùs ſunt terminus meriti, illa quidem, ultimus; iſtud verò, intermedius. Prima igitur gloria ut *hæreditas* reſpondet gratiæ habituali, ut *meces* verò ſeu *præmium*, actui charitatis & contritionis ut meritorio, ſeu ut per gratiam formato.

589 Quæ objici possent cont. 2. p. concl. ex hujus probatione soluta manent. Illâ enim convincitur, augmentum propriæ gratiæ, consecutionem gloriæ, hujusque augmentum, esse (juxta hanc provid.) præmium adæquatum meriti condigni puri hominis, ultra quod non se extendit motio divinæ gratię: Si autem mereri quis posset alteri primam gratiam, ultra prędicta; hæc essent, & non essent *prœmium adæquatum*, quod planè repugnat in hac provid. & consequenter quòd possit quis promereri de condigno alteri gratię & gloriæ augmentum. *Nec* refert, quòd possit quis & sibi, & aliis, de condigno promereri remissionem peccati *venialis*: Hæc enim est donum multò inferius augmentô gratię, &c. adeoquè non excedit terminum adæquatum virtutis meritoriæ puri hominis.

DUBIUM II.

Utrum justus possit sibi, vel alteri mereri de condigno, vel saltèm de congruo, reparationem post lapsum?

590 CONcl. *Nequit justus sibi, aut alteri de condigno promeri reparationem post lapsum; potest tamen de congruo, sibi quidem, lato duntaxat, alteri autem, stricto. Quoàd* 1. p. constat ex Scrip. CC. & PP. asserentibus, justificationem impii (seu primam, seu secundam) fieri omninò gratis. *Prob.* deinde rat. D. Th. a. 7. Quia motio divinę gratiæ (ex qua pendet meritum condigni) interrumpitur per sequens peccatum respectu sui, juxta illud Ezech. 18. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Respectu verò alterius, non extenditur talis motio, juxta dicta n. 579. ergo.

591 Quoàd 2. verò p. prob. ex D. Th. hîc negante, & ad Hebr. 6. lect. 3. concedente, justo *meritum congrui* ad surgendum post lapsum: cùm igitur nullum adsit retractationis

nis indicium, utrumque tenendum in sensu conclusionis; negandum scilicèt est, meritum congrui *strictè* sumptum, quia ejus efficacia impeditur per sequens peccatum (ut hìc probat D.Th.) & nihilominùs concedendum, si *latè* accipiatur, congruum enim est, ut Deus misericorditer convertat illum, qui ante lapsum multa bona fecerat, ut in alio laudato locò ait S. D. *Dissimulanda* hîc non est oscitantia Fran. Henno asseverantis q. 4. concl. 3. *D. Th. retractasse loco cit. ad Hebr. quod in præsenti a. 7. docuerat*; quasi priùs Summam Theologicam, quàm Commêtaria in Epist.Pauli scripserit S. D. cujus oppositum *nec pueri ignorant, nec qui adhuc æte lavantur*, adeò ut pudeat ista refellere. *Ultima* p. concl. constat ex dictis n. 580. nam êadem est ratio de reparatione post lapsum, ac de infusione primæ gratiæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

592 Opp. 1. cont. rat. D. Th. Nam futura interruptio motionis divinæ gratiæ, non impedit, quominùs mereatur justus condignè vitam æternam: ergo nec quòd sic mereatur reparationem post lapsum. *Pret.* Juxta Trid. sess. 6. can. 32. justus meretur vitam æternam, ejusque consecutionem; sed nequit consequi vitam æternam, nisi post lapsum reparetur: ergo meretur talem reparationem, merens enim consecutionem, meretur & remotionem impedientium illam. Id quod innuere videtur Apost. ad Hebr. 6. sic alloquens fideles à gratia lapsos: *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora salvti, non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, &c.*

593 *Ad* 1. R. disp. esse, quia futurus lapsus, & interruptio gratiæ, hujusque motionis, involvitur ac implicatur in termino meriti reparationis post lapsum; secùs in termino meriti gloriæ; adeoquè talis interruptio reddit primum meritum impossibile, non autem secundum; sed impedit duntaxat prœmii assecutionem, justus enim meretur gloriam, sibi *ut grato* reddendam. Reparationem autem post lapsum mereretur, sibi *ut indigno* & extra gratiam existenti reddendam, quod repugnat; nullus enim mereri potest de cõdigno

aliquid, exhibendum sibi in statu indigno mercedê, ad meritum enim condignum exigitur, & quòd sit à persona digna, & pro persona in statu digno, cùm reddat mercedem merenti debitam: unde impossibile est, quòd reparatio post lapsum habeat rationem mercedis debitæ merito ex condigno. Et hoc intendit D.Th. in pauciſsimis verbis litteræ, ut scitè advertit Cajet. omninò videndus.

594 *Ad* 2. N. conſ. ad prob. diſt. ant. Meretur & remotionem impedientium ex parte præmii, C. ex parte subjecti merentis, vel meriti, N. Nam sicut meritum se ipsum non meretur, ita nec conditiones efficienter importatas ex parte sui, ut *existentiam gratię*, & *absentiam peccati*, quę non ad pręmium spectant, sed ad meriti positionem & permanentiam: Unde ex quo quis mereatur vitam æternam, non meretur absolutè perseverantiam, vel gratiæ (si defecerit) restitutionem. *Apostolus* autem hortatur fideles lapsos ad pœnitentiam, spê futuræ gloriæ, quæ ex justitia respondebit etiam præcedentibus meritis, si hæc per pœnitentiam & novam justificationem refloreant, juxta communem PP. exposit. *Homo qui cadit post gratiam* (inquit D. Th. ibi) *dupliciter potest se habere. Uno modo, quòd in malo perseveret; & tunc, Deus omnes justitias ejus oblivisciturr. Alio modo, quòd pœniteat; & tunc, bonorum præcedentium recordatur, quia reputantur sibi ad meritum: unde dicit Glossa, quòd mortificata reviviscunt.* Illa igitur manent in acceptatione divina; non quidem ad merendum reparationem, sed ad reviviſcendum ex hypotheſi pœnitentiæ.

595 Opp. 2. Justè quis petit reparationem post lapsum, juxta illud Psal. 70. *Cùm defecerit virtus mea, nè derelinquas me*: ergo & potest illam mereri. *Præt.* Potest justus mereri alteri de congruo strictô reparationem, sicut & primam gratiam; adeoquè non obstat impedimentum peccati; ergo ratio D.Th. est nulla. *Ad* 1.N. conſ. Nec enim requiritur, quòd possit quis mereri omne id, quod justè petit; sed sufficit, quòd possit illud impetrare, impetratio enim innititur misericordię, ut docet D. Th. 2. 2. q. 85. a. 16. ideoque peccatores orando multa impetrant à Deo, ut ibi-

ibidem ad 2. ait S. D. *Ad* 2. N. conſ. Quia reſpectu ſui apponitur impedimentum ex parte merentis, ſecùs reſpectu alterius. Sic D. Th. a. 7. ad 2. *Dices* : Ad meritum, non attenditur ad inſtans collationis præmii, ſed ad inſtans exercitii operis ; ſed dùm exercet opus, quod dirigit ad propriam reparationem, eſt in gratia : ergo non eſt impedimentum ex parte merentis.

596 *Diſt.* maj. Ad inſtans exercitii operis, relatè ad præmium, diſpoſitioni merentis compoſsibile, C. Relatè ad præmium, quod ab intrinſeco ſupponit talis diſpoſitionis deſtructionem, N. & conceſsà min. N. conſ. Valor enim operis priùs exerciti, impeditur per ſubſequens peccatum, incluſum in objecto, ſeu in propria reparatione poſt lapſum. Peccatum autem quod includitur in reparatione alieni lapsûs (quantumvìs futuri) non eſt incompoſsibile cum juſtitia, & condignitate merentis, cui innititur meritũ congruũ ſtrictũ ; unde iſtô poteſt juſtus alteri mereri (ſed non ſibi) reparationem poſt lapſum. Meritô autem *condigni*, nec ſibi, nec alteri, *tum* ob dicta n. 579. *tum*, quia exigit condignitatem tàm ex parte merentis, quàm ex parte ſubjecti mercedis, ſeu ejus cui meretur, ob dicta n. 588.

597 Quanvis autem nequeat juſtus propriè ſibi mereri reparationem poſt lapſum : Deus nihilhominùs reſpicit interdùm præcedentia illius opera, in gratia facta, tanquàm occaſionem & motivum, ut miſereatur lapſo in peccatum: Fieri enim ſolet, quòd amicus offenſus, veteris amicitiæ recordetur, & pronior fiat ad reconciliationem. Et in hoc ſenſu ſæpiùs in Scrip. dicitur, ſuſpêndere Deum punitionem, vel præſtare miſericordiam, intuitû præcedentium bonorum operum alicujus, ut 2. Paralip. 19. dicitur de Joſaphat: & de aliis, Apoc. 2. & 3. Et ſic intelligenda eſt ſecunda p. concl. ut conſtat ex rat. D. Th. Ad Hebr. 6. lect. 3. adductâ n. 586. *Et* hinc inferes, quòd licèt peccator non poſsit mereri de congruo *ſtricto* ſuam reparationem; congruentiùs tamen poteſt illam mereri, quàm juſtus propriam poſt futurum lapſum : Quia nimirùm, peccatum præexiſtens non tollit quòd ſupernaturalia peccatoris opera

(ut

(ut *fides*, *spes*, *attritio*, *&c.*) disponant ad illius reparationem: peccatum verò superveniens impedit quòd præcedentia justi opera disponant ipsum ad justif. post lapsum. Vide M. Serna n. 1311. *Articulus* 8. D.Th. tangit difficult. discutiendam Tract. de Charitate.

DUBIUM III.

Utrum Justus possit sibi mereri de condigno, aut saltèm de congruo stricto, perseverantiam viæ?

598 CONcl. est neg. Et quoàd 1. p. fidê certa ex illo Joann. 15. *Ego posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Et ex Trid. sess. 6. cap. 13. docente, perseverantiæ donum (de quo multa diximus à n. 244.) *aliunde haberi non posse, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet*: unde non potest ex merito haberi. *Et* quoàd utramque prob. rat. D. Th. a. 9. Quia perseverantia est ipsa gratiæ conservatio, à prima gratiæ productione indistincta: ergo nullus potest eam sibi verè promereri, sicut nec primam gratiæ infusionem, quę est principium omnis meriti, sed ex sola motione divinâ, gratię conservativâ, pendet. Vide Cajet. optimè rationem istam expendentem. *Sub* merito tamen congrui *improprio*, seu *dispositivo* & *impetratorio*, optimè cadere potest perseverantia; cùm multi illam impetrent, ad eamque disponantur, juxta illud Aug. de dono pers. *Hoc Dei donum suppliciter mereri potest*: Oratio tamen, nec impetrat, nec meretur infallibiliter, nisi sit perseverans, ut docet D. Th. 2.2. q. 83. a. 15. unde meritum illud congrui improprium, est ipsa impetratio relicta libertati Dei.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

599 Opp. 1. Justi petunt, & petendo obtinent perseverantiam, aliàs frustrà eam peterent: ergo possunt eam mereri. *Prat.* Justus potest mereri augmentum gratiæ,

quod

quod quid majus est, quàm perseverantia in illa: ergo potiùs istam mereri potest. *Demùm*: Potest quis mereri impeccabilitatem, cùm possit beatitudinem mereri: ergo potiùs, ut non peccet, quod est perseverare. *Ad* 1. N. cons. Nã etiã ea, quæ non meremur, orando impetramus, nã & peccatores veniam, quam non merentur, obtinent; aliòquin frustrà publicanus dixisset: *Deus propitius esto mihi peccatori*: potest ergo quis sibi, vel aliis, perseverantiæ donum orando impetrare, quanvìs sub merito non cadat. *Ad* 2. & 3. R. disp. esse, quia augmentum gratiæ, perseverantia in gloria, & impeccabilitas annexa, comparantur ad meritum sicut terminus; secùs perseverantia viæ, seu conservatio gratię; sed comparatur ad illud sicut principium omnis meriti: unde gratis eam Deus largîtur, cuicumque largîtur.

600 Opp. 2. & instabis cont. solut. & rat. D. Thom. Axioma illud, cui innititur, verificatur quidem respectivè; ita, quòd nullus actus possit esse meritorius respectu sui principii; non autem absolutè; ita, quòd unus actus non possit esse meritorius pręmii, quod sit principium alterius actûs meritorii: ergo. Prob. ant. *Tum*, quia non repugnat, idem esse principium unîus, & terminum alterius, ut patet in punctis, & instantibus, & etiam in causis; avus enim est principium sui filii, qui est principium nepôtis. *Tum*, quia augmentum gratiæ, quod justus condignè meretur, est principium alterius meriti subsequentis. *Tum* demùm, quia probabile est, purum hominem posse de potentia absoluta aliis mereri perseverantiam, sicut illam Christus D. promeruit: ergo & potest sibi ipsi, si sit in gratia.

601 N. cons. Ratio enim D.Th. fundatur in eo, quòd principium virtuale totîus meriti nequit cadere sub aliquo merito; sicut principium talis meriti, nequit cadere sub eodem merito. Et hoc minimè infringunt objecta. Si enim punctum, aut instans, esset principium omnis extensionis, & durationis; non posset esse principium alterius: nec unus homo alterius filius, si esset universalis pater omnium hominum: Sicut nulla causa universalis potest esse terminus

seu

seu effectus suorum effectuum : Nec augmentum gratiæ cadere posset sub merito, si esset principium omnis meriti, quale utiquè est gratia habitualis, ejusque conservatio, ut determinata per auxilium efficax ad observantiam totius legis. *Ad ult.* R. præfatam divinæ gratiæ motionem esse principium universale totîus meriti in proprio subjecto, secùs in extraneo; ideoque non potest cadere sub merito condigno ipsius justi merentis; benè tamen sub merito Christi D. vel etiam puri hominis, in sent. illa suppositâ.

602 Inquires : An temporalia bona cadant sub merito? R. cùm D. Th. a. ult. Quòd si considerentur ut utilia ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam æternam, directè & simpliciter cadunt sub merito ; secùs considerata secundum se. *Prima* p. constat: Tantum enim dat Deus viris justis de bonis temporalibus, & etiam de malis, quantum eis êxpedit ad perveniendum ad vitam æter. & eatenùs illa sunt simpliciter bona ; unde dicitur Psal. 33. *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Et alibi : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus qnærens panem.* Et hinc prôvenit, in horum supplicatione misericorditer interdùm non audiri, *quid enim infirmo sit ultilius, magis novit Medicus, quàm infirmus*, ut ait S. Prosper. *Secunda* etiam p. prob. Quia secundum se, non sunt simpliciter bona : ergo nec simpliciter cadunt sub merito, sed secundum quid, quatenùs scilicèt, homines moventur à Deo ad temporalia agenda in quibus consequuntur suum propositum, Deô favente. Et hæc de Merito, ac de Moralibus in cômuni dicta sufficiant.

TRA-

TRACTATUS VI.

DE FIDE.

A q. 1. *Secundæ Secundæ ad* 16.

PRÆFATIO.

POST communem considerat. de virtutibus, & vitiis, & aliis ad materiam moralem pertinentibus, necesse est considerare singula in speciali, inquit D. Th. initiô Prologi in 2.2. quod in ejus decursu felicissimè præstat. Ut enim prædictorum diversitatem penè immensam comprehenderet, ea divisit in spectantia ad communem hominũ vitam, (de quibus differit à q.1.ad 171.) & ad determinatos eorum status pertinentia, quæ in reliquis 18. quæst. contemplatur. *Primùm* igitur sigillatim de tribus virtutibus Theol. & quatuor Cardin. agit; mirô quidem ordine, quamlibet enim priùs discutit, & enucleat; deinde, vitium oppositum, & Spiritûs S. donũ correspondens; præceptum tandem, (si quod de ea datur) exponit; adeò accuratè, ut nihil moralium prætermittat. De Statibus autem tractat, non politicè, sed theologicè, proùt scilicèt, pertinent ad corpus Ecclesiæ, quorum tria genera distinguuntur 1. Cor. 12. ibi: *Divisiones gratiarum sunt, & divisiones ministrationum, & divisiones operationum.* Quibus tres hominum differentias tradit; nempè, secundum diversas gratias gratis datas; penes diversas vitas (activam, scilicèt, & contemplativam) & secundum diversitatem officiorum. Quæ omnia dilucidè tradit S. D. Quia tamen non omnia æquè difficilia sunt, sed plurima lectorê potiùs egent, quàm expo-

sitorê ; nonnulla verò diligentiam adhuc desiderant, & laborem (& maximè Virtutes Theologicas concernentia) ideo de his solùm differitur nunc in Scholis. *Auspicatur* autem ea Angelicus Doctor à Fide, immotô Religionis fundamentô, *sperandarum substantia* & hypostasi *rerum ; sine qua impossibile est placere Deo.* Circa illam verò, laudatam, sibique præfixam servat methodum : Primùm quippè fidem ipsam considerat ; *deinde* intellectûs, & scientiæ dona, sibi respondentia ; tertio vitia illi opposita ; *tandem* præcepta, ad illam pertinentia. Ex quibus difficiliora (& quæ scholasticum pulverem terunt) Scholæ morigerantes, sequentibus disp. percurremus. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De objecto formali fidei ejusque resolutione.

DUBIUM I.

Quodnam sit objectum formale fidei?

603 ANte resol. nota 1. nomen *fides* multifariàm sumi. Accipitur enim primùm pro *fidelitate*, ut Isai. 11. *Erit fides cinctorium renum ejus.* Et Rom. 3. *Nunquid incredulitas eorum, fidem Dei evacuabit?* Secundò pro *veracitate*, ut Jer. 7. *Periit fides, & ablata est de ore eorum.* Tertiò, pro *fiducia*, Jac. 1. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Quartò pro *conscientia*, ut ad Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Quintò pro *doctrina fidei*, ut Apoc. 2. *Non negasti fidem meam.* Et in Symbolo Athan. *Hæc est Fides Catholica, quam nisi, &c.* Sumitur tandem strictè *pro actu*, vel *habitu*, quô creditur dictis, propter dicentis authoritatem,

quæ,

quæ, si sit hominis, erit fides *humana*, si Dei, *divina*, seu *theologica*, de qua sola hîc agimus. Quam ut exol cet S. D. singulas ejus causas, & effectus rimatur septem primi quęst. & primò de finali, quæ cum formali specificante recurrit, cùm fides sit virtus theol. Et de hac causa procedit dub.

604 Secundò not. est id quod in Procœmial. traditur, & hîc repetit D.Th. nimirùm, objectum potentiæ, vel habitûs, aliud esse *formale quod* (illud scilicèt, quod per se & ratione sui attingitur, estque ratio cætera attingendi) aliud *formale quo*, seu rationem *sub qua* attingitur objectum. Aliud demùm *materiale*, comprehendens omne illud quod rationê objecti formalis attingitur. *Observa* tamen, ut æquivocationes vites, *formale quod*, collatum cum *formali quo*, dici *materiale*; si verò cum *purè materiali*, dici & esse *formale*. Patet in colore, qui, luci comparatûs, dicitur *objectum materiale* visûs; est autem *formale*, si corpori conferatur. *Ultimò* notandum est, triplicem in Deo distingui veritatem: aliam *in essendo* (& est ipsa Deitas) aliam *in cognoscendo* (& est ipsa divina cognitio prorsùs infallibilis) Et aliam *in dicendo*, seu summam Dei veracitatem. His prælib. sit

605 Prima concl. *Prima veritas in essendo, seu Deus sub ratione Deitatis, est objectum formale* quod *fidei*, *& non purè materiale*. Per *primam veritatem in essendo* intelligitur prima veritas ut in se est, seu quidquid Deus ipse dicitur esse. Est ferè comm. cont. nonnullos, quibus immeritò adhæret M. Ferre. Et prob. ex D.Th. *Tum*, quia *nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum*, ut ait hîc a. 1. quod proprium est solius objecti *formalis quod*. *Tum*, quia Deus, *ut in se est*, comparatur ad fidem, sicut *sub ratione summæ bonitatis*, ad charitatem; & sicut sanitas ad medicinam, ut loquitur in corp. & ad 3. sed nec summa bonitas est objectum purè materiale charitatis, nec sanitas medicinæ: ergo. *Tandem*, quia virtutis theologicę est attingere Deum, ut objectum formale *quod*, & *quo*, ut patet in reliquis; charitas enim & diligit Deum, & propter Deum. Spes etiam & Deum sperat, & in Deo. Et sanè aliàs Religio foret virtus theol. cùm Deum attingat ut objectum formale *quo*, seu cui exhibet cultum.

Con-

606 Concl. 2. *Objectum formale* quo, *seu motivum fidei, non est prima veritas in essendo, aut cognoscendo; sed solùm in dicendo, seu summa Dei dicentis authoritas.* Est com. Thomist. & frequentior apud alios. Prob. autem quoàd 1. p. cont. quosdam Veteres: Quia Deus sub ratione Deitatis, non est motivum credendi, sed id quod præcipuè & per se creditur: ergo. *Et* hinc etiam constat 2. p. cont. P. Valent. Quia nec summa divinę cognitionis perfectio movet ad credendum (cùm æquè se habeat ad omnem veritatem) nec omnem fides credat, sed revelatas duntaxàt: Et, si Deus nullam revelasset, nullam fides crederet; omnen tamen Deus perfectissimè (ut modò) cognosceret. Prima igitur veritas *in cognoscendo* præsuppositivè solùm se habet ad motivum fidei, quatenùs infallibilitas divinæ attestationis, ex infallibili pendet cognitione: Sed cùm hęc nullum explicet respectum ad nos, (quem explicat motivum fidei) non ingreditur istud, nè inadæquatè quidē, quidquid Suarez âutumet. *Ult.* tandem p. constat, nam summa Dei dicentis authoritas movet nos ad credendum ea, quæ fide divinâ credimus: Unde Christus D. illam tanquàm hujus motivum proponit J. 6. *Qui me misit, verax est, & ego, quę audivi ab eo, hęc loquor in mundo.*

607 Ult. concl. *Objectum formale* quo *fidei importat in recto internam Dei locutionem, (seu revelationem activè sumptam) externam autem locutionem (seu revelationem passivè acceptam) in obliquo duntaxàt.* Supponit concl. Dei locutionem, utrôque modô sumptam, desiderari ad motivum credendi: hoc enim est *prima veritas in dicendo*, seu *authoritas Dei dicentis*, seu *ad extra loquentis*; loqui autem ad extra, importat signum aliquod exterius, manifestativum conceptûs interni, cujus vices gerit. Prob. autem concl. quoàd 1. p. Quia interna Dei locutio & est quid increatum (ipse scilicèt actus immanens Dei loquentis) & movet ad credendum (cùm sit explicatio veracitatis, & authoritatis divinæ) ergo. *Quoàd* 2. verò, constat: Quia externa Dei locutio, seu revelatio passivè accepta, est quid creatum, & ad extra productum, cùm sit signum exterius: ergo nequit ingredi,

nè

nè inadæquatè quidem, objectum *formale quo* fidei theologicæ, ſed eſt mera conditio in obliquo importata: ſicut auxilium ad extra productum reſpectu *ſpei*, & apprehenſio divinæ bonitatis, reſpectu *charitatis*. Idem de Eccleſiæ propoſitione eſto judicium.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

608 Opp. 1. cont. 1. D. Th. hîc numerantem, inter objecta fidei materialia, ipſum Deum. *Præt.* Quòd fides omnia credat quatenùs dicunt ordinem ad primam veritatem in eſſendo, ſolùm evincit, hanc eſſe præcipuum, ſeu primarium objectum inter materialia: ergo non probat, eſſe *formale quod*. *Ad* 1. R. ex dictis n. 599. eò ſic loqui S. D. quia confert primam veritatem *in eſſendo* rationi *ſub qua* fidei, ſeu *primæ veritati in dicendo*; agnoſcit tamen illam objectum *formale quod*, dùm ibidem ſubjungit, *nihil cadere ſub fide, niſi in ordine ad illam*. Hoc enim (ut ſecundo occurramus) proprium eſt ſolîus *rationis formalis quæ*; nam objectum materiale primarium ſolùm habet, quòd inter materialia primò occurrat ſecùs quòd ratione illius reliqua attingantur, ut patet in ſubſtantia reſpectû Metaphyſicę.

609 Opp. 2. cont. eandem: Si omnia quæ nunc de Deo creduntur, eſſent evidentia, & Deus alia à ſe revelaſſet; ſubſiſteret fides, quin eſſet de prima veritate in eſſendo: ergo hæc non eſt objectum formale *quod* fidei, quia hęc ſine illo ſubſiſtere nequit. *Præt.* Demonſtrans exiſtentiam Dei, cognoſcit evidenter (adeoque non credit) primam veritatem in eſſendo; ſed retinet habitum fidei: ergo hujus objectum formale *quod* non eſt veritas 1. in eſſendo. *Ad* 1. diſt. ant. Subſiſteret fides *theologica*, N. alterius ſpeciei, C. Quemadmodùm ſpes, quâ beati ſperant proprii corporis gloriam, noſtramque beatitudinem, *theologica* non eſt, ob defectum objecti form. nempè Dei, quem cùm perfectè poſſideant, ſperare non poſſunt. *Ad* 2. diſt. maj. Evidenter cognoſcit primam verit. in eſſendo, quoàd exiſtentiam, C. quoàd alia credibilia de ipſa in ſe, N. & conceſsâ min. N. conſ. Nec enim Deus eſt objectum formale *quod*

fi-

fidei, quoàd ſolam exiſtentiam, ſed quoàd omnia quæ de illo in ſe revelavit. *Et ſanè* argum. ab opponente ſolvendum eſt, aſſerit enim, ita eſſe Deum objectum materiale primarium fidei, quòd hæc ſine illo eſſe non poſsit.

610 Opp. 3. cont. 1. p. 2. conel. Ultima fidei reſol. fit in objectum *formale quo*, cùm iſtud ſit præcipuum credendi motivum; ſed illa fit in Dum ſub *ratione deitatis*; credimus enim, *quia prima veritas in dicendo revelavit*; eſt autem Deus prima veritas *in dicendo*, quia *eſt Deus*, ſeu *prima veritas in eſſendo*: ergo. N. min. Ad prob. N. conſ. Nam fidei reſol. fit dùm redditur ratio, cur aliqua veritas credatur; quæ reſol. tandem terminatur ad 1. veritatem *in dicendo*. Reddere autem rationem, cur Deus ſit prima veritas? non fidelis eſt, ſed theologi; eſt enim reſolvere prædicata divina in ſua quaſi principia, ex noſtro modo concipiendi. Itaque interrogatio, *cur Deus ſit prima veritas*? reſolvitur per Theologiam in ipſum Deum ſub ratione Deitatis. Iterrogatio verò, cur Deus prima veritas eſſe credatur? reſolvenda eſt per fidem in ipſam verit. revelantem, ubi tandem ſiſtit tota fidei reſolutio.

611 Opp. 4. cont. 2. & 3. p. ejuſdem. Infallibilitas divini teſtim. (quam affert motivum fidei) æquè requirit infallibilitatem *cognitionis*, ac *veracitatis divinæ*, exigit enim, quòd reddens illud, nec fallere poſsit, nec falli; quorum primum provenit ex certitudine cognitionis, ſecundum autem, ex veracitate: ergo. *Diſt.* ant. Æquè in re, C. æquè formaliter, N. Ad prob. diſt. 1. p. min. Provenit ex certitudine cognitionis divinæ, tanquàm ex cauſa, ſeu radice, C. tanquàm ex ratione formali, N. Ipſa namque veracitas divina, ex conceptu veracitatis divinæ, fert ſecum eſſentialiter quòd nec falli poſsit, nec fallere, eſt enim principale analogatum rationis communis veracitatis; adeoquè eſſentialiter ex conceptu ſuo importat dicere verſum, non ſolùm juxta mentem dicentis (quod ſufficit ad veracitatem humanam) ſed etiam juxta rei veritatem in ſe: Unde veracitas ipſa divina ſe ſolâ eſt ratio formalis & proxima, reddens omninò infallibile divinum teſtim. tametſi de materiali, &

præ-

præsuppositivè, requiratur infallibilis cognitio, sicut & Deitas ipsa. in qua instatur argum.

612 Opp. 5. cont. ult. p. ejusdem. Veritas 1. in dicendo indifferenter se habet ad fidem, & prophetîam: ergo. Tenet cons. quia ratio formalis *sub qua* habitûs, debet esse propria illius. *Prę.* Hereticus assentitur propter 1. verit. in dicendo his, quę credit non discedens à veritate catholica, sic enim interrogatus respondebit; sed illis non assentitur fide theologicâ, incompatibili cum hæresi, juxta dicenda: ergo. *Ad* 1. dist. ant. Veritas 1. in dicendo, quatenùs determinatur ad revelandum obscurè, ita ut clarè non possit (qualiter est ratio formalis *sub qua* fidei) indifferenter se habet, &c. N. quatenùs potest obscurè, vel clarè revelare, C. Sic D. Th. 3. p. q. 7. a. 8. *Ad* 2. N. maj. quidquid ille præsumat, aut respondeat; aliàs omnia revelata æquè crederet, nec hæreticus foret.

613 Opp. 6. Veracitas divina, seu 1. veritas in dicendo, non est de linea veri, seu intellectûs, in quo residet fides theol. ergo nequit esse hujus motivum. Dist. ant. Subjectivè, C. objectivè, N. ant. & cons. Quanvis enim veracitas divina *subjectivè* pertineat ad lineam boni, & voluntatis; *objectivè* tamen, ad lineam veri & intellectûs attinet. Inclinat enim ad dicendum verum, adeoquè movere potest, ac movet intellectum hominis cui loquitur, ut assentiatur veritati, quam loquitur. *Quanvis* autem locutio ipsa, seu revelatio divina activè sumpta, sit actus immanens elicitus intellectûs divini; quia tamen imperatur à veracitate, seu est actus imperatus illius: ideo, primam verit. in dicendo (quam omnes Thomistæ agnoscunt motivum, seu objectum *formale quo* fidei) jurè *veracitatem divinam* vocamus.

614 Et sanè sic loquitur D. Th. 2. 2. q. 109. a. 1. *Alio modo* (inquit) *potest dici veritas, qua aliquis verum dicit, & secundum quòd per eam aliquis dicitur verax: & talis veritas, seu veracitas, necesse est, quòd sit virtus; quia hoc ipsum, quòd est dicere verum, est bonus actus; virtus autem est, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.* Quibus apertè docet, quòd *veracitate* dicimus verum, & quòd ipsum dicere

ve-

verum, est actus *veracitatis* (imperatus scilicèt.) Quid ergo mirum, quòd Thomistæ divinam Dei *locutionem*, *revelationem*, *dictum*, *testimonium* (sumè utique verum, & infallibile) sumę Dei *veracitati* tribuant? Et maximè, postquàm ipsa Summa Veritas, infallibile ipsius testimonium nomine *veracitatis* exprimere dignata est? *Qui me misit* (inquit J.6.) *verax est*. Hæc dixerim propter Illus. Palancum, qui disp. 1. de fide q. 2. *divinam veracitatem* à motivo fidei, multis (sed frustrà) conatur excludere; quasi *veracitatis* nomine, non intelligatur à Nostratibus hîc *revelatio ipsa*. Omnes igitur Thom. asserunt, objectum formale *quo* fidei, esse *divinam verit. in dicendo*, vel *locutionem*, seu *revelationem divinam*, quam frequentiùs (& meritò) *veracitatem* vocant, quia veracitatis est actus & expresio.

615 Opp. tandem cont. 2. p. ult. Locutio Dei facta hominibus (cui fides innititur) tàm essentialiter dicit signum exterius, quàm actum internum Dei loquentis: ergo. *Dist.* ant. Tam essentialiter dicit, &c. quatenùs quoddam complexum est, C. quatenùs exprimit rationem formalem N. ant. & cons. quę instatur in his complexis: *Bonum apprehensum*, *ignis applicatus*, & id genus aliis; bonum enim movet *ut apprehensum*, & ignis comburit *ut applicatus*, quin apprehensio sit forma vel pars formæ boni moventis; aut applicatio, ignîs comburentis; tametsi *apprehensio* sit forma primi complexi, & *applicatio*, secundi.

616 Ex dictis habes, ultimam fidei resol. quoàd assensum, fieri in *divinam revelat.* tanquàm in rationem form. *in authoritatem* verò *Ecclesiæ proponentis*, tanquàm in conditionem applicantem, regulam infallibilem, instrumentum, & organum divinæ locutionis, deferens ad nos & credenda, & rationem formalem credendi. *Dùm* igitur Ecclesiæ credimus propter *divinam revelat.* & iterùm huic propter *Ecclesię authoritatem*, nulla est nugatio, aut circulus vitiosus, quia fit in diverso genere causæ: Mutuæ autem causalitatis in diverso genere causæ, obvia sunt exempla in materia & forma, vapore & pluvia, & fexcentis aliis. *Nullum* pariter est vitium, dum per *Ecclesiam* agnoscimus *Scripturas*, & per

Scri-

Scripturas, *Eccleſiam*: Unde Aug. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret authoritas.* Et rurſus: *Credo, Eccleſiam non poſſe errare in proponendis rebus fidei, quia id habetur in Scriptura.*

617 Et quia *revelatio Dei*, & *Eccleſiæ propoſitio*, ſunt cauſæ univerſales & ſupremæ in ſuo genere, reflectunt ſupra ſe; ita, quòd utraque & objectum manifeſtat, & ſe ipſam: undè, ſicut dùm videmus aliquod objectum, non poteſt reddi ratio, unde conſtat, nos vidêre, niſi quia videmus: ſic, nec eſt quærenda alia ratio, cur credamus Eccleſiæ ſic infallibiliter proponenti, niſi quia ipſa ſic proponit: Et teſtimonio divino, quia Deus dicit. Petenti enim rationem primi principii, reſponderi non poteſt, niſi per idem principium. *Nota* hîc, quòd fidei reſolutio, ex ſpecie ſua, non exigit fieri in Eccleſiæ propoſitionem (etiam ut conditionem) ut patet in fide Angelorum, Protoparentum, Prophet. & Apoſtol. quibus conſtitit, revelationem eſſe divinam, per lumen propheticum, quô interiùs illuſtrabantur, & certificabantur de divina eredendorum teſtificatione.

618 Ex dictis confutata manet dementia hæreticorum noſtri temp. de *privato* illo cujuſque *ſpiritu*, manifeſtante verum Scripturę ſenſum, & diſcernente Libros Canonicos à non canonicis, & credenda à non credendis: Regula enim talia proponens, debet eſſe infallibilis, qualis eſſe nequit ſpiritus ille, cùm tot eis afflaverit mendacia, ſchiſmata, errores, invicèm repugnantes. Qui proinde *ſpiritus erroris* ac vertiginis eſt, conſictus tanquàm ultimum pertinaciæ aſylum, quò confugiant dùm urgentur, nec habent quod reſpondeant. *Nec* obſtat illud Rom. 7. *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, &c.* & alia id genus: Solùm enim oſtendunt, quandoque *extraordinariè* inſpirare Deum certis perſonis, quid credere, loqui, aut agere debeant; ſicut olim fecit Prophetis, & Apoſt. Id tamen non fit *ordinariè*: nec mirum, prævîdit enim Deus, plures ſomnia ſua (imò & dæmonum inſufflationes) pro revelationibùs aceepturos, ideoque noluit ſuæ revelationis propoſitionem

nem à privato cujuſque ſpiritu, ſed ab Eccleſiæ authoritate pendêre.

DUBIUM II.

Utrum revelabilia, & privatim revelata, ſint objectum materiale fidei, ſeu fide divina credenda?

619 SUpp. 1. objectum *materiale* fidei comprehendere omnia divinitùs revelata, ſive in Scrip. ſive in Traditionibus Apoſtolicis; omnia quippè illa ſubſunt rationi formali *quæ* & *ſub qua* fidei, nempè, *primæ veritati*, & *infallibili ejus teſtimonio*, ſeu *revelationi*. *Supp.* præt. dupliciter poſſe aliquid privatìm revelari. *Primò* ex parte ſolîus perſonæ, ut ſi privatæ perſonæ manifeſtet Deus aliquid non privatum, ſed ad communem Eccleſiæ utilit. pertinens; adeòque in Scrip. aut Tradit. Apoſtol. explicitè, vel implicitè contentum. *Secundò*, dùm etiam res ipſa, ſeu materia revelata, eſt quid privatum, nec in Scrip. aut Tradit. contentum. *Supp.* tandem, illum, cui Deus aliquid hujuſmodi privatim revelet (ſi certa ſit revelatio) teneri, juxta omnes, illud credere; unde parùm refert, quô luminê illi aſſentiat: reliquos vero, ſolâ fide humanâ aſſentire poſſe.

620 Prima concl. *Nondùm revelata, quantumvis revelabilia ſint, ſub objecto materiali fidei non comprehenduntur.* Eſt comm. Thomiſt. cont. Suar. & Prob. *tum* ex D. Th. hîc a. 1. dicente: *Non enim fides, de qua loquimur, aſſentitur alicui, niſi quod eſt à Deo revelatum. Tùm*, quia aliàs omnes veritates eſſent objectum materiale fidei, cùm revelari poſſint. *Tum*, quia ut aliquid ſit defacto objectum meriale viſûs, requiritur, quòd actû ſit coloratum, nec ſufficit, quòd ſit colorabile: ergo pariter. *Et* hinc habes cont. M. Ferre, quòd nec proximè revelabilia, ſeu mediatè revelata, ſunt objectum materiale fidei, ſed potiùs Theologiæ, ut docet D. Th. 1. p. q. 1. a. 3. dicens: *Omnia quæcunque ſunt divinitùs*

tùs revelabilia, communicant in una ratione formali objecti hujus ſcientię, ſcilicèt Theologiæ.

621 Secunda concl. *Privatìm revelata, ſi nullum dicant ordinem ad primam verit. in eſſendo, non ſunt objectum materiale fidei.* Eſt comm. Thom. & prob. Quia hujuſmodi non ſubſunt objecto formali *quod* fidei; objectum autem materiale ſubeſſe debet objecto formali *quo* & *quod* habitûs, vel potentiæ, ut patet inductivè; corpus enim viſibile (quod eſt objectum *materiale* visûs) & luci, & colori ſubeſt, & ſic de aliis: ergo. *Ille* igitur, cui talia privatìm revelantur, aſſentitur illis, vel per lumen propheticum (*quo poſſunt omnia cognoſci, tàm divina, quàm humana; tàm ſpiritualia, quàm corporalia*, (ut ait D. Th. infrà q. 17. a. 3.) vel per aliud lumen, tranſeunter communicatum. Nec enim aſſentiri illis poteſt per dona Spiritûs S. aut prudentiam infuſam, hæc enim neceſſariò ſupponunt ſtatum gratiæ; & revelatio privata fieri poteſt etiam peccatori. *An* autem omnia, quæ Deus privatìm ex parte materiæ nunc revelat, dicant ordinem ad primam verit. in eſſendo, adeoque credibilia ſint fide theologicâ, *qua tali*, quanvis non *ut catholica*, & *univerſali*? ſub lite eſt. Affirmat Palancus; alii verò frequentiùs negant. Sed hoc diſsidium nullîus eſt momenti, ob dicta n. 619.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

622 Opp. 1. cont. 1. Quidquid poteſt fide divinâ credi, eſt objectum materiale fidei; ſed omne à Deo revelabile poteſt fide divinâ credi: ergo. *Præt.* omnis actus elicibilis ab habitu, continetur in hujus virtute: ergo in habitu fidei continetur jam de facto actus, quem elicere poſſet circa revelabile, caſu quô revelaretur; ſed objectum talis actûs, eſt revelabile: ergo. *Ad* 1. diſt. maj. Quidquid poteſt proximè, & abſolutè credi, C. Remotè, & conditionatè, N. & ſic diſt. min. N. conſ. Itaque revelabile, & poteſt fide divinâ credi, & in hujus objecto contineri, *remotè* ſolùm, & caſu quô reveletur: ſicut colorabile, & videri poteſt, & ſub objecto visûs contineri, ſi de facto coloretur. *Ad* 2. R. quòd omnis actus elicibilis ab habitu, continetur

in hujus virtute, sub ea solùm ratione, sub qua ab illo elici potest, *proximè*, nimirùm, si *proximè*; *remotè*, si *remotè*.

623 Opp. 2. cont. eandem: Intellectus potest proximè & absolutè attingere verum *possibile*: ergo & fides *revelabile*. *Præt.* Non est de ratione objecti materialis, quòd actu subsit rationi formali; sed quòd possit illi subesse: ergo. Ant. patet in logica, qualibet arte, temperantiâ, & prudentiâ: Objectum enim materiale logicæ & cujuslibet artis, est materia, non *ut formata*, sed *ut formabilis* per illam. Temperantiæ verò, est cibus, non ut actu *proportionatus* exigentiæ naturę, sed *ut proportionabilis*. Prudentiæ demùm, non est *actu ordinatum ad finem*, sed *ordinabile*: ergo. *Ad* 1. dist. ant. Verum possibile, possibilitate entitativâ, seu ad existendum, C. possibilitate objectivâ, seu ad esse verum objectivè & signatè, N. ant. & cons. Itaque nec intellectus attingere potest, quod non est actualiter objectivè & signatè verum; quia ratio specificativa illius est ratio veritatis objectivæ: Cùm igitur ratio formalis fidei sit revelatio realis, & vera in re; nihil, quod sub ista non cadit, attingi proximè potest à fide. Unô verbô: In objecto intellectûs, & scientiarum speculativ. sufficit actualitas *signata*; in objecto autem fidei requiritur *exercita*: quia fides non respicit revelationem in universali, sicut intellectus & scientię attingunt verum.

624 Ad 2. dist. ant. Si objectum materiale respicitur practicè, & ut sit sub formali, C. si respicitur spectulativè, quia est sub formali, N. ant. & cons. Objecta autem materialia in exemplis adductis, sunt primi generis. Logica enim, cùm sit respectu sui objecti secundum quid practica, seu directiva; non respicit suum objectum materiale, quia jam sit sub formali; sed dirigit, ut sit; & idem est de qualibet arte dirigente ad constructionem. Idem etiam est de temperantia, prudentia, ac reliquis virtut. circa agibilia dirigentibus, & facientibus ut sua materialia objecta sub ratione formali sint. Fides autem non respicit *practicè* sua objecta, dirigendo ad illorum revelationem; sed purè *speculativè*, quia jam revelata: unde, nisi ea revelata supponat (cùm ra-

talia efficere nequeat) attingere illa non poterit.

625 Opp. 3. cont. 2. Privatìm revelata, etsì nullum dicant ordinem ad primam verit. in essendo, credi possunt propter divinum testim. ergo. *Præt.* Aliqua in Scrip. revelata nullum talem ordinem dicunt, ut, quòd canis secutus est Tobîam, & id genus alia; quę tamen fide divinâ creduntur: ergo. *Ad* 1. N. conſ. Nam ulteriùs prædictus ordo desideratur; cùm fides sit virtus theolog. respiciens Deum ut objectum *quod* & *quo*, ut sępè dictum est. *Ad* 2. N. maj. quanvis enim interdùm nos lateat, qualiter nonnulla in Scrip. revelata prefatum dicant ordinem; firmiter tamen tenendum est, illum re verâ dicere: *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Si quæ autem adeò minima sunt, ut seorsim nihil doctrinæ habeant: habent tamen simul cùm tota historia, ad cujus integritatem inserta sunt.

DISPUTATIO II.

De Fidei certitudine, & obscuritate.

STabilitô fidei objectô, duplicem hujus conditionem in hac disp. examinare oportet; quarum prima consequitur illud, quanenùs *veritas divina* est; altera verò, ex quo *nobis revelans est*. De quibus S. D. aa. 3. 4. & 5. definiens, *non posse fidei subesse falsum*, ejusque objectum debêre esse *non visum*, & *non scitum*. Ad quorum elucidat. sic

*** ***
***

DU-

DUBIUM I.

Utrum fidei posſit ſubeſſe falſum?

626 CONcl. eſt neg. & comm. Probaturque 1. rat. D. Th. a. 3. Nihil ſubeſt alicui potentiæ, vel habitui, aut actui, niſi mediante rat. formali objecti: ſicut color videri non poteſt, niſi per lucem, & concluſio ſciri nequit, niſi per medium demonſtrationis; atqui ratio formalis objecti fidei eſt veritas prima: ergo nihil cadere poteſt ſub fide, niſi inquantùm ſtat ſub veritate 1. atqui ſub veritate 1. nullum falſum ſtare poteſt, ſicut nullum non ens ſub ente, nec malum ſub bonitate: ergo.

627 Prob. 2. concl. Nequit fidei ſubeſſe falſum, vel ex parte Dei revelantis, vel ex parte hominis credentis: ergo. Ant. quoàd 1. p. patet. Nam Deus nequit mentiri, ſeu (quod in Deo idem eſt) falſum teſtari, nec de potentia ordinaria (ut eſt fide certum, juxta omnes, cont. Priſcillaniſtas) nec de potentia abſoluta, ut eſt theologicè certum, juxta omnes, imò & fide certum, juxta plures. Conſtatque ex innumeris Scrip. locis. Num. 23. *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur.* Rom. 3. *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Heb. 6. *Impoſsibile eſt mentiri Deum.* Quibus accedit PP. conſenſus, & ratio manifeſta. *Tum*, quia Deus eſt ſumma veritas & veracitas pura, & indeficiens: ergo impoſsibile eſt ipſum mentiri, aut falſum dicere, *quoniam omne mendacium ex veritate non eſt*, ut dicitur J. 2. *Tum*, quia nec poteſt falſum revelare ex ignorantia, cùm ſit omniſcius; nec conſultò, ex induſtria, ſeu malitiâ, cùm ſit Sanctiſsimus. *Quibus* etiam convincitur, nec per alios poſſe Deum falſum dicere, quia mendacium in ipſum refunderetur, quod planè repugnat (etiam datô, quòd poſſet mendacium exui malitiâ) quia opponitur ſummę veritati. *Nutaret* prę. fides noſtra, cùm innitatur revelationi, factæ ut in plurimùm à Deo per Miniſtros, Angelos, Proph. Apoſt.

&

& Evang.

628 Secunda autem p. ant. nimirùm, quòd nec ex parte nostri possit fidei subesse falsum (utendo scilicèt habitû fidei ad assensum falsum.) Prob. *Tum* ex Trid. sess. 6. cap. 9. asserente, talem esse certitudinem fidei, quòd non potest illi subesse falsû; posset autè ei subesse falsû, si per accidès, materialiter, & ex parte nostri, posset assentiri falso: ergo. *Tũ* ex unanimi Theol. cõsensu. *Tum* rat. D.Th. adductâ suprà n. 626. quæ rectè perpensa, efficax est, quidquid Lugo, Amicus, Platel. aliique âutument. *Tum*, quia Virtus perficiens intellectum, necessariò attingit verum, juxta Phil. 6. eth. sed talis est fides, quanvis non sit virtus *intellectualis*, sed *theologica*: ergo. *Tum* demùm, quia virtutè *nemo malè utitur*, tanquàm principiô usûs, juxta dicta to. 2. n. 621. & 625. sed eliciens actum falsum per fidem, malè istâ uteretur, tanquàm principiô usûs: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

629 Opp. 1. Spei & charitati potest subesse falsum: ergo & fidei. ant. patet, multi enim reprobi sperât sibi beatitudinem, quam non habebunt; & multi diliguntur ut boni, qui tamen boni non sunt. *Præt.* Post tempus Abrahæ, potuit Deus non incarnari: ergo fidei (quâ ille credidit Verbi Incarnationem) potuit subesse falsum. *Prę.* Fides, quâ Antiqui credebant Christum nasciturum, duravit in multis, Christô jam natô; sed tunc falsum erat, Christum nasciturum: ergo. *Tandem*: Fidê credimus, sub Sacramento Altaris Christum contineri; sed hoc potest esse falsum, ob defectum veræ materiæ, potestatis, aut intentionis Ministri consecrantis: ergo. Hæc arg. objicit D.Th. a. 3.

630 Ad quorum 1. R. 1. permissô ant. disp. esse: Quia cùm de ratione virtutis sit, quòd se habeat solùm ad bonum; & verum, non appetitûs, sed solîus intellectûs sit bonum; ideo virtutes perficientes intellectum (qualis est *fides*) excludunt totaliter falsum, secùs perficiens partem appetitivam, quales sunt *spes*, & *charitas*. *Resp.* 2. N. ant. Non enim quis sperat beatitudinem, nisi secundum auxilium gratiæ, in qua si perseveraverit, infallibiliter beatitudinem

con-

consequetur. Similitèr ad charitatem pertinet diligerè Deum, in quocumque fuerit; unde ad illam non refert, utrum Deus sit in isto qui propter charitatem diligitur. *Ad* 2. R. quòd Deum non incarnari, est *ex se* & absolutè possibile, etiam post fidem de Incarnatione; at verò, *ut est sub præscientia divina*, habet necessitatem infallibilitatis, & hoc mòdo cadit sub fide; unde, proùt cadit sub fide, non potest esse falsum. En constantem ubiquè D. Th. doctrinam in simili difficultate solvendâ, & conciliandâ infallibilitate divinę præscientiæ cum libertate, & contingentiâ futuri evectûs. Vide to. 1. n. 552. ubi soluta manet instantia, quæ hìc fieri posset.

631 *Ad* 3. R. Christo jam natô, creditum fuisse fide divinâ, *Christum quandoque nasci*; secùs *tùnc adhuc nascìturum*; sed hoc erat ex conjunctura humana, ex qua possibile est, fidelem decipi, secùs ex fide. *Ad ult.* R. N. min. non enim est Altaris Sacramentum, non factâ ritè consecratione. Fides autem docet, *verum Corpus Christi esse sub speciebus, rectè facta consecratione*: Unde, adorans hostiam non consecratam (quam putat consecratam) non errat ex fide. *Nec* tamen periculo exponimur dùm absolutè adoramus; quia ad adorationem humanô modò exhibendam, sufficit moralis de hostiæ consecratione certitudo. Vide to. 2. à n. 445.

632 Opp. 2. Parrochô vel Episcopô proponente aliquid falsum, tanquàm de fide, tenentur rustici credere illud, ita quòd non credendo, peccarent: ergo. *Dist.* ant. tenentur credere, fide divinâ, N. humanâ duntaxàt, C. Assensus enim fidei utrumque requirit, juxta sæpè dicta, & quòd propositio sit de fide, seu re ipsâ revelata, & quòd ut talis proponatur. *Nec* privarentur omninò fidei meritô, ob piâ, & fidelem intentionem, juxta dicta ex Bern. t. 2. n. 441. Peccarent nihilominùs rustici illud non credendo; ob conscientiam erroneam, verè ligantem; non tamen peccatô hæresis *formaliter*, sed *arguitivè* duntaxat, & quantùm ad affectum; cùm existimarent, illud esse à Deo revelatum, & ut tale propositum: Peccatum igitur illorum esset *formaliter*

ter prava voluntatis affectio, & voluntaria quædam contumacia; tenerentur enim credere fide, quâ poterant, nimirùm, *humana* in re, & existimativè *theotogica*.

633 Opd. 3. Assensus fidei influere potest in assensum falsum, cùm assumi possit ad concludendum aliquid falsum, ut in hoc Syllog. *Ubicumque datur duplex natura, datur duplex hypostasis; sed in Christo datur duplex natura: ergo & duplex hypostasis*: ergo. *En* arg. malè quosdam torquens, sed immeritò. Nulla quippè est conseq. Sicut enim actus undequaquè honestus, postquam elicitus est cum debito fine, & circunstantiis, assumi potest in motivum & causam actûs pravi: ita actui fidei omninò vero, & cui falsum subesse nequit, non repugnat assumi ad concludendum falsum.

634 Nec obstat regula ista Dialect. *Ex vero non sequitur nisi verum*, intelligitur enim de *vero*, quod est adæquatum principium, id est, quando ambæ præmissæ sunt veræ, in quo differt ab illa alia: *Ex falso potest sequi verum*, quæ loquitur de falso, etiam si sit adæquatum principium, seu quanvis ambæ præmissæ sint falsę, ut patet in hoc Syllog. *Omnis lapis est rationalis; sed omnis homo est lapis: ergo omnis homo est rationalis*. Et ratio utriusque est, quia in præmisis veris, medium realiter idemptificatur, vel connectitur cum extremitatibus: unde istæ realiter necessariò invicem connectûtur, seu idemptificantur; & cùm veritas concl. stet in extremitatum idemptitate, vel connexione; conclusio, ex prędmisis veris rectê deducta, necessariò est vera, seu, nequit esse falsa. *In* prędmisis autem falsis, medium connectitur cum extremitatibus per intellectûs acceptionem, & cõsequenter & extremitates eodem modô invicèm connectuntur; adeoquè possunt esse, & non esse connexę in re; ac proinde conclusio, ex præmisis falsis rectè deducta, potest esse vera, vel falsa. Vide Sotum l. 2. sum. c. 5. de Prop. lect. 3. Notab. 5.

635 Conclusio autem falsa, quantùm ad substantiam & esse conclusionis, inferri potest ex prędmisa vera, etiam si sit de fide; licèt quantùm ad falsitatem ab ea non dependeat: sicut eôdem modô inferri potest conclusio de fide ex utraque

que præmissa hęretica, ut in hoc Syllog. *Ubicumque datur unica persona, datur unica natura; sed in Deo datur unica persona: ergo.* Conclusio enim quantùm ad substantiam & esse conclusionis, essentialiter pendet ab utrâque præmissa; secùs quoàd veritatem & falsitatem, quę sunt accidentia propositionis, vel saltèm conclusionis, ut talis; quæ non variatur penès veritatem, vel falsit. sed penès illationem in modo & figura. Potest igitur concl. *quà talis*, dependêre à præmissa, à qua non dependeat *quantùm ad veritatem*, vel *falsitatem.*

636 Opp. 4. testimonia illa Scrip. significantia, Deum homines decipere, ut, 3. Reg. 20. dixit Dominus Spiritui malo: *Decipies, & prævalebis, egredere, & fac ita.* Job 12. *Qui immutat cor Principum... & decipit eos... & errare facit eos, quasi ębrios.* Isaiæ 19. & 63. conqueruntur homines de Deo, his verbis: *Quare nos errare fecisti Domine de viis tuis?* Ezech. 14. dixit Deus: *Et Propheta cùm erraverit: ego Dominus decepi Prophetam illum.* Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quę non conveniunt.* Et 1. ad Thess. 2. *Ideo mittet illis* (Deus) *operationem erroris, ut credant mendacio: Pręt.* In Scrip. habentur variæ prædictiones, & promissiones divinę, quę implętæ non fuerunt: ut Gen. 4. Cain dicenti: *Omnis qui invenerit me, interficiet me*, respondit Deus: *Nequaquàm ita fiet.* Et tamen occisus fuit Cain à Lamech, ut ibidem innui videtur. Per Isaiam Ezechię mortem, & per Jonam Ninivitis prædixit subversionem, quæ tamen non sequebantur, cùm Ezechias adhùc vixerit 15. annos: & Ninive subversa non fuerit: ergo.

637 *Ad* 1. R. test. illa intelligi *permissivè*, juxta vulgarē Theol. regul. sicut docetur de peccatis, & de induratione, & excęcatione: absurdum enim foret, concedere Deo, quod illi repugnat; cujusmodi sunt *decipere*, & memorata *positivè præcipere*, aut *imperare.* Porrò in Scrip. pro eodem quandoque summuntur *præcipere*, & *permittere*, ut patet Mar. 10. *Moyses* (dixerunt Pharisæi) *permisit libellum repudii scribere.* Quibus respondit Dom. *Ad duritiam cordis vestri, scripsit vobis præceptam istud.* Matth. 19. dicunt Pharisæi:

ſæi: *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii?* Reſpondit Chriſtus: *Ad duritiam cordis veſtri, permiſit vobis dimittere uxorem.* Attendenda eſt ergo materia circa quam cadit præceptum, vel conſilium; & ſi fuerit Deo repugnans, intelligi debet *præmiſsivè*, qualitèr accipiendum eſt v. g. illud Chriſti J. 13. ad Judam volentem illud tradere: *Quod facis, fac citiùs.*

938 *Ad* 2. N. ant. ad 1. prob. R. Dominum non promiſiſſe Caino, non eſſe occidendum abſolutè; ſed non eſſe occidendum *licitè*, & *impunè*, qualiter ipſe præ turbatione exiſtimabat; ideoque adjecit Dom. *Qui occiderit Cain, ſeptuplùm punietur. Sed* nec conſtat, virum à Lamech occiſum, fuiſſe Cain; imò id Rabinorum figmentum reputant Burg. Oleaſter, Maluenda, aliique; tametſi Abul. Cajet. & alii aliter ſentiant. *Ad* 2. prob. R. 1. diſt. ant. Prędixerit abſolutè, N. comminatoriè, & conditionatè, niſi Ezechias rogaverit Deum, niſi Ninivîtæ egerint pœnitentiam, C. Quanvis enim prophetîa, quæ dicitur *prædeſtinationis*, ſemper impleatur; non verò *comminatoria*, ſi ille, cui fit comminatio, pœnitentiam agat, ut docet D. Th. infrà q. 174. a. 1. *Vel* dicendum cum eodem infrà q. 171. a. 6. ad 2. prędictiones illas intelligi, & veras eſſe, ſecundum ordinem cauſarum ſecundarum.

939 Opp. 5. Mentîtus eſt Abraham Gen. 20. dicendo, Saram eſſe ſororem ſuam, & Gen. 22. dicendo Servis ſuis, ſe cum filio reverſurum, quem juſsû Dei immolandum ducebat. *Mentitus* pariter eſt Jacob. Gen. 27. dum Patri dixit, ſe eſſe Primogenitum ſuum Eſau; & tamen uterque inſtinctû divinô locutus eſt, ut de primo docet Amb. lib. 1. *de Abraham* c. 8. & de Jacob. Innoc. III. cap. *Gaudemus, de divortiis*: ergo. N. maj. ob dicta t. 2. n. 380. *Credendum enim eſt* (ut ex Aug. ait D. Th. infrà q. 110. a. 3. ad 3.) *illos homines, qui propheticis temporibus digni authoritate commemorantur, omnia, quę ſcripta ſunt de illis, prophetice geſſiſſe, atque dixiſſe.*

940 *Abraham tamen* (ſubdit ex Aug. D. Th.) *dicens, Saram eſſe ſuam ſororem, veritatem voluit celari, & non menda-*

dacium dici, cùm talis essèt *ex parte Patris*, ut ipse ibidem dixit, id est, neptis patris sui, & filia fratris sui Aram. *Nec* contra mentem servis locutus est, quia filium protinùs suscitandum sperabat, ut implerentur promissiones de illo factæ, juxta illud Hebr. 11. *Fide obtulit Abraham Isaac... arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus. Jacob* autem mysticè tunc locutus est, ob debita sibi primogenita: *Erat* igitur *Esau*, non personâ, sed jurè: sicut Joannes erat spiritû *Elias*, non personâ. *Nec* tenebatur ad intentionem Patris respondêre; quia loquebatur ut Propheta, designans mysterium subrogationis minoris populi, nempè, *gentilis*, in locum primogeniti, nimirùm *Judaici*.

641 Opp. 6. Quia Jacob Gen. 49. dixit spiritû Dei: *Non auferetur sceptrum de Judà, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, hoc est, Christus; sed hoc non fuit adimpletum, nam cùm ab exitu Israël de Ægypto usque ad Herodem mille trecenti & ampliùs fluxerint anni, Tribus Judâ solùm per decursum 473. ann. tenuit populi Principatum, ut ex Scrip. liquet: ergo. En difficillimum nodum, cujus septem refert, ac rejicit solutiones Pererius. Quibus omissis, R. cùm SS. Just. Athan. Ambr. Aug. Chrysost. & cum Eusebio, Theod. & Rup. (quibus ipse Pererius, J. à S. Th. Graveson, aliique subscribunt) vaticinium non esse intelligendum de speciali Tribu Judâ, ut ab aliis condistinctâ, sed de tota illa Gente Judaicâ in illas distributâ, de qua verè non defêcit Principatus, usque ad Adventum Messiæ.

642 Nec defuit ratio, cur Jacob Judam potiùs, quàm alios alloquens, verba illa (ad omnes pertinentia) protulerit; præviderat enim, sceptrum Judaicum in Tribu illa Judę longissimô tempore, & quidem magna cum gloria, & majestate, permansurum. Erat præterèa Tribus illa præcipua, ac nobilior Populi illius pars, quę pro toto Populo frequenter sumitur, ut *Jerusalem*, & *Sion* pro omnibus Judæis; *Babylon* pro Caldęis, *Samaria*, & *Ephraim*, pro Regno decem Tribuum. *Accedit*, prævidisse Jacob totam illam Gentem *Judaicam*, regionemque *Judæam* tandèm appellandam,

dam, ut accidit post captivit. *Meritò* igitur Judæ Tribui signanter asseruit Patriarcha, quod de universo Populo vaticinabatur. Et per hęc fit satis omnibus, quę in oppositum objici possunt.

643 Opp. 7. In Scrip. reperiuntur quædam ironicè dicta, ut illud Gen. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Responsio illa Micheæ ad Reg. Israël 3. Reg. 22. *Ascende, & vade prosperè, & tradet eam* (Ramoth Galaad) *Dominus in manus Regis.* Illud Paul. 1. Cor. 4. *Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis, &c.* Sed ironia est species quædam mendacii, juxta Phil. 4. eth.c.7. & D.Th. ibi & infrà q. 110. a. 2. ergo. *Præt.* Christus D. J. 7. dixit consauguineis, se non ascensurum in Judęam, quam posteà conscendit, ut ibidem dicitur. Mar. 12. diem judicii, quem probè noverat, se ignorare contestatus est. Lucæ 24. se finxit longiùs ire. *Demùm*: Si caruisset *quà homo* omni donô scientiæ, posset opinari, & fide humanâ credere: ergo & falli & falsa loqui. *Ad* 1. R. Nunquàm Dominum, ejusque Ministros, usos fuisse ironiâ, in sensu de quo Phil. & D.Th. loquuntur, nimirùm, ad astutè decipiendum; sed quatenùs est figura in pronuntiatione, & gestu vim omnem habens, dùm scilicèt pronuntiatione ipsâ, vel gestû, lapidè, & absque ullo mendacio, nos diversum ostendimus significare ab eo, quod verba ipsa sonare videntur; cujusmodi est illud Junônis apud Virgil. 10. Æneid. *Me duce, Dardanius Spartam expugnavit adulter.* Nisi enim amaritudo pronuntiationis adjuerit, confiteri videtur, quod negare contendit.

644 *Ad* 2. R. verisimè dixisse D. se non ascensurum, qualiter cognati requirentes optabant, nimîrùm, *palàm*, & *honorificè*, se manifestando signis & prodigiis; tametsi posteà ascenderit *non manifestè, sed quasi in occulto*, de quo illi non curabant; quibus proinde respondit Dom. juxta mentem, sed contra intentionem eorum. *Verisimè* pariter dixit, se ignorare diem judicii, tanquàm Legatum à Patre, & Doctorem Gentium, seu in ordine ad publicationem, quia Pater vult, hoc occultum manere. In quibus tamen usus

non

non est *amphibologia*, seu *æquivocatione formali* (quâ nihil humanæ societati infensius,& à Christiana simplicitate alienius est) sed materiali duntaxàt, quia ex antea dictis, & circunstantiis adjunctis petitionis, & personę respondentis, poterant (si vellent attendere) verum sensum à loquente intentum, intelligere.

645 Dum autem dicitur, *finxisse, se longius ire*, sensus est, composuisse motum suum, quasi longiùs ire volentis,ad aliud figuratè significandum, nempè, quòd ipse ab eorum fide longè erat, juxta Greg. *Vel*, quia, cùm longiùs recessurus esset per Ascensum in Cœlum, hospitalitatê quodammodò retinebatur in terra, ut Aug. ait. *Cùm autem fictio* (inquit ipse) *refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqna figura veritatis.* Et subjungit exemplum de figuratis locutionibus, in quibus fingitur quædam res, non ut asseratur ita esse, sed eam proponimus ut figuram alterius, quod asserere volumus. Fingere enim *componere* dicimus; unde & compositores luti, *figulos* vocamus, ut scitè ait Greg. Non igitur omne quod fingimus, mendacium est, sed tunc solùm, quando id, quod fingimus, ad nullius veritatis significationem refertur. *Ad ult.* R. posse quidem tunc opinari, & fidê hum. assentire, absque contingentia tamen judicii, vel assensûs falsi; eò quòd omnes ejus operationas elicerentur à Verbo per modum suppositi, adeoquè cum speciali manutenentia, ut nullum judicium falsum eliceret. De quo latiùs 3.p.q.15.a.3.

646 Opp. 8. In Scrip. (cujus Deus est Author) plures apparent antilogiæ seu loca invicèm repugnantia, adeoquè falsa ex aliqua parte: ergo. Prob. ant. In primis Gen. 1. dicitur Deum sex diebus mundum condidisse; Eccl. autem 18. asseritur, ipsum simùl omnia creasse. *Item* Gen.1. lux dicitur creata primâ die; quæ tamen producta videtur cum Sole quartâ die. *Ibidem* etiam cap. 23. dicitur, Abraham emisse sepulchrum ab Ephron filiô Seor. Act. autem 7.dicitur illud emisse à filis Emôr, filii Sichem; ubi alia aparet contradictio, nam Gen. 33. dicitur Emôr patrem fuisse Sichem, non filium. *Pręt.* 3. Reg. 8. dicitur, quòd in Arca ni-

nihil aliud erat, nisi Tabulę Testam. & tamen ad Hebr. 9. dicitur, quòd erat ibi Mannâ, & Virga Aaron.

647 Ulteriùs. In lib. Job non semel dicitur, ipsum peccasse, & non peccasse: *Ad hæc* 4. Reg. 8. legitur, Ochoziam cæpisse regnare cùm esset annorum 22. & tamen 2. Paralip. 22. dicitur, quòd erat annorum 42. cùm regnare cæpisset. Ex hoc autem (si verum esset) ulteriùs sequeretur, quòd Ochozias esset duobus annis major patrê suô Joràm; iste enim (ut ibidem dicitur) mortuus est, cùm esset annorum quadraginta. *Insuper* Magdalena dicitur J. 20. venisse ad monum. manè, *cùm adhuc tenebræ essent.* Mar. autem 16. *Orto jam Sole.* Postremò Rom. 3. dicitur, *justificari hominem per fidem, sine operibus.* Jac. autem 2. *ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Mittimus alia loca, in speciem pugnantia, nè in infinitum, & præter institutum nostrum, procedamus. Plura videri possunt apud Can. l. 2. c. 17. & 18. Beccan. c. 3. de fide q. 8. & Tirin. t. 3. indice 4. Nunc, ut objectis occurramus,

648 N. ant. *Ad* 1. prob. R. ly *simùl* accipi ibi pro *æquè*, seu *pariter*: Sensus ergo est, quòd Deus sit æquè omnium creator, licèt multa successivè creaverit: Sic Psal. 48. dicitur, *simul incipiens & stultus peribunt.* *Ad* 2. R. D. Th. 1. p. q. 67. a. 4. ad 2. ex Dion. lucem Solis, productam quidem fuisse primâ die, sed informem: quartâ autem die fuisse formatam, & determinatam ad particulares effectus. *Ad* 3. (sanè difficile) R. cum Lyr. Cajet. Menoch. à Lap. & aliis, patrem Ephrônis fuisse binomium, vocatumque fuisse *Seor*, & *Hemor*. Profectò apud Hebræos plures fuisse binomios, cuilibet, nomina 1. Paralip. recensîta cum relatis in Gen. conferenti, constabit. Porrò *Hemor*, vel *Seor*, fuit filius Sichêm, non quidem illius, à cujus fratribus emit Jacob partem agri, Gen. 33. & qui Dinam Jacobi filiam oppressit; sed longè istô antiquioris. *Hemor* autem (pater posterioris Sichem) vel fuit alius ab Hemore sive Seore; vel fuit idem ipse, patrem & filium cognomines habens, ita, quòd prior Sichem posterioris sit Avus.

649 *Ad* 4. R. in Arca fuisse distinctionem quandam,

ita

ita ut aliquid posset esse in medio ejus, aliud ad latus; juxtà illud Deut. 31. *Tollite librum istum, & ponite illum in latere Arcæ.* In medio igitur Arcæ (quod *Arca* absolutè dicebatur) solę Tabulę erant, ut dicitur 3. Reg. in latere verò (quòd latiori vocabulô *Arcam* appellat Apost.) Virga Aarô, & Urna cum Mannâ: Unde omnia consonant. *Ad 5.* R. utrumque verificari, quia etsi nunquàm graviter, levitèr tamen quandoque peccavit Job. *Quòd* si nec levitèr deliquerit, (ut vult Greg.) dicendum, verba illius nonnullam mali speciem habuisse, ideoque dixit: *Leviter, & incipienter locutus sum.* Vel, quia excusationes & querimoniæ ejus, erant *stultitiæ*, & *vanæ locutiones* apud Deum, apud quem omnes justitiæ nostræ *sicut pannus menstruatæ* dicuntur esse Isai. 64.

650 *Ad 6.* R. in illis 42. ann. Ochoziæ attributis, includi 22. annos, quibus pater ejus Jorâm perversè regnavit: Quod quidem factum est vitandi erroris causâ, qui irrêpere posset in historia, si 20. illi anni prorsùs omitterentur. Sic paritèr 1. Reg. 13. duo tantùm recensentur anni Regni Saûlis (quem constat, per plures regnasse) quia nimirùm, solùm bienniô rectè, deinceps verò tyrannicè imperavit. Et quia initiô Regni sui, erat Saul humilis, & quasi parvulus in oculis suis, præmittitur ibidem: *Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cæpisset.* Sic Hier. Aug. aliique PP. & Exp. videndi apud à Lap. *Ad 7.* R. Magd. domô profectam dùm adhùc tenebræ essent, non nisi ortô jam Sole ad Sepulchrum perveniisse. *Vel* dic, sæpiùs illam ad monum. veniisse. *Ad ult.* R. utrumque verificari; nam *opera legis* non justificabant, exclusâ gratiâ Christi, sed *fides* (utiquè *formata*, & *viva.*) & justificamur operibus factis ex fide & gratia Christi.

651 Ex dictis inf. 1. nec posse habitum erroneum (etiam speculativum) à Deo infundi; nec errorem actualem ab illo per se causari: Error enim, quatenùs ab ignorantia distinctus, importat falsitatem, & deformit. moralem, Deo repugnantes, ut ex D. Th. diximus t. 2. n. 589. Habitus autem erroneus quantùnvis speculativus, inclinat in erro-

errorem, quà talem: ergo. *Est* insuper error (seu habitualis, seu actualis) malum quoddam physicum, in privatione formaliter consistens, juxta dicta t. 2. n. 811. adeoquè neutiquàm in Deo contentum, aut ab illo directè causabile, quoàd formalit. malitiæ. *Nota* tamen, ut instantias præcludas, quòd quanvis Deus nullius mali, quà talis, sit author, positivè & immediatè influens; mali tamen physici est verè author, positivè volens seu approbans. Et idem de malo pœnæ physico esto judicium: erroris tamen neutiquàm author est, quia est malum morale & peccatum; juxta D.Th. ubi suprà. Vide ominò dicta t.2.n.991.

652 Inf. 2. neutiquàm posse falsam doctrinam veris à Deo miraculis confirmari. Id quod expresè docet D.Th. infrà q. 78. a. 2. q. 6. de pot. a. 5. & lect. 2. in c. 3. 2. ad Tes. *Hinc* meritò Supremus Hispanicæ Inq. Senatus sequétes proscripsit Theses: *Deus potest miracula patrare, quibus creatura doctrinam confirmet falsam... In aliqua providentia, illâ* (idest, doctrinâ falsam) *miraculis velle confirmare potest* (scilicèt Deus.) & quidem primam, *temerariam*; secundam verò, declaravit *hæreticam*, & palinodiam publicè canere compulit illum, qui eas defendere ausus fuerat in hac Valentina Urbe, ubi iterùm aliæ Theses vulgatę quidem (sed nondùm propugnatæ) proscriptæ sunt, præfatas recoquentes, cujus utriusque facti & nos oculati testes sumus.

DUBIUM II.

Utrum Fides composibilis sit cum evidentia in attestante?

653 CONcl. *Evidentia divinæ attestationis, seu revelationis, se sola, composibilis est cum assensu fidei erga veritatem, sic revelatam; secùs, si cum evidentia divinæ infallibilitatis conjungatur. Quoàd* 1.p. est comm. & constat, nam quòd evidens sit, veritatem esse à Deo revelatam, non impedit, quominùs veritas in se sit obscura & inevidens;

adeoque liberè & per fidem attingibilis : ergo. *Secundam* verò p. defendunt Vict. Cano, Bañez, G. Mart. Marinis, Ferre, Escuder, aliique, adversus Cajet. Ferrar. Alv. Araujo, Serra, Gonet, Labât, Salm. & alios. Et prob. efficaciter : Tunc enim veritas illa revelata attingitur per strictam demonst. qualis est sequens v.g. *Quidquid Deus dicit, est verum in re ; sed Deus dicit, Verbum assumpsisse nat. hum. ergo Verbum assumpsisse nat. hum. verum est in re* ; sed demonstrans conclus. aliquam, nequit illi assentire per fidem, ut hîc ostendit D.Th. ergo. *Prę.* Tunc, sic syllogizans, nulli præmissæ dissentire potest, cum supponantur illi evidentes: ergo nec conclusioni : ergo huîc non liberè, sed necessariò assentitur : ergo non per fidem, cujus assensus liber esse debet.

654 Et quanvis talis syllog. nec procedat à causa ad effectum, nec econversò; non propterea desinit esse stricta demonst. *quia*, nec enim omnis demonst. *quia*, est à posteriori, sufficit enim quòd procedat *à non causa in re*, ut optimè docet Lerma 8. Post. q. 9. & patet in demonst. *per signum, per æquale*, (quales sunt ferè omnes mathematicæ) *per concomitans*, & *connexum*, & in *deducente ad impossibile*, & id genus. Certum quidem est, sequentem v. g. esse strictam demonst. *quia* ; tametsi à posteriori non sit : *Quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se ; sed istę duæ quantitates sunt æquales uni tertio : ergo.* Quanvis igitur omnis demonst. *à posteriori*, sit *quia*; non tamen econversò.

655 Nec procedere per medium extrinsecum (ut alia præcludatur evasio) officit strictæ demonst. evidentiam rei in se facienti, ut patet, *tum* in syllog. modò adducto, *tum* in isto : *Quidquid palpatur, & videtur oculis corporeis, corpus est; sed hoc palpatur, & videtur oculis corporeis : ergo.* Quô usus est Dom. Lucæ 24. dicens : *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, ut veritatem sui corporis evidentem Discipulis redderet. *Videri* autem & *palpari* extrinsecum prorsùs est corpori ut tale sit. *Tum* in hoc alio: *Omne visum à Deo scientia visionis, formaliter quà tali, præsens est Deo in æternit. physicè, realiter, &*

in

in se ; sed futura , quandòque extitura , sunt visa à Deo scientia visionis, formaliter quà tali : *ergo.* Cujus concl. est proculdubiò evidens cuicunque tales sint præmissæ ; scientia tamen visionis , formaliter quà talis, est medium omninò extrinsecum ; quippè sub illa expresione , nec est causa rerum , nec ab illis causatur , ut apud Thom. est indubit. ergo.

656 Tum præt. Quia si veritas, semel demonstrata per medium extrinsecum, posset adhuc credi , *quatenùs non demonstrata per intrinsecum* ; posset & veritas semel demonstrata à post. adhuc credi , *quatenùs non demonstrata à priori*; adeoque Philosophus Christ. (demonstrans *à post*. duntaxàt existentiâ Dei) posset istam credere , quatenùs *non demonstratam à priori* ; qualiter demonstrabilem esse (si ab essentia virtualiter distinguatur) docet Godoy disp. 1. in 1. p. à n. 31. consequens autem apertè D. Th. adversatur : ergo. *Hinc* corruit solut. Gonet : si enim veritas demonstrabilis per plura media, semel per unum solùm demonstrata , potest credi , quatenùs connexa cum alio ; possent in eodem circa idem componi scientia, fides, & opinio penès diversa media, quod est antithomisticum.

657 Corruit insuper, nam scientiæ munus est attingere veritatem ut connexam cum medio ; fidei verò, attingere illam ut à Deo revelatam , quantumvis cum nullo medio connectatur. Et sanè veritas illa, *Verbum assumpsit naturam hum.* revelata simpliciter est, ut in se ipsa est , & præcisivè à quocunque medio : ergo ut connexa cum medio intrinseco (quamlibèt, prout sic, obscura maneat) non est attingibilis per fidem, quæ non attingit veritatem , nisi ut revelatam. *Tandem.* Nam veritas illius concl. non solùm est evidens , *ut revelata* , sed etiam *in se* , id est , non solùm est evidens, quòd *revelata sit* (hoc enim præsupponitur in minori illius syllog.) sed etiam , quòd *in se non potest aliter se habere*, quod ex illa evidentia revelationis , & ex alia infallibilitatis divinę (præsuppositâ in majori) evidenter deducitur : ergo. *Et* hinc detecta manet æquivocatio , quâ Authores opp. laborare videntur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

958 Opp. 1. Angeli in ſtatu viæ habuerunt fidem myſteriorum Dei, ut docet D.Th. infrà q.5.a.1. ſed tamen habuerunt evidentiam, non modò infallibilitatis divinę (vel ab homine demonſtrabilis) ſed etiam divinæ atteſtationis ſeu revel. ergo. Prob. min. & quidem Angelorum ſupremo evidens erat, ſe eſſe talem, adeoquè à ſolo Deo mediatè, vel immediatè, ſe inſtrui, aut illuminari poſſe; cùm evidens illi eſſet, à nullo inferiori (niſi fortè inſtructô à Deo) id fieri poſſe. Imò & reliqui omnes parem divinæ revelat. evidentiam habuerunt: cùm enim ſimul omnes creati fuerint, & in primo inſtanti revelationem acceperint, & crediderint; non potuit ſuperioris illuminatio, inferioris fidem præcedere: omnes ergo evidenter cognoverunt, ſe immediatè à Deo illuminari.

959 Argumentum ſanè difficile, & quô Dur. in 3.d. 23. q. 2. convictus fuit ad negandum Angelo in via fidem (quod *temerarium*, & *errori proximum* communiter reputatur) Adverſarii autem invictum pro ſua ſent. reputant. Illi tamen (omiſsis variis ſolut. planè inſufficient. quas rejicit Marinis) R. cum ipſo ex M. Bañez hîc q. 5. a. 1. §. *Ad 1. arg.* N. min. quoàd 2. p. Ad utramque prob. N. ult. conſ. revelatio enim non fuit illis defacto evidens, neque in effectu, neque in cauſa; cùm nec Deum tunc viderint, neque revelationem; ſed certi erant, certitudine fidei, quòd talis revel. illis fiebat, & quòd à ſolo Deo: Unde eô modô ſe habuit Angelus, quô homo Catholicus, qui certiſsimus eſt, quòd à Deo illuminatur ſupernaturali lumine fidei; & tamen, neque habet evidentiam *revelantis*, neque ipſius *revelationis in ſe ipſa*:

960 Dices: Quanvis argum. factum, non probet, habuiſſe Angelos evidentiam *immediatam* divinæ revel. in ſe ipſa: convincit tamen, habuiſſe *mediatam*, & *arguitivam*: ergo. Prob. ant. Nam evidens ipſis erat, ſe habere revel. de myſteriis Dei; ſed evidens illis erat, illam ab alio, quàm Deo, ſe habere non poſſe: ergo evidens illis erat, revelationem eſſe divinam, ſive à Deo. *N. ant.* Ad prob. N.

maj.

maj. Cùm enim revel. illa fuerit *supernaturalis* (ut supponitur) implicat, quòd fuerit illis *naturaliter*, seu lumine naturali *evidens*, etiam quoàd *an est*. *Deinde* non constat, fuisse illis *supernaturaliter* seu lumine supern. *evidentem*: evidentia enim infusa (utpotè gratuita) potuit à Deo illis denegari, inviolatô naturæ jurê ; nec assignari potest textus, aut traditio, ostendens, fuisse Angelis defacto concessam, seu non denegatam : Neutiquàm ergo fuit Angelis *evidens* revelatio illa, adhuc quoàd existentiam : restat igitur, quòd illam solô fidei lumine certissimè cognoverint. Unde, datô, quòd *evidenter* cognoverint illam à solo Deo haberi posse ; inferre *evidenter* non potuerunt, esse divinam, evidentiâ absolutâ, & consequentis (de qua est quæstio) sed conditionatâ, & consequentiæ duntaxàt, qualis est omnis evidentia Theologica, cum fide utiquè compatibilis. Per quæ patet ad omnia, quæ objici possunt.

661 Opp. Nihilominùs 2. ad idem : Angelus credens sibi revelata, habuit quasi evidentiam experimentalem suæ fidei, utpotè experiebatur, se credere : ergo cognovit evidenter, illam esse supernaturalem, cùm evidenter cognosceret, non esse naturalem : ergo habuit evidentiam divinę revelationis. *Præt.* Angelus evidenter cognovit, assensum suę fidei esse à Deo, ut speciali authore, utpotè elicitum in primo instanti : ergo. *Argumentum* istud planè inefficax est. *Tum*, quia infert evidentiam divinæ attestationis subsequentem fidem, de qua non est lis, sed de præcedente illam, de qua dubitatur, an fidem impediat circa sic revelatum, nec ne? *Tum*, quia probat, habuisse Angelum evidentiam de actu fidei supernaturali, quod falsum est, juxta omnes. Pro omnibus igitur

662 R. ad 1. permissô ant. N. cons. & prob. Nec enim evidenter cognovit, assensum suæ fidei *non esse naturalem*. Et datô hôc, minimè adhuc infertur, quòd cognoverit evidenter, *esse supernaturalem* : nam inter hæc datur medium, scilicèt, *cognoscere per fidem*, *esse supernaturalem*; hæc enim extrema : *cognoscere evidenter id esse* ; & *cognoscere evidenter id non esse*, non sunt contradictoria, ut patet.

Ad

Ad 2. omissâ solut. M. Ferre (tanquàm homine Thomistâ prorsùs indignâ) N. cons. procedit enim à superiori ad inferius affirmativè, sicut ista: *Prima operatio Angeli est à Deo ut speciali authore naturæ, vel gratiæ: ergo est à Deo loquente, & testimonium perhibente.*

663 Eâdem doctrinâ dissolvit æquivocationem cujusdam Epis. in C. Trid. Cornelius Musus: Paralogizabat enim ille sic: *Quodlibet verum est participatio primæ veritatis: ergo cuilibet vero eadem tribuenda est authoritas, ac Sacris Traditionibus.* Cui occurrit Eloquentis. Bituntinus: *Verum est* (dixit) *quòd omne verum est participatio primæ veritatis; sed non omne verum est verbum primæ veritatis.* Ac si diceret: *Omne verum est quidem à Deo; sed non omne verum est à Deo loquente*, aut *revelante*. Vide Hist. Trid. l. 6. n. 89. Et sanè assensus fidei Angelicæ fuit à Deo ut speciali authore, juxta omnes, utpotè supernaturalis. *Et* hinc iterùm videas inanitatem solutionis M. Ferre, utpotè solvendum est arg. etiamsi præscindatur ab insinuatâ D. Th. doctrinâ, de tribuendâ specialiter authori rei operatione, incipiente cum esse rei, de qua t. 1. n. 883.

664 Opp. 5. D. Th. infrà q. 2. a. 5. dicentem: *Si aliquis Propheta prænuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando; ex hoc ipso convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur; licèt illud futurum, quod prædicitur, in se evidens non esset: undè per hoc ratio fidei non tolleretur*: ergo. R. loqui D.Th. de sola evidentia *credibilitatis*, quâ *convinceitur intellectus, ut judicet, esse credendum his quæ dicuntur.* Ad explicandum siquidem hunc modum, quô intellectus convincitur, subjungit verba objecta: quæ proinde solam evidentiam *credibilitatis* enunciant, quanvis evidentiam *attestationis* sonare videantur. *Et* sanè, si cum evidentia in attestante adæquatâ conciliaret fidem; frustrà explicaret, quomodò voluntas credendi præcedere debeat fidem: tali enim evidentiâ suppositâ, raperetur intellectus ad futuri illius assensum; vellet, nollet voluntas.

665 Insuper D. Th. loquitur de *evidentia naturali*, con-

vin-

vincente nimirùm negativè intellectum ex signo sensibiliter visô ; quæ proindè nequit esse *atteſtationis*, sed ad summum *credibilitatis*. *Et* sic intelligendus est S. D. ubicumque ait, *convinci*, *seu cogi intellectum ex evidentia signorum* : cùm enim intellectus naturalem illorum causam non inveniat; ad Deum, ut operantem supra naturam, recurrere cogitur; non quidem per positivam illationem ex signo, ut visô ; sed sed quia non invenit aliam causam : semper tamen cum formidine, forsàn illa re ipsâ detur, licèt sibi ignota : à qua formidine liberari non potest nisi per fidem, gratis dandam. *Dato* autem, loqui D. Th. de evidentia *atteſtationis divinę* ; dicendum, non loqui de illa ut conjunctâ cum evidentia divinę *infallib.* quę minimè infertur ex patratione miraculi in testimonium futuri prænuntiati, ut patet.

666 Opp. tandem : Potest aliquid esse *evidens* quoàd rationem communem, & simul *obscurum* quoàd specialem; sed *revelatio*, & *infallibilitas divina*, sunt ratio communis omni veritati fidei: ergo suppositâ evidentiâ revel. & infallib. divinę, potest veritas revelata esse obscura, & credi, quoàd rationem sibi specialem. *Prę.* Revelatio divina infallibilis est motivum formale ad credendum : ergo illius evidentia non destruit (sed potiùs adstruit) fidei assensum. *Ad* 1. dist. min. sunt ratio communis, ex parte motivi & rationis formalis ad credendum, C. ex parte rei creditæ, N. Sunt autem motivum formale ad credendum, quatenùs sunt obscurè acceptæ: implicat ergo quòd ambæ sint evidentes erga aliquam veritatem, & quòd non tollant fidem erga illam. *Et* quidem tunc sunt evidentes, nedùm quoàd rationem comm. sed etiam quoàd specialem, idest, quatenùs erga veritatem illam specialiter versantur. *Ad* 2. dist. ant. est motivum formale ad credendum, quatenùs obscurè accepta, C. ut evidenter accepta, N. ant. & cons. Reliqua arg. objici solita, vel non sunt ad rem, vel primam concl. p. ostendunt.

667 Ex dictis necessariò infertur incompossibilitas fidei cum evidentia rei in se, quam ex professo ostendit D. Th. hîc a. 4. & 5. & communiter Nostrates in Poster. Quapro-

pter,

pter, nè acta agamus, ab illa examinanda ſuperſedêmus. Quædam duntaxàt breviſsimè indicare juvat, ad plenam objectionum vulgarium ſolutionem. *Primùm*, ex illo D. Th. in 3. d. 31. q. 2. a. 1. ad 4. *Scientia, & opinio poſſunt eſſe ſimul, quia ſunt ſecundum diverſa media*, inferri neutiquàm poſſe à pari compoſsibilitatem fidei cum ſcientia, juxta mentem D. Th. cùm oppoſitum ibidem ex profeſſo propugnet. *Nec* illud ad mentem ſuam protulit, ſed gratis admiſit ut magiſtraliter reſpondêret, aſsignando diſcrimen inter *ſcientiam, & opinionem* ex una p. & *fidem, & viſionem* ex alia: illæ ſiquidem reſpiciunt media *formaliter*, & *materialiter* diverſa (demonſtrativum, ſcilicèt, & probabile) iſtæ verò, *idem materialiter*, nempè (primam veritatem revelantem) quamvis *formaliter* diverſa.

668 Philoſophum inſuper fidelem (non credentem, ſed ſcientem exiſtentiam Dei naturalem) neutiquàm eſſe deterioris conditionis, imò *melioris* apertè ruſticô fideli; quem nimirùm erga illam, & in merito æquat (ob promptitudinem voluntatis, à charitate non diminutâ provenientem, ut docet D. Th. infrà q. 2. a. 10. ad 2.) & in certitudine quadantenùs ſuperat, utpotè geminâ gaudens circa talem exiſtentiam; *naturali*, ſcilicèt (per demonſtrationem habitâ) & *ſupernaturali* (per aſſenſum, quô *illam à Deo revelatam eſſe* firmiſsimè credit.) Quamvis autem (ut inſtantiam præcludam) *aſſenſus fidei* eſſentialiter exigat obſcuritatem ex parte objecti; ſecùs *fidei certitudo* ex parte veritatis cui ineſt; procedit enim ex teſtimonio divino, cui omninò âccidit, eſſe *clarum*, vel *obſcurum*, ad illam præſtandam. Famosô igitur argumentô illô convincitur quidem, actum ſcientificum Philoſophi Chriſt. inferiorem eſſe aſſensû fidei ruſtici, quod quis neget? aut quid inconvenit? neutiquàm tamen, ruſticum Philoſopho præſtare fideli, imò nec iſtum ullatenùs æquare.

669 Cognitionem demùm abſtractivam, quà talem, non exigere objectum in ſe abſens; ſed ſolùm, quòd in vi medii (quô utitur) non ſit præſens: Poteſt igitur illa eſſe & *neceſſaria*, adeòque *evidens* (ſicut in beatis) & *libera*,

ſeu

seu *inevidens*. Prima compatibilis planè est cum intuitiva, pariter evidenti ac necessariâ ; secùs secunda. Assensus autem fidei est necessariò & essentialiter liber, cùm fides sit *argumentum non apparentium* ; exigit proinde objectum *in se non visum*, adeoque *non scitum*, aliàs non posset illi non assentire; ac proinde non *liberè*, sed necessariò illi assentiret. *Et* hinc habes cont. M. Serra, assensum theologicum compatibilem esse cum assensu fidei, cùm sit absolutè *liber*, & *inevidens*, cum sola necessitate, & evidentiâ consequentiæ.

DUBIUM III.

Utrum mysteria nostræ fidei sint evidenter credibilia fide divina : & à quo talis evidentia proveniat?

670 PRima concl. est affirm. & comm. Ante cujus prob. adverte, evidentiam credibilitatis, esse certam & evidentem cognitionem idoneitatis, ac dignitatis rei, ut credatur ; adeoquè diversam omninò esse, *tum* ab evidentia rei creditæ in se, *tum* ab evidentia attestationis, seu in attestante. Quô suppositô, prob. & quidem, esse evidenter credibilia, constat, *tum* ex illo Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, ideſt, *magis, quàm prima principia scientiarum acquisitarum*, ut Lyra, communiter receptus, exponit; ac proinde *evidenter*. Unde Ricar. Victor. l. 1. de Trinit. c. 2. ait : *Ea quæ revelata sunt nobis cælitùs, tàm multis, tàm magnis, tàm mirit prodigiis confirmata sunt, ut genus videatur esse dementiæ, in his vel aliquantulùm dubitare.* Tùm ex D. Th. hîc a. 4. ad 2. docente, quòd ea quæ sunt fidei, considerata in generali, seu sub communi rat. credibilis, *sunt visa ab eo, qui credit.*

671 Tum rat. Primùm : Nam sine aliqua evidentia nihil est cognoscibile per judicium determinatum; ut sine evidentia *scibilitatis*, nihil est scibile ; sine evidentia *opinabilitatis*, nihil opinabile : ergo sine evid. credibilitatis nihil est credibile. Nec voluntas potest applicare intel-

le-

lectum ut credat id, quod credibile non apparet. *Deinde*: Nequeunt non esse evidenter credibilia mysteria, idoneis testibus comprobata, congruentissimis ration. stabilita, & nihil contra rationem, nihil non sanctum, sublime, & Deo dignum, continentia: Mysteria, inquam, fidei nostræ, omnium veterum Proph. ac Sybillarum Oraculis prænuntiata, Unigeniti, qui est in sinu Patris, testimoniô firmata, Apostolorum, ac innumerabilium Martyrum sanguine sancita, à tot Sanctissimis DD. firmissimè credita, & validissimis congruentiis explicata. *Quibus* accedunt reliqua credibilitatis argumenta, nimirùm, Fidei ac Religionis nostræ antiquitas, mirabilis propagatio, puritas, stabilitas, miraculorum gloria; infelix hostium illius exitus, Gentilium, Judæorum, & Mahometan. testimonium; imò dæmonum confessio. Quæ omnia (post PP. ac Veteres Scholasticos) eruditissimè expendunt Ludovicus Granat. Bellar. ac novissimè Gonet. ac Contens.

672 Hinc prçclarè Picus Miran. dixit: *Magna insania est Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicę resonant voces, prodigia probant, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sed longè major insania est* (subdit eleganter ac piè) *de verit. Evang. non dubitare; vivere tamen, quasi de ejus falsitate non dubitares.* Vivis autem quasi de ejus falsitate non dubitans, si ad illius normam opera tua non exigis; nam, ut ait Aug. Ser. 237. de Temp. *Difficilè est, ut malè vivat, qui benè credit.* Hinc etiam illud laudati Ric. solatii plenum: *Domine si error est, à te decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, que non nisi per te fieri possunt.*

673 Quòd autem Religionis nostræ myst. sint evidenter credibilia fide divinâ prob. *Tum* ex D. Th. a. 4. ad 2. ubi (postquàm dixit, ea quæ subsunt fidei sub ratione comm. credibilis, esse visa ab eo qui credit) subdit: *Non enim crederet, nisi videret, ea esse excedenda*, eâdem utiquè fide, quâ ipsa credit: ergo cùm credat illa fidê divinâ, hâc credenda esse videt, & non solâ fide humanâ. *Tum*, quia Oracula Proph. quibus prædicuntur; miracula, quibus confirmantur;

tur; & alia id genus, suprà indicata, credibilia esse ostendunt fide divinâ. *Demùm*, quia aliàs, cùm nulla major fides adhibenda sit rebus, quàm ea quâ videntur esse credibiles; solam humanam quis adhibêre posset mysteriis fidei, nec istâ major ab eo exigenda foret; quod absurdum est: ergo.

674 Secunda concl. *Evidentia credibilitatis myst. fidei, non modò à signis, & argum. sed etiam ab habitu, vel lumine fidei provenit.* Est ferè comm. cont. P. Oviedo, & quosdam RR. Prob. autem, *tum* ex D. Th. hîc a.4. ad 3. dicente: *Lumen fidei facit videre ea, quę creduntur*, & a. seq. ad 1. *Per lumen fidei videntur esse credenda, ut dictum est*; sed evidentia credib. illorum prôvenit ab eo, quod facit videre, seu evidenter cognoscere, credebilit. ipsorum: ergo. *Tum*, quia myst. fidei esse credib. fide infusâ, videri non potest cognitione aliquâ natur. sicut, nec aliquid esse diligibile charitate infusâ: Deinde nec videri potest donô intellectûs, aut prudentiâ infusâ, cùm enim fidelis peccator his careat (juxta D.Th. infrà q.8. a.5. & alibi sæpè) illud vidêre non possit: ergo. *Demùm*: Judicium evidens credibilit. cùm regulet (juxta infrâ dicenda) piam affectionem supern. ad credendum, supernaturale sit, necesse est: ergo ab aliquo supern. habitu, intellectum perficiente, provenire debet: ergo ab habitu fidei, nec enim alius assignari potest.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

675 Opp. 1. cont. 1. Quod est evidenter credibile, est evidenter verû & possibile: ergo si, quę subsunt fidei, essent evidenter credibilia, essent evidenter vera & possibilia; sed utrumque est falsum, nam veritas, & possibilitas Trinitatis, v.g. non est evidens: ergo. Prob. ant. quoàd 1.p. Quod est evidenter scibile, est evidenter verum: ergo pariter; sicut enim sciri non potest nisi verum, ita nec credi fide divinâ. Prob. etiam quoàd 2. p. Nam quod est evidenter impossibile, est evidenter incredibile: ergo quod est evidenter credibile, est evidenter possibile. Tenet cons. arguitur enim ab opp. conseq. ad opp. ant. *N.* ant. Ad prob. 1. p. R.Cajet. hîc §. *Ad evidentiam*, disp. esse, quia *scibile est aliquid ex se*, cre-

credibile autem ex testimonio ; ac per hoc, si constat , aliquid esse scibile; constat, illud esse verum, necessarium, &c. Si autem constat, esse credibile, non constat propterea esse verum. Et quidem credibile fide infusâ, non est quodcumque verum, sed solùm *verum non visum. Ad* prob. 2. p. N. conſ. & prob. nec enim arguitur ab opp. contradictoriè (qualiter solùm tenet regula) cùm omnes propositiones sint affirm.

676 Opp. 2. Quia aliàs vix ullus foret hæreticus ; nam evidenter credibili, sufficienter proposito , necessariò assentimur. *Præt.* Doctrina fidei nostræ multa Deo indigna continet, ut Deum concipi , nasci , mori : ergo. *Ad* 1. N. maj. ad prob. N. ant. assensus enim fidei, suppositâ evidentiâ illâ , est omniuò liber propter objecti obscuritatem. *Ad* 2. N. ant. circunstantiæ enim (quibus illa facta proponit Religio nostra) Divinam prædicant Majestatem ; ut singula perpendenti constabit , adeò ut verum sit illud M. Leonis, *tota est in Majestate humilitas; tota in humilitate Majestas. Conceptus* quidem est , sed de Spiritu S. Natus , sed de Virgine: *Reclinatus in Præsepio* , sed à Regibus adoratus : *Crucifixus*, sed confitendę ejus Majestatis sensum , *Sol obscuratis luminibus, & terra gravitèr concussa , acceperunt* , ut idem loquitur Leo : *Mortuus* tandem , sed propriâ virtute surrexit.

677 Opp. 3. cont. 2. Judicium evidens credib. est actus purè *naturalis*, cùm lumine naturali percipiatur & bonitas consequentiæ , & veritas principiorum , ex quibus credibilitas deducitur : ergo tale judicium non procedit à supern. habitu, seu lumine fidei. *Præt.* Lumen fidei est essentialiter obscurum : ergo nequit esse principium judicii evidentis. *Præt.* Lumen fidei respicit credenda : ergo non credibilitatem eorum , quia diversum objectum est. *Tandem.* Quia aliàs omnes fidem habentes , talem evidentiam haberent, quod tamen falsificatur in rusticis , & puero baptizatô, in sylvis nutritô, qui, ut illam habeant , & credant, instruendi sunt : ergo.

678 *Ad* 1. dist. ant. Judicium credib. quasi *philosophicum* , & purè *speculativum* , C. omne judicium credib. N. ant. & conſ. Datur quidem judicium credib. *purè naturale*;

sed

sed impotens regulare piam affectionem, & solùm judicans, mysteria fidei nihil continêre rationi naturali repugnans, adeoque esse credibilia, non quidem fide infusâ, sed fide quâdam prudentiali, & homine sensatô dignâ. Datur nihilominùs judicium credib. *supernaturale*, piam supern. regulans affectionem, & à lumine fidei (seu habituali, seu fluidô) elicitum, connaturaliter quidem ab habitu, quandoque autem, ab auxilio transeunte, sicut de assensu ipso fidei communiter dicitur.

679 *Ad* 2. dist. ant. est essentialiter obscurum respectu veritatis sui objecti, C. Respectu credibilitatis ejusdem, N. Illô quidem obscurè cognoscuntur ea, quæ subsunt fidei, considerata in speciali; videre tamen facit ea, sub communi ratione *credibilis*, ut ait D. Th. hîc ad 2. Omne siquidem lumen manifestativum est sui objecti secundum aliquam rationem; opinio enim v. g. evidentiam facit *probabilitatis* sui objecti. *Ad* 3. N. cons. Ad prob. N. ant. *Credibilitas* enim ad objectum fidei quodammodò pertinet, sicut & esse *scibile*, ad objectum scientiæ; & esse *opinabile*, ad objectum opinionis. *Ad ult.* N. min. Ad prob. N. cons. Nam etiam, ut assensum fidei habeant, indigent interiori, aut exteriori instructione, *fides enim ex auditu*, ut dicitur Rom. 1. & tamen assensus fidei, ab hujus habitu, vel lumine, provenit: Omnes igitur habentes fidei habitum, habent credibilitatis evidentiam (non quidem semper, sed dùm credunt) provenientem à fidei habitu, discernente credenda; nam ut ait D. Th. in 3. dis. 25. q. 1. a. 3. qq. 2. ad 3. *Discretionem credendorum habet homo per lumen fidei.* Nec obstat, quòd multi præfatam non percipiant evidentiam; multa quippè fiunt in nobis, quæ tamen multi non percipiunt, ut patet in formatione verbi mentalis, & (ut appositè hîc ait Cajet.) *Multos actus exercemus, & nescimus, eorum principia esse habitus in nobis existentes, quod maximè verum experimur de actibus habituum infusorum.*

(***)

DIS-

DISPUTATIO III.

De pia voluntatis affectione ad credendum, & de Articulis fidei.

OBjecti fidei *obscuritatem* (plenè expositam articulis 4. & 5.) consequitur necessitas, tum *piæ affectionis ad credendum*, ut art. 4. ostenditur, tum *distintionis ipsorum credibilium per certos articulos*, quorum numerum, incrementum, & dispositionem, rimatur S.D. quinque aa. sequent. ad quorum elucidationem, sit

DUBIUM I.

Utrum ad assensum fidei, pia requiratur voluntatis affectio, & à quo ista reguletur, & eliciatur?

680 PRima concl. est affirm. & ferè com. cont. Scot. Ol Kot, & Mirandul. Prob. *Tum* ex illo Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam*, ideſt, *voluntate*, ut ibidem ait D. Th. *quia credere non potest nisi volens; intellectus enim credentis, non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis, sed ex voluntate. Tum* rat. Objectum enim fidei, seu veritas obscurè revelata, non necesitat intellectum ad credendum: ergo desideratur piùs propensæ voluntatis impulsus, quò indifferentia intellectûs auferatur. *Tandem*: Assensus fidei est liber utrâque libert. nam, positis omnibus motivis ad credendum, potest quis, non modò non assentire, sed & dissentire rebus fidei: ergo necessariò requirit piam voluntatis motionem, ratione cujus intellectus utrôque modô determinetur ad illum. Tenet cons. nam omnis actus intellectûs liber, quâ talis, pendet à volun-

luntate, ejusque determinationê indiget.

681 Secunda concl. *Pia voluntatis affectio ad credendum, solo practico supernaturali credibilitatis judicio (à fide elicito) regulatur.* Probatur. *Tum*, quia pia affectio est actus, quô voluntas determinat intellectum ad credendum, sive, quô vult, intellectum credere veritates fidei; sed ad talem actum regulandum, nullum judicium aptius esse potest illô, quô veritates fidei, ut credibiles proponuntur : ergo. *Tum*; quia judicium regulativ.piç affectionis tàm frequêter elicitur ac ista, nihil enim volitum, quin præcog. ergo eliciendum est, sicut illa, ab aliquo habitu; sed non ab habitu prudentiæ infusæ, ut quidam âutumant; hæc enim in peccatoribus non est, in quibus est fides, & consequenter pia affectio. Versatur insuper circa media supernat. adeoquè fidem supponat, necesse est, erga finem supernat. versatam : *Nec* etiam elici potest à dono intellectûs, quia Spiritûs S. dona supponunt gratiam, & virtutes theolog. juxta D. Th. Donum insuper intellectûs ex sua essentiali rat. supponit fidem, cùm sit quędam intellectualis penetratio mysteriorum fidei : ergo.

682 Tertia concl. *Ad eliciendam piam affect. supernaturalis specialis exigitur habitus, à virtutibus moralibus, & fide distinctus.* Quoàd 1. p. est frequentior inter Thomist.& constat ex dictis N. præced. Nam pia affectio frequentissimè elicitur, sicut & actus fidei, & judicium quô illa regulatur: ergo principium requirit habituale, ut connaturalitèr eliciatur. Dixi *connaturalitèr*, quia ad actum fidei præcedentem hujus habitum, ad piam affectionem moventem ad illum, & ad judicium regulativum affectionis, sufficit auxilium transiens, quod *lumen fidei* dici potest. *Notanda* est hîc inconseq. J. à S. Th. M.Ferre, aliorumque, requirentium habitum ad connaturalem elicientiam piç affectionis; secùs ad elicientiam judicii regulativi illiùs; cùm tamen êadem sit utriusque ratio, *supernaturalitas* nimirùm, & *frequens* utriusque *elicientia*.

683 Quoàd 2. p. constat etiam ex dictis, nam omnis virtus moralis infusa, cùm versetur circa media supernat. supponit fidem, quam præcedit pia affectio. *Hęc* insupèr est

in

in peccatore, ſicut & fides; ſecùs virtus moralis infuſa, ob dicta ex D. Th. t.2. n. 717. *Quoàd* 3. verò eſt com. cont. M. Serra q.4.a.2. cui ſubſcribit Conten. & prob. *Tum*, quia pia affectio ad credendum procedit à voluntate: ergo elici nequit à fide, in intellectu reſidente; nullus enim actus alicujus potentiæ, elici poteſt ab habitu aliam potentiam afficiente; aliàs poſſet fides actum ſperandi elicere; poſſet & habitus alicujus potentiæ elicere actus ejuſdem, quantunvis invicèm diverſos; plùs enim differunt invicèm actus diverſarum potent. quàm ejuſdem. *Et* hinc plures habitus à Theologis agniti, ſuperfluerent.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

684 Opp. 1. cont. 1. Potentia non impedita, poteſt ſe ſolâ attingere ſuum objectum, ſufficienter ſibi propoſitum: ergo poteſt intellectus ſe ſolò, & abſque voluntatis motione, aſſentire objecto credibili, ſufficienter ſibi propoſito. *Præt.* Voluntas non movet intellectum quoàd ſpecificationem actûs, ſed ſolùm quoàd exercitium, juxta D. Th. 1.2. q.9. a. 1. ergo voluntas nequit movêre intellectum ad aſſentiendum rebus fidei, ſicut illum non movet ad actum ſcientificum. *Præt.* Probabile eſt, fidem ſtare poſſe cum evidentia in atteſtante; ſed iſtâ ſuppoſitâ, ſuperfluit pia voluntatis affectio: ergo. *Ad hęc*: Dæmones (in quibus non eſt pia affectio) verè *credunt*, & *contremiſcunt*, ut dicitur Jac.2. *Tandem* Aſſenſus fidei humanę, & opinionis, non ſubeſt voluntatis imperio, juxta illud Phil. 3. de anima: *Imaginamur cùm volumus, opinari autem non eſt in noſtra poteſtate.*

685 *Ad* 1. diſt. ant. Si objectum ſufficienter moveat illam, C. ſi ſecùs, N. cùm ergo veritas obſcurè revelata non plenè moveat ac rapiat intellectum, voluntatis motio deſideratur. *Ad* 2. explico 2. p. ant. Sed ſolùm quoàd exercitium, dùm intellectus ſufficienter movetur ab objecto, C. ſi ſecùs, N. tunc enim (ut hîc contingit) movet voluntas intellectum etiam quantùm ad ſpecificationem, non quidem ex p. objecti (qualiter intellectus movet voluntatem, illud iſti repręſentando) ſed ex p. ſubjecti, movendo videlicèt illum, non modò ut actum eliciat, ſed etiam determinando

do ut assensum præstet rebus fidei; quod est determinare indifferentiam (quam objectum relinquit) ad hanc vel illam speciem actûs, assensûs, scilicèt, vel dissensûs. *Per* quæ patet ad omnes instantias, quas hîc cumulat Palancus; nec enim ampliùs probant, si quid probant.

686 *Ad* 3. N. min. Nec enim objectum sufficienter movet intellectum ad assensum illius, ut revelati, ut Authores illius sent. asserunt. *Ad* 4. R. fidem Dæmonum non esse liberam, & laudabilem (de qua loquimur) sed coactam, & extortam vî signorum. Nec tamen sine voluntate credunt (ob inevidentiam objecti) quanvis non laudabili, ut docet D. Th. infrà q. 5. a. 2. *Ad ult.* N. ant. & prob. Nec enim sensus Phil. est, opinionem neutiquàm nostræ subesse potestati; sed non eôdem modô, quô illi subest imaginatio: *Passio enim phantasiæ* (explicat D. Th.) *est in nobis cùm volumus, quia in potestate nostra est, formare aliquid quasi apparens ante oculos nostros, ut montes aureos, &c. sed opinari non est in nostra potestate, quia necesse est, quòd opinans habeat rationem per quam opinetur.*

687 Opp. 2. cont. 2. concl. cum M. Ferre: Judicans, res fidei esse credibiles, sæpè re ipsâ non credit: ergo (ultra credibilitatis judicium) aliud desideratur, ad regulandam piam affectionem. *Prat.* Ad assensum fidei, ultra signa, aut prædicationem, requiritur causa interiùs hominem movens ad illum, juxta D. Th. infrà q. 6. a. 1. ergo ad regulandam piam affect. non sufficit judicium credib. ortum ex visione miraculi, vel auditione prædicationis. *Ad* 1. N. cons. ab omnibus negandam. Cùm enim pia affectio sit actus liber, potest subsequi, & non subsequi, positô regulativô ipsius, quidquid istud sit. *Ad* 2. N. cons. ab omnibus pariter negandam. Ecquis enim negare potest, ad actum fidei, & pię affectionis, desiderari internam divinę gratiæ motionem, ultra piæ affect. regulam, in quocumque judiciô ista ponatur? *Et* sanè, ad omnem actum liberum requiritur (ultra judicium regulans ipsum) alia causa interiùs movens, nimirùm, Deus.

688 Opp. 3. cont. 1. p. 3. concl. Nam talis habitus,

nec est virtus *moralis* (ut expressè asserimus) nec *theologica*, *tum*, quia hæc solùm est triplex ab Apost. assignata, nempè, fides, spes, & charitas : *Tum*, quia nec respicit Deum ut objectum, sed honestatem duntaxàt actûs credendi: ergo. *Dist.* 2. p. ant. Nec *theologica* formaliter, C. reductivè, N. Sicut enim actus piæ affect. est præambulus ad actum fidei, & ad illum reducitur & ordinatur : ita habitus, ad habitum. *Per* quę patet ad 1. prob. *Ad* 2. N. ant. objectum enim piæ affectionis, non solùm est bonum repromissum, ut propositum per doctrinam fidei, sive Deus, ut bonum quoddam nobis credibile per fidem, juxta D. Th. q. 14. de verit. a. 2. ad 10. docentem, quòd voluntas illa, quæ determinat intellectum ad assentiendum his quę sunt fidei, nec *est actus charitatis, nec spei, sed appetitus quidam boni repromissi.*

689 Opp. tandem cont. ult. p. ejusdem. *Justè judicare*, & *orare*, sunt actus intellectûs, ut docet D. Th. infrà q. 60. a. 1. & q. 83. a. 3 & tamen *judicium* elicitur à Justitia, & *oratio* à Religione, in voluntate utiquè residentibus, ut ibidem docet S. D. ergo. *N.* min. Locô enim primò laudatô sic concludit solut. illam ad 1. *Sic ergo judiciũ est quidem actus justitiæ sicut inclinantis ad rectè judicandũ, prũdentiæ autẽ, sicut judicium proferentis. Et* eôdem modô docet, orationem esse actum Religionis imperatum, quatenùs scilicèt Religio residens in voluntate (reliquarum potent. motrîce) movet per orationem intellectum hominis, in Deum, seu ordinat actus intellectûs hominis in Dei reverentiam, ut docet S. D. q. 83. a. 3. ad 1. Datô autem, quòd virtus potentię moventis (quales sunt *justitia*, & *religio*, in voluntate residentes) posset elicere actus aliarum ; adhùc id negandum esset fidei, quę in potentia motâ, scilicèt intellectû, subjectatur. Undè pia affectio neutiquàm à fide elici potest.

*** ***
***

DU-

DUBIUM II.

Utrum credibilia sint per Articulos distinguenda? & an isti temporis decursu creverint, rectèque numerentur, ac in Symbolo ponantur?

690 COmprehendit dub. quatuor quæ sigillatim resolvit S. D. a. 6. & tribus sequent. nimirùm, Articulorum fidei *distinctionem*, *crementum*, *numerum*, ac *dispositionem*. Ad quorum intelligentiam supp. est ex D. Th. a. 6. nomen *articuli*, ex græco *Arthron* derivatum, quandam distinctarum partium coaptationem significare, quâ ratione particulæ corporis invicèm coaptatæ, dicuntur membrorum articuli. *Sic* etiam apud Grammaticos dicuntur *articuli* quædam partes orationis, coaptatæ aliis dictionibus ad exprimendum eorum genus, numerum, vel casum. *Apud* Rethoricos demùm dicitur *articulus*, juxta Tullium, cùm singula verba intervallis distinguuntur cesâ oratione, hôc modô: *Acrimonia, voce, vultu, adversarios perterruisti*: Articuli ergo fidei, sunt quædam partes objecti fidei, inter sese coaptæ. Quô suppositô,

691 Prima concl. est affirm. Et prob. rat. D. Th. a. 6. Objectum fidei est aliquid *non visum* circa divina: ergo quę sunt diversâ ratione *non visa*, distinguenda sunt per articulos; sed quædam credibilia sunt diversâ ratione non visa: ergo. Prob. min. aliam enim difficult. habet ad videndum, quòd Deus sit passus, & aliam, quòd mortuus resurrexerit; ideoque distinguitur artic. resurrectionis, ab articulo passionis. Ubi autem sunt multa, secundum eandem rat. vel cognita, vel non cognita; ibi non sunt articuli distinguendi; & quia Deum esse passum, mortuum, & sepult. unam & eandem difficult. habent (ita, quòd unô suscepto, non est difficile alia suscipere) propterea hęc sub uno artic. comprehenduntur.

692 Secunda concl. *Articulis fidei nullum decursu temporis substantiale accessit crementum, sed major duntaxàt explicatio.* Sic D. Th. a. 7. & quoàd 1. p. constat: omnes enim articuli fidei implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, quorum fides omni tempore fuit explicita, cujusmodi sunt, existentia Dei, & singularis erga hominum salutem providentia, juxta illud Hebr. 11. *Accedentem ad Deũ oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator est*; nam in *existentia divina* includuntur omnia, quæ in Deo æternaliter existunt, in quibus est nostra beatitudo; in *fide* autem *providentię* includuntur omnia, quę temporaliter à Deo dispensantur ad humanam salut. quę sunt via ad beatitudinem. Et sic ex subsequentibus artic. alii sub aliis continentur, ut Incarnatio Verbi, sub fide redemptionis. Quæcumque igitur posteriores crediderunt, continebantur implicitè in fide præcedentium PP. *Secunda* etiam p. liquet, quędam enim explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè, juxta illud Ephes. 3. *Aliis generationibus non est agnitum* (mysterium Christi) *sicut nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus, & Prophetis.*

693 Concl. 3. est affirm. nimirùm, *articulos rectè numerari, ac in symbolo poni.* Est D. Th. a. 8. & 9. Primam p. probat, *tùm* auth. Ecclesiæ, sic numerantis. *Tùm* hâc rat. Illa enim per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruimur, & per quæ ad illam ducimur: ergo primorum credibilium, quædam pertinent ad *Majestatem Divinitatis* (cujus visio nos beatos facit) quædam verò ad *Mysterium Humanitatis* Christi; per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus, ut dicitur Rom. 5. *Circa* primum, tria proponuntur credenda, nimirùm, Unitas Divinitatis, Trinitas Person. & opera divinitatis propria, quoàd esse naturæ, gratiæ, & gloriæ; & ita septem sunt artic. ad *Divinitatem* pertinentes, & totidem circa Christi *Humanitatem*, nempè, de ejus Incarnatione seu Conceptione, de Nativitate, de Passione Morte & Sepultura, de descensu ad inferos; de Resurrectione, de Ascensione, & de Adventu ad

Ju-

Judicium. *Quidam* autem 12. tantùm numerant artic. quia tres Personarum, sub uno comprehendunt: Articulum verò de opere glorificationis, geminant in resurrectionem carnis, & gloriam animæ. Et similiter conjungunt in unum articulos Conceptionis, & Nativitatis Christi.

694 Secundam autem p. probat, *tùm*, quia Symbolum est editum auth. Ecclesiæ Universalis, quæ errare non potest. *Tùm*, quia, cùm accedens ad Deum debeat credere, opus fuit, credenda in unum colligere (unde nomen *Symboli* ortum est) nè homines ignorantiâ à fidei veritate deficerent. *Ad* quorum intellig. scito, quòd *Symb.* (juxta Aug. ser. 115.) est *comprehensio fidei nostræ*, atque propter hoc, *simplex*, *breve*, & *plenum*; ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitas memoriæ succurrat, plenitudo satisfaciat doctrinæ. Cùm autem græca vox *symbolum* significet plurium in unum collectionem, vel signum aut tesseram militarem (quâ veri milites, ab aliis discernuntur) jurè capitum fidei collecta, vel summa, *symbolum* nominatur, illâ quippè Christi milites ab hostibus internoscuntur, juxta illud 1. J. 2. *Si quis venit, ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec ave ei dixeritis.*

965 Scito præt. triplex vulgò distingui fidei symb. scilicet, *Apostolicum*, *Constantinop.* (quod & *Nicænum*, & *Patrum* appellatur) & *S. Athanasii*. *Primum* ab Apostolis (non litterîs, sed vivâ voce) traditum, *Cathecuminis* olim tradebatur, illudque certô die ante baptismum memoriter recitare tenebantur *cõpetentes*, & in Officio Divino submissâ voce dicitur. An autem singuli Apost. singulos artic. ediderint, an secùs? dissidium levis momenti est. *Secundum* (quod canitur in Missarum solemniis) editum est à C. Constantin. I. seu Synod. II. Gen. ann. 381. adversus Macedonium, estque expositio & auctarium ejus, quod in I. Syn. Gen. seu Nicæn. I. an. 325. conditum fuerat contra Arrium, cui nonnulla adjêcit per modum expositionis; qualiter, post multa secula, articulo de Spiritû S. adjunxit Ecclesia particulam *Filioque*, quâ, verba illa Symboli Constantinop. *ex Patre procedentem*, magis explicatur: quod jure suô

utens,

utens, fecit Ecclesia, ob emergentem errorem contrá processioné Spiritûs S.à Patre,& Filio. *Tertium* denique (quod diebus Dominicis legitur ad Primã) táquã regula fidei suscipitur & approbatur ab Ecclesiâ; unde, cũ de summa illius authoritate constet,inutile judico de illius authore disceptare; quanvis libenter assentiã opinãtibus,illud, non ab Athanasio Mag.sed ab alio Patre longè posteriore (forsàn cognomine) post exortas Nestorianam, & Eutichianam, hæreses (in III. & IV. Syn.General. proscriptas) editum fuisse.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

696 Opp. 1. cont. 1. Fides adhibenda est om nibus in Scrip. continentis; sed hæc (ob sui multitudinem) ad certum numerum reduci non possunt: ergo. N. cons. cum D.Th. a. 6. ad 1. Non enim omnia credenda in articulos distinguuntur: sed quę per se ad fidem pertinent, ea nimirùm, quæ videnda speramus in patria,de quibus principaliter est fides, juxta illud Hebr. 11. *Fides est substantia sperandarum rerum.* Ad illa autem videnda præcipuè suspiramus, quæ nos in patria beabunt, & ad beatitudinem obtinendam manuducũt, qualia sunt tres Personę Omnipotẽtis Dei,Mysterium Incarn. Christi, & alia hujusmodi. Quædam verò alia proponuntur in Scrip. S. ut credenda, non quasi principaliter intenta; sed ad prædictorum manifestationem, ac proinde non sunt de illis speciales articuli distinguendi.

697 Opp. 2. cont. 1.p. 3. Deum esse unum, Omnip. & mundum creasse, sunt lumine naturali demonstrativè nota: ergo non debent inter artic. fidei numerari. *Præt.* Si de Omnipotentia assignatur specialis artic. cur non additur de sapientia, & providentia, cùm etiam circa istas exorti sint errores? *Ulteriùs.* In patria perfruemur omnibus divinis perfect. & attributis. *In* illam etiam ducimur Sacramentis: ergo, vel plures distinguendi sunt artic. præter enumeratos, vel ratio D.Th. est nulla. *Postremò* Myst. Eucharistiæ specialem habet difficult. præ multis articulis: ergo specialis de illo assignari debet.

698 *Ad* 1. dist. ant. Sunt naturaliter nota, quatenùs sunt de Deo authore naturæ, C. quatenùs sunt de Deo au-

tho-

thore supern. largitore gratiæ & glorię, cui speciali cultû (ipso inspirante, institutô) serviendû est, N. Et hôc modô præfatas veritates latuisse Philosophos, ait D. Th. non verò primô modô, quidquid Cajet. innuere videatur. Vide S. D. in 3. d. 25. q. 1. a. 2. ad 2. *Ad* 2. R. S.D. hîc a. 8. ad 2. scientiam, & provid. Dei contineri sub Omnipotentia, quia Deus operatur per intellectum, & volunt. *Ad* 3. N. conſ. Nec enim articuli distinguêdi sunt de omnibus nos beatificantibus, & ad patriam ducentibus, sed solùm de præcipuis, in quibus continentur. *Dices*: Ergo omnia ad humanitatem Christi spectantia (cùm sint salutis nostræ necessaria media) reducenda sunt ad artic. *Salvatoris*, non secùs ac Sacramenta. *N. conſ.* Humanitas enim Christi est quid valdè præcipuum in nostra fide, quam etiam vidêre speramus in Patria; ideoque, secundum diversa quę in illa reperiuntur conducentia ad beatitudinem assequendam, speciales articuli proponuntur. Sacramenta verò, & alia, sunt instrumenta habentia virtutem ex Christi humanitate ad sanctificandum homines; ideoque optimè reducuntur ad art. *Salvatoris*.

699 *Ad ult.* R. D.Th. hîc ad 6. Eucharistiam, ut Sacramentum, contineri sub operibus *sanctificationis*: ut autem ibî miraculosè Christus est, *sub Omnipot.* sicut & omnia alia miracula. *In* 3. autem d. 25. q. 1. a. 2. ad ult. illam includi dicit in art. quò credimus *Sanctam Ecclesiam*, quia cõtinet Sacramenta sanctificantia, quorum præcipuum est Eucharistia. M. Sotus addit, reduci etiam ad art. *Communionis SS.* quia Sacramentum istud est Communionis & unitatis, non modò cum Deo; sed etiam Sanctorum inter se, ut innuit Apost. 1. Cor. 10. & D.Th. in oratione illa: *Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine unitatis, &c.* Cæterum cùm articuli *Ecclesiæ*, & *Communionis SS.* contineantur in art. *Salvatoris*, omnes istæ solut. coincidunt cum traditâ hîc à S.D. *Dices*: Incarnatio, Nativitas, Resurrectio, & Ascensio Christi, sunt verè opera miraculosa; de quibus tamen speciales ponuntur art. ergo. *R.* disp. esse, quia prędicta, quanvis sint Omnipotentię opera; sunt tamen fontes, ex quibus dimanavit nostra

ſtra ſalus, & virtus Sacrament. Et quanvis Euchariſtiæ Sacram. ſit digniſsimum, & creditû difficillimum, opus non fuit ſpecialem de illo poni art. *Tum*, quia, ut ait M.Bañez, ſatis circa illud erudiuntur fideles ante illius uſum. *Tum*, quia primò & per ſe ordinat nos ad operandum, & conſequenter ad credendum; Articuli verò econversò, ut ait J. à S.Th.

700 Opp. 3. cont. 2. p. ejuſdem. Scrip. S. eſt regula fidei, cui aliquid addere nefas eſt, juxta præceptum D. Deut. 9. ergo non licuit Symbolum edere. *Præt.* Cùm una ſit fides, una debet eſſe fidei profeſsio: ergo inconveniéter traditur multiplex Symb. *Præt.* Confeſsio fidei cônvenit omnibus fidelibus; ſed non omnibus cônvenit credere in Deum, ſed ſolùm habentibus fidem formatam: ergo illud, *Credo in Deum*, non rectè ponitur. *Demùm*: In Symb. PP. non ponitur art. deſcensûs ad inferos: ergo eſt inſufficienter collectum. *Ad* 1. N. conſ. Nec enim Symbolum eſt additum Scrip. ſed potiùs ex ea ſumptum. *Ad* 2. N. conſ. êadem enim eſt in omnibus Symbolis fidei veritas, nec in alio differunt, niſi quòd in uno pleniùs explicantur, quæ in alio erant implicitè, proût exigebat hæreticorum inſtantia. *Ad* 3. R. confeſsionem fidei tradi in Symb. quaſi in perſona totius Eccleſiæ, in qua ſemper eſt fides formata. *Ad ult.* R. quòd de deſcenſu ad inferos nullus erat error; ideoque non non reiteratur in Symb. PP. ſed ſupponitur prædeterminatum in Symb. Apoſt. Sic D. Th. a. 9.

701 In art. 10. reſolvit S. D. *novam Symboli editionem ad ſolam Summi Pont. authorit. pertinere.* Cùm enim nova editio Symboli neceſſaria ſit ad vitandos inſurgentes errores; ad illîus authorit. pertinet editio Symboli, cujus eſt determinare ea quę ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſsâ fide teneantur; ſed hoc pertinet ad auth. Summi Pont. utpotè qui præeſt toti Eccleſiæ: ergo ad ſolam auth. Summi Pont. pertinet nova editio Symboli, ſicut & omnia alia quæ pertinent ad totam Eccleſiam, ut congregare Synodum Gen. & alia hujuſmodi. Hæc S. D. quibus tradit alteram conditionem objecti fidei, quoàd nos, nimirùm, quòd revelatio divina

appli-

applicetur, seu *proponatur nobis per Ecclesiam*, & *ejus Caput Rom. Pont.* Nec enim loquitur nobis Deus immediatè, sicut primis fidei Fundatoribus; sed per Ecclesiam, quę est *Columna & firmamentum veritatis.* *Occasione* hujus art. plures Theol. latissimè differunt hîc de Regulis Fidei; quas alii penitùs intactas relinquunt. Nobis autem, eas quàm brevissimè (pro more & munere) tradere visum est. Sit igitur

DISPUTATIO IV.

De Regulis Fidei.

REgula fidei (hujus objectum infallibiliter proponens) alia est *inanimata*, sensum suum explicare non valens, nempè, *Scriptura S.* & *Traditio.* Alia *animata* & loquens; nimirùm, *Ecclesia*, *Concilium*, & *Pontifex.* De quibus sigillatim dubiis seq. multa, & quidem gravissima, paucis comprehendemus.

DUBIUM I.

An Scriptura Sacra sit infallibilis Regula Fidei?

702 COncl. est affirm. & fidê certa. Ad cujus intellig. sequentia prænotare oportet. *Primùm*, per *Scrip. S.* intelligi eloquia Dei, hominum manû litteris consignata, seu Canonicos Libros, quos Spiritû S. dictante, Sacri Authores exceperunt. Illorum Canonem recenset statuitque C. Trid. sess. 4. complectentem libros, aut libellos 72. nempè, 45. Veteris Testamenti, & 27. Test. Novi: Quos omnes *integros cum suis omnibus partibus, prout in Ecclesia Cath. legi consueverunt, & in veteri vulgata editione*

ha-

habentur, ſuſcipiendos præcipit, & non ſuſcipientes anathemate percellit. *Hunc* autem Canonem acceperunt Tridentini PP. ab Eug. IV. in C. Flor. Eugenius, à Gelaſio Papa in C. Rom. 70. Epiſc. Gelaſius, à C. Cartag. III. Iſtud, ab Innoc. I. ep. 3. ad Exuperium; Innocentius autem, ſicut per continuam traditionem ab aliis acceperat, ita ad nos tranſmiſit. Hi tamen *Baruch* expreſſam mentionem non faciunt, ſed illum ſub *Jeremia* (cujus fuit Scriba) comprehendunt, ut multis oſtendit Canus l. 2. c. 11.

703 Præmitt. eſt 2. Libros Canonicos Vet. Teſt. communiter dividi in *Legales*, *hiſtoricos*, *ſapientiales* ſeu morales, & *propheticos*. Legales ſunt quinque libri Moyſis, ſeu *Pentatheucus*, *Geneſis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteron*. Hiſtorici, *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, quatuor *Regum*, duo *Paralip.* *Eſdræ* primus, & ſecundus (qui dicitur *Nehemiæ*) *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Job*. & duo *Machab* Sapientiales ſunt *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *Cantica Cant.* *Sapientia*, & *Eccleſiaſticus*. Prophetici demùm ſunt *Iſaias*, *Jerem.* cum *Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*, & 12. *Prophetæ minores*. *Pſalterium* verò hiſtoricis, moralibus, & propheticis jurè adnumeratur. *Simili* diviſione partiuntur aliqui Novum Teſt. nam ad Legales reducunt *quatuor Evang.* ad hiſtoricos, *Acta Apoſt.* ad Sapientiales, *Pauli Epiſtolas*, *aliàſque Canonicas*; ad Propheticos demùm, *Apocalip.*

704 Præmitt. eſt 3. Sacrorum Lib. pleroſque hebraicè, quoſdam chaldaicè, alios græcè primitùs ſcriptos fuiſſe: quorum nonnullas verſiones jurè reprobat Eccleſia; plures enim hæretici, dùm ſuas editiones adornant, *non tàm ex fontibus ſacras litteras vertunt*, *quàm circa fontes ipſi vertuntur*, ut lepidè inquit Canus: quaſdam verò permittit, modò veteri Vulgatæ latinæ editioni, vel in jota uno non repugnent. Sed non propterea quilibet ſenſus (etſi diverſus) contrarius & repugnans Vulgatæ cenſendus eſt. *Hebraica* exemplaria quæ modò ſuperſunt, jam utinplurimùm à Rabinis (Chriſtianiſmi hoſtibus juratis) violata, truncata, depravata noſcuntur; ſecùs, quæ Hieronymo coëva, aut antiquiora, in Vaticano, alibique ſervantur. Græca LXX. Seniorum

tum Versio, tametsi olim authentica fuerit, sua tamen modò habet errata. Nec illius Sixtina editio quamvis correctior & magnę authorit. authentica habenda simpliciter est, sed in suo duntaxàt genere.

705 Præmitt. est 4. inter omnes latinas editiones, eminêre *Vulgatam veterem*, quæ in aliis Authorem, in aliis Correctorem agnoscit S. Hier. & quam, longævô jam Ecclesiæ usû consecratam, meritò Trident. declaravit *authenticam*, *ideſt*, legitimam, seu quę primigenium textum, vel quoàd syllabas & apices, verè ac fideliter repræsentet. Illius porrò authoritati minimè officit, quòd aliquę ejus partes elegantiùs aut clariùs transferri possent; nec enim debet in translationibus reddi *verbum de verbo*, sed *sensus de sensu*, ut latè ostendit Hier. ep. ad Pamach. *Nec* in ejus Sixtîna, & Clementîna correctione, facta fuit nova editio, aut interpretatio mutata; sed *accuratissima* duntaxàt à mendis veterum descriptorum, ac typographorum, pravarumque emendationum erroribus *repurgatio*, & in pristinam ejusdem integritatem restitutio. *Nec* propterea diffinitum judicamus, adeò puram, & omnibus numeris absolutam esse, laudati exemplaris editionem, ut in levioribus quibusdam, nihil emendandum supersit; *cæteris tamen omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse, minimè dubitandum.* Nulli ergo licet, à Vulgata editione ad Hebraica, Græcave exemplaria, provocare. His prælibatis,

706 Prob. jam concl. *Tum*, quia nisi Sacrarum Scrip. infallibilis ac planè divina esset authoritas, corrueret quidquid in Theologia superstruxeris, corrueretque adeo Civitas illa Deî, cujus fundamenta in motibus sanctis, & in Scripturis Principum qui fuerunt in ea. *Tum*, quia habent authorem Deum; *Dominus* enim *narrabit in Scripturis populorum & Principum, horum qui fuerunt in ea.* Psal. 86. *Locutus est per os Sanctorum, qui à sęculo sunt Prophetarum ejus* Lucæ 1. *Hinc* Dominus ipse J. 5. Judæos incredulos alloquens: *Scrutamini* (inquit) *Scripturas: Illæ sunt quę testimonium perhibent de me.* *Hinc* etiam Chrisost. ho. 2. in Gen. (cui Aug. & Greg. concinunt) ait, divinas Scrip. esse lite-

teras & epistolas, Deo dictâte, exaratas, & ad homines missas. *Tum*, quia Scrip. S. habet Deum pro argumento, quem nimirùm, ubique loquitur, ad quem movet, cujus attributa, laudesque pangit, mandata promulgat, secreta pandit. Illius propterea pia, humilis, & assîdua lectio, *homines divinos efficit*, ut ait Just. Mart. orat. 2.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

707 Opp. 1. cont. 1. prænot. Synogoga tempore Esdræ, Cyprianus in exp. Symboli, ex Patrum traditione (ut ipse ait) Hier. aliique veteres, ac C. Laodic. non numerant inter Canonicas Scrip. *Tobiam*, *Judith*, *Sap.* *Ecclesiasticum*, *Machabæos*: Porrò Synagoga tunc in fide errare non poterat, utpotè vera Ecclesia; quos autem libros rejicit Hier. Ecclesia rejicit, ut cap. *Sancta Romana.* 15. dist. Gelasius tradit. *Accedit*, plures eosdemque doctissimos, in eandem sent. iisse, post Pontificum, Conciliorumque diffinitiones in oppositum adductas. *Præt.* librum 2. Machab. rejicit Gelas. ubi suprà. Greg. autem 19. Mor. rejicit ambos. *Demùm.* Nam licèt laudati libri à Pontificibus & CC. diffiniantur *esse Canonici*, non cogimur protinùs credere, esse Canonicos ad fidei dogmata confirmanda, sed sat est, si Canonicos ad instruendos mores fateamur; nam *Canonicus liber* latinè dicitur *regularis*, id verò bifariàm dici potest: ergo.

708 R. ad 1. nec Synagogam, nec C. Laodic. rejicere hos Libros, aut negare esse Canonicos, licèt inter Canonicos non annumerarint, quòd nondùm ea res satis erat explorata: videlicèt non omnes libri Canonici sunt simul ab universa Eccl. recepti. *Cypr.* verò *Ecclesiasticum*, & *Sap.* non semèl ut divinos libros citat. Expositio autem illa Symb. non Cypriani est, sed Ruffini, qui dùm Patrum traditionem allegat, illam ignorasse convincitur, ut multis ostendit Canus lib. 2. c. 11. Sanè C. Cartag. (quod hos libros inter Canonicos numeravit) dicit, se à PP. accepisse. *Hier.* quidem (Josephum secutus) illos à Canone rejêcit, sed nihil refert; nec enim in decernendis libris Canonicis Hier. regula est, sed Ecclesia. *Nec* Gelas. probat sententiam Hier.

in

in Canone Scripturarum conſtituendo, ſed in his Authoribus reprobandis, quos ille, zelô Dei, & fidei religione reprehendit.

709 *Ad* conf. R. Authores illos, hujus quæſt. diffinitionem ſine jactura pietatis potuiſſe ignorare. Conſtat enim, *ante id temporis, nec rem fuiſſe tàm expeditam, nec Conciliorum lectionem tàm aſsiduam, nec hæreticorum impudenciam tàm procacem in libris Canonicis, vel infirmandis, vel etiam rejiciendis,* ut rectè ait Can. ubi ſuprà ad 3. *Ad* 2. R. ex eodem ad 4. quòd Gelaſ. vel ſub unîus libri nomine ambos complectitur, ſicut in Eſdra cum aliis facit (probat quippè ipſe lectionem Scripturarum, quæ per anni circulum diſtribuuntur, librum autem *Machab.* pro Dominicis Octobris, in quibus ambos Eccleſia legit.) *Vel* de 2. libro ambiguam fortè ſent. tenuit: quemadmodùm Greg. de utroque. *Modò* autem certum eſt, ambos ab Eccleſia recipi. Nec id modò in dubium vocare licet, quod quibuſdam PP. licuit aliquando dubitare. *Ad ult.* N. ſequel. & prob. Cùm enim nomen *libri Canonici*, apud Scriptores omnes (unô exceptô Cajet.) pro *ſacro* atque *divino* ſumatur; incredibile planè eſt, Pontifices & CC. aliter vocabulum uſurpaſſe, ut ad 6. reſp. & oſtendit laudatus Canus. Reliqua arg. videſis apud ipſum, & Bellar. l. 1. de verbo Dei, Gravinam, alioſque Controverſiſtas.

710 Opp. 2. cum Eraſmo, aliiſque Novat. cont. 4. prænot. Quòd editio Vulgata ſolæciſmis & barbariſmis referta eſt. Nam Pſal. 51. intranſitivum pro tranſitivo uſurpatur, *emigrabit te* pro *emigrare faciet, de tabernaculo tuo.* Pſal. 59. legitur, *partibor & metibor*, pro *partiar & metiar.* Pſal. 76. legitur, *ſcopebam*, quod latinum non eſt. Pſal. 77. *Attendite Populе meus* pro *Populе mi.* Ibidem *crapulatus* (quod deponens eſt) ponitur pro paſsivo. Matth. 20. *Principes Gentium dominantur eorum*, pro *earum.* Etc. 22. *Impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium* pro *diſcumbentibus.* Item ibidem: *nubentur* ſolœciſmus eſt, *nubent* autem ineptè ponitur, cùm ſit mulierum. Joan. 14. *Majora horum faciet*, pro *majora his.* Demùm Jac. 1. barbarè dicitur *Deus intentator malorum.* N.

ant.

ant. quod neutiquàm ſuadent exempla inducta. Non quidem 1. nam Gellius l. 2. c. 29. tranſitivè uſurpat *migrare* dicens: *Nidum migrat* pro *transfert nidum*. *Nec* 2. nam verba illa *ſcibo*, *audibo*, *metibor*, frequentiſsimè uſurpantur à Latiniſsimis Auth. ut Plauto, Gellio, Arnobio, Tertull. *Idem* de 3. nam. *Nè ſcopes Grętiam* dixit Celius. Rodrig. & eâdem phraſi uſus eſt Fabius, ut teſtatur Hier. Iſaię 14. *Idem* de 4. nam Virgilius Æneid. 6. ſic habet: *Projice tela manu ſanguis meus*. Et Lucret. l. 2. *Degener, ò Populus, &c.*

711 Idem de 5. nam Cicero de univ. ait: *Imitata, & afficta ſimulacra*, ubi deponens *imitata* paſsivè uſurpat. *Idem* de 6. nam probatis Auth. familiare eſt, relativa ad ſenſum potiùs, quàm ad verba referre: Sic Varro 1. de ruſtica c. 12. *Sin cogitare ſecundum flumen ædificare, curandum nè adverſus eum ponas, &c. eum*, nempè fluvium: Sic ergo ly *eorum* refertur ad homines. Et quidem idem Beza (cujus eſt objectio) cum Eraſmo tranſtulit, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, nempè homines. *Nec* 7. obſtare poteſt, eſt quippè Virgiliana phraſis 1. Æneid. *Implentur veteris Bacchi, pinguiſque farinę*. *Nec* in 8. ſolæciſmus eſt, apud Plautũ enim in Perſa legitur impersonaliter *nubitur*, & quidem rectè; nam *nubere* ſignificat *operire*, juxta illud Arnobii 4. adverſ. Gent. *quòd aqua nubat terram*; inde tranſlatum eſt (ex velandi capitis more in conjugio) ad iſtud ſignificandum; unde *nubentur*, idem eſt ac *velabuntur*. Quòd autem *nubere* ſit etiam marium, conſtat etiam ex Martiali *Uxori nubere nolo meę*. *Nonum* comprobatur teſtimoniô Cic. in Valer. *Cęterarum rerum* (inquit) *præſtantior erat*. Sic etiam loquitur Curtius. *Nec* demùm ultimum barbarum eſt, niſi Lucretium, & Saluſt. *barbarè* dixiſſe dicant, *intactus*, *incluſus*, & id genus, apud Tertull. ittem frequentiſsima. Habeant ergo Ariſtarchi iſti, & ſciant, Interpretem non magnopere curaſſe de verbis, cùm ſenſum habêret in tuto, ut Hier. ait.

712 Opp. 3. cont. id quod ex 4. prænot. tandem intulimus, nempè, non licêre à Vulgata latina ad hebraicum, gręcumve fontem provocare. Hier. enim ſæpè fatetur, ſe

ad

ad hebraicam verit. tanquàm in præsidium & arcem solitum esse confugere. Aug. etiam non semel Hieronymi sententiæ subscribit. Damasus insuper coëgit Hier. ut Test. Novum ad græcam reduceret verit. *Præt.* Hier. ipse in præf. super Dan. & Abac. fabulas vocat historiam Susannæ, & Bel. Draconis; quæ tamen in Vulgata leguntur. *Demùm* 1. Cor. 15. legitur in Vulgata: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et tamen oppositum non est contra fidem, nempè, quòd *non omnes resurgent*, ut D. Th. ait ibi lect. 8. ergo.

713 *Ad* 1. R. laudatos PP. ita sensisse, quia suò tempore, & fontes puri erant, & latini codices varii, ac repugnantes, ut Hier. ipse testatur in procem. super 4. Evang. *Modò* autem cùm exemplarium latinorum una apud omnes concordia sit, potiùs hebraica & græca variantia per nostram latinam edit. sunt limanda, atque in prîstinam verit. reducenda: Sanioriſque consilii est, limpidam aquam è lacunis defæcatis, quàm ex turbato fonte liquorem obcænum bibere. *Ad* 2. R. ex eodem Hier. l. 1. in Ruff. ubi purgans ea quæ in præfat. dixerat, inquit: *Quod autem refero, quid (adversus Susannæ historiam, & hymnum trium puerorum, & Belis Draconis fabulas, quæ in volumine hebraico non habentur) Hebræi solebant dicere; qui me criminatur stultum, se sycophantam probat: non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicerent, explicavi.*

714 *Ad ult.* R. locum illum bifariàm apud Græcos legi (ut Didymus & Hier. testantur) & ut Vulgata habet, & in hunc modum: *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur.* Neutra tamen lectio à Viris Ecclesiæ reprobata est, quin admonuêre semper, lectionem dubiam & variam esse; & ideo D. Th. ubi supr. ait: *Et licèt hæc littera, scilicèt,* non omnes moriemur, &c. *non sit contra fidem; tamen Ecclesia magis acceptat primam.* Imò authenticam declaravit in Trid. *Reliqua* arg. contra Vulgatam vide plenè soluta apud Can. lib. 2. c. 13. Videsis etiam J. à S. Th. disp. 9. a. 1. §. ult. circa finem. Notat autem Sapientiss. M. §. ant. quòd cùm multa extiterint antiquitùs exemplaria

hebraica, alia aliis emendatiora, illud, ex quo Vulgata prodiit, cæteris emendatius fuisse, censendum est, quod ex Ecclesiæ approbatione constat; illud enim emendatius & integrum approbavit, quod defacto (præmissâ cum pluribus collatione) secuta est.

715 Opp. 4. cont. concl. Multa sunt in Scrip. à Deo non revelata, sed à Scriptoribus de suo posita, ut quæ ipsi viderant & manibus attrectaverant, & alia quę videntur divinâ revelatione indigna, ut salutationes in Epistolis Pauli, & Joan. aliaque id genus, passim in eisdem Epist. occurrentia. *Et* sanè Apostolus, se in insipientia locutum, non semel fatetur; blasphemum autem est, Verba Spiritûs S. insipienter dicta affirmare: Spiritû igitur hominis Paulus ibi locutus est. Sicut & dùm Corinthios reprehendit, cùm reprehensionis posteà pœnituerit. *Præt.* Divinum dêdecet eloquium, ea quæ in Scrip. ubique patet simplicitas, sermo incultus, & frequens metaphorarum, & parabolarum usus: ergo.

716 *Ad* 1. N. ant. Quamvis enim Authores Sacri non omnia ex immediata revel. acceperint, omnia tamen peculiari Spiritûs S. instinctu, afflatu, assistentiâ, directione, & manutenentiâ scripsisse jurè contendimus, dicente Dominô: *Ille vos docebit omnia, & sugeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, sivè aliàs visa, audita, manibus contrectata, *omnia* inquit. Sivè ergo Mattheus & Joan. sivè Marcus & Lucas, (quanvis illi visa, hi audita referrent) non egebant quidem novâ Spiritûs S. revelatione; egebant tamen peculiari Spiritûs S. directione. *Nec* divinô afflatû indignę sunt Apostolicę illæ salutationes, quidquid Erasmus blâteret. *Nec* etiam in insipientia reverâ locutus est unquàm Apost. sed *quasi insipiens.*, qui quasi insipientis (aut se laudantis) personam assumere videretur; verùm hæc, quæ stultitia esse videbatur, Dei erat sapientia, ut Apostolus non spontè, sed coactus: non ex vanitate, sed ex charitate, gloriaretur. *Dùm* autem pœnitêre se dicit correctionis, non-*resipiscere*, dicit, sed *tristari*: Tristatur autem pater cùm filios dolentes videt; sed lætatur, cùm dolorem ad salutem fuisse intellexit.

Ad

717 *Ad* 2. N. ant. Potiùs enim *sententiarum vivacitatem sermo ex industria cultus enervat : non res pro verbis, sed pro rebus enuntiandis verba sunt instituta*, ut rectè dixit Prosper l. 3. de vit. contemp. c. ult. Apparet nihilominùs in Sacris Litteris divina quędam eloquentia, non quidem inania & pendula crepitans, sed plurimùm movens non verborum, sed rerum avidum. De quo videndus noster incomparabilis Granat. in sua Rethorica. Parabolarum autem & metaphorarum frequentiâ consultum voluit Deus rudium ineptitudini, studiosorũ exercitio, arcanorum sublimitati infidelibus occultandæ, superbiæ curiosorum frenandę, aliisque commodis, à PP. assignatis. Videsis apud laudatum Canum plures alias object. solutas cap. 18. & benè nota, relictum interdùm fuisse Scriptoribus sacris verborum ac styli delectũ, de quo solùm se excûsat Author 2. Mach. dùm cap. ult. erratorum veniam petit.

DUBIUM II.

An, præter Scripturam S. necessariò admittendum sit Verbum Dei agraphum, seu non scriptum, sivè Traditio Divina?

718 ANte res. supp. 1. *Traditionis* vocem quandoquè *largissimè* accipi pro doctrina quôvis modô traditâ, seu scriptô, seu verbô, ut 2. Thess. 2. *State & tenete traditiones, quas didicistis, sivè per sermonem, sivè per epist. nostram. Aliquando* verò *strictiùs* pro doctrina orè tenùs priùs traditâ, quanvis posteà scripta sit, sivè non, à primo authore; ut patet 1. Thess. 4. ubi Apost. multa, quæ voce tradiderat, scripturâ consignat. Et hôc modô Evangelium *traditio* dicitur. *Frequentiùs* tandem *strictissimè* pro doctrina non scriptâ à primo authore, sivè posteà ab aliis scripta sit, sive non; & in hoc sensu (qualiter hîc loquimur de Traditione Sacra) sic ista vulgò, & rectè ex Dionysio diffinitur : *Doctrina arcana & sacra, ex animo in animum à*

majoribus in posteros, medio intercurrente verbo, transfusa. Quę quidem diff. traditur per omne genus causæ traditionis sacræ, ut appositè notat eruditiss. Grav. controv. 2. de Sacris Trad. a. 1.

719 Supp. 2. Traditiones sacras bifariàm dividi, nimirùm, penès Authores, & penès materiam earum. Primô modô partiuntur in *Divinas*, *Apostolicas*, & *Ecclesiasticas*. Quibus omnibus Catholica gubernatur Ecclesia. Primę dicuntur quæ ab ipso Christo Apostolos docente acceptæ sunt; qualis est majori ex parte doctrina de pertinentibus ad materiam & formam Sacrament. *Apostolicæ*, quæ ab ipsis Apostolis cum Spiritûs S. assistentia institutæ sunt, ut jejunium Quadrag. quatuor Temp. & id genus plura. *Ecclesiasticæ* demùm, consuetudines quædam antiquæ, vel à Prælatis, vel Subditis inductæ, & vim legis habentes. Divinæ Traditiones vocantur interdum *Apostolicæ*, quia per Apostolos illas à Christo accepimus. Econversò autem Apostolicæ *Divinæ* dici solent, quia non sine spiritu Dei illas Apostoli instituerunt. *Penès* materiam dividuntur Traditiones in *dogmaticas*, seu *de fide* (quales sunt, perpetua Deiparæ Virginitas, descensus Christi ad inferos, baptismus parvul. aliæque plurimæ) & *morales* seu *ad mores pertinentes*: quæ rursùm, aut sunt perpetuæ, ut præfata jejunia: aut temporales, ut observatio illa quorundam legalium: vel sunt universales, ut Paschatis observatio v. g. vel particulares, ut jejunium Sabbati tempore Augustini: Vel sunt necessariæ, ut quæ in forma præcepti traduntur, ut celebratio Paschæ die Dominico: vel liberæ, ut quæ traduntur in forma consilii, ut aspersio aquæ lustralis v.g.

720 Supp. demùm, quinque esse apertas tutasque vias ad *Divinas* & *Apostolicas* Traditiones dignoscendas. Primam sequentibus verbis aperuit Aug. l. 4. cont. Donatist. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Hâc ratione, parvulorum baptisma, consecrationem virginum, minores Ordines, Monasticam professionem, lucernas in Templis, cereosque lucentes, Imaginum

ve-

venerationem, & alia id genus multa, ab Apoſtolis tradita comprobare poſſumus. *Secunda* eſt: *Si quod fidei dogma Patres ab initio concordiſsimè tenuerunt, hujuſque contrarium ut hæreticum refutarunt, quod tamen è Sacris Litt. non habetur, id per Apoſtolorum traditionem habet Eccleſia.* Exempla ſint, deſcenſus Chriſti ad inferos, & reliqua non ſcripta fidei dogmata, omnia quippè illa, ſicut & ſcripta, ab Apoſtolis accepit Eccleſia.

721 *Tertia* via: *Si quidquam eſt nunc in Eccleſia, communi fidelium conſenſione probatum, quod tamen humana poteſtas efficere non potuit, id ex Apoſtolica traditione derivatum eſt.* Ut ſolutio matrimonii rati v.g. per Monaſticum ſolemne votum. *Quarta* via: *Id quod in Eccleſia univerſa, & omnibus retrò temporibus ſervatum eſt, etiam ſi tale ſit quod ab Eccleſia inſtitui potuerit, ab Apoſtolis creditur traditum*, ut jejunium Quadrag. *Ultima* via: *Si PP. Eccleſiæ aliquod dogma, vel unamquamlibet conſuetudinem, uno ore teſtentur, nos ab Apoſtolis accepiſſe; ſine dubio certum argumentum eſt, ut ita eſſe credatur.* Hâc via oſtenditur, ab Apoſtolis eſſe traditam Sacrarum venerationem Imaginum, ac baptiſmi ritus. His prælibatis,

722 Concl. eſt affirm. & fidê certa ex VII. Syn. act. 8. Trid. ſeſſ. 4. cont. hæreticos veteres, & recentiores, quibus penè omnibus ſolemne eſt (tametſi Lutheranis quaſi proprium) blaterare, nihil, præter Scrip. S. Apoſtolicam habere authorit. *Conſtat* præt. ex illo 2. Theſſ. 2. *Tenete traditiones, quas didicitis, ſivè per ſermonem, ſivè per epiſt. noſtram.* In quæ verba ait Chriſoſt. *Hinc conſtat, quòd non omnia per Epiſt. tradiderit, ſed multa ſine litteris. Eadem verò fide digna ſunt tàm iſta, quàm illa... Traditio eſt, nihil ampliùs quæras.* Idem docet Baſil. lib. de Sp. S. c. 27. *Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam ex Apoſtolorum tradit. quorum utraque parem vim habent.* Idem alii PP. quos videſis apud Canum, Grav. & Bellarm.

723 Prob. deinde rat. *Tum*, quia cùm verbum Dei, non ex attramento aut characteribus, ſed ex ipſo Deo au-

thoritatem habeat; perinde est ad illius infallibilitatem; quòd litteris consignetur, aut você tenùs de aure in aurem tradatur. *Tum*, quia Ecclesia est antiquior Scripturâ, adeoque fides ac Religio sine Scrip. & solâ tradit. constitit ante Moysen. Lex etiam Evang. non est à principio litteris exarata, sed in animis fidelium insculpta; nam Christus nihil scripsit, & Apostoli priùs Evangelium vivâ voce docuerunt, quàm fuerit litteris commendatum, ut ex Evangelii Lucę procœmio liquet, & universi PP. unô ore testantur. *Tum*, quia plura sunt fidei dogmata, quæ in Sacris litt. non habentur expressa, ut (præter innumera alia) constat de processione Spiritûs S. à Filio, de descensu Christi ad inferos, de virginitate perpetua Beatiss. Deiparę; de quibus, nè ipsi quidem Novatores ambigunt. *Postremò*, quia ipsa Scripturæ authoritas solâ traditione constat, quâ nimirùm, Libri Canonici ab apochryphis secernuntur, ut ipsi hęretici (velint, nolint) fateri tenentur: coguntur igitur Sacras Traditiones admittere, vel Scripturam repudiare.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

724 Opp. cont. concl. A Moyse usque ad Christum nulla necessaria fuit in Ecclesia traditio: ergo nec modò. *Prę.* Christus D. Matth. 15. Apost. ad Coloss. 2. & PP. frequenter traditiones reprobant: ergo. *Prę.* Deut. 4. & 12. & Apoc. 22. prohibetur aliquid addi Scrip. aut verbo Dei: ergo inhibentur traditiones, Scripturæ utiquè superadditæ. *Prę.* Aug. 2. de Doct. Christ. c. 9. ait: *In his quæ apertè posita sunt in Scrip. inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresque vivendi*: ergo nullæ dantur traditiones non scriptæ, ad fidem moresque pertinentes. *Postremò.* Quæ de aure in aurem transeunt, nisi scriptis mandata serventur, facilè mutantur, & injuriâ temporum corrumpuntur: ergo ex traditionibus nihil firmi haberi potest.

725 *Ad* 1. N. ant. nam (ut alia omittamus) necessaria tunc erat traditio ad Libros Canonicos dignoscendos, & ad sciendum remedium, quod ad deletionem peccati originalis necessarium erat fœminis, imò & masculis ipsis ante

octa-

octavum diem. Et quidem tunc Judæi magis traditione, quàm Scripturâ utebantur, ut ex Scrip. ipsa ostendit Bellarm. c. 4. de verbo Dei non scripto. Illi autem, qui tunc ad Ecclesiam, præter Judæos, pertinebant, nec circuncidi tenebantur (ut Job, aliique plures) solâ traditione credebant. *Ad* 2. R. non veras ac legitimas traditiones reprobare; sed solùm pharisaicas, apochryphas, scripturæ & rationi repugnantes. Qualiter autem illę ab istis discernantur, dictum est suprà. *Ad* 3. N. cons. Nam & ipsæ Traditiones sunt verbum Dei.

726 Illô autem Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis*, integra observantia legis ibi latæ præcipitur, & depravatio prohibetur; id quod his verbis frequenter exprimitur: *Non declinabitis ad dexteram, neque ad sinistram.* Minimè autem prohibentur aliæ leges, aut præcepta (seu divina, seu humana) voce tenùs, aut scriptô lata, juxta dicta n. 45. Illud verò c. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas*, speciatim intelligitur de uno præcepto sacrificandi, ut ex contextu patet cujus summa est: Dùm veneris in Palęstinam, non imitaberis in sacrificiis Gentes offerentes diis suis filios suos, & filias per ignem: sed hoc tantùm offeres, quod ego tibi præcipio, nempè, ex animalibus, oves, capras, hædos, boves, vitulos, columbas, pâsseres, turtures: ex fructibus terrę, panem, sîmilam, salem, thus, manipulum spicarum virentium, & triticum: ex liquoribus, sanguinem, vinum, oleum, aquam. *Hoc tantùm facito*, ideśt, offerto, *nec addas quidquam* ex sacrificiis Gentilium, *nec minuas* ex iis quę jam enumerata sunt. *Joannes* autem non alias Scrip. aut Traditiones prohibet, sed illius duntaxàt libri corruptionem: quocircà timêre debent Lutherani, illum adæquatè rejicientes.

727 *Ad* 4. R. Aug. loqui de his quæ necessaria sunt omnibus simpliciter ad salutem, & quæ sine scelere ignorare nemo potest, quæ sanè in aperto in Scrip. posita sunt. *Multa tamen omittuntur, quæ necessaria erant ad plenam fidei instructionem, voci vivæ reservatis mysteriis involuta*, ut Andrą-

dius

dius loquitur, seu quæ solâ traditione habentur, ut sæpè Aug. docet. Et ita accipiendi sunt alii PP. similia proferentes. *Ad ult.* dist. ant. attentâ præcisè humanâ industriâ, C. attentâ speciali Dei provid. (quâ semper servata sunt, quæ ad fidem & ritus necessaria erant) N. Itaque si humana tantùm provid. attendatur, non modò traditiones, sed & Scripturæ corrumpi, imò & penitùs aboleri, facilè possent. Deus autem qui tantô tempore Traditiones S. absque ullis Scrip. olim custodivit, ipse nunc utrasque conservat. Cui æquè facile est verbum suum in fidelium cordibus, ac in papyro illibatum servare. *Mittimus*, quòd omnis Apostolica traditio, etsi exarata non sit in Libris Canonicis, scripta tamen habetur in authenticis Ecclesiæ monumentis.

DUBIUM III.

Utrum, præter Verbum Dei scriptum, & non scriptum, *admittenda necessariò sit alia fidei regula* animata *seu viva, sive Judex visibilis controversiarum Fidei?*

728 CONCL. est affirm. & de fide cont. Luth. & Calvinist. & prob. Quia ad terminandas fidei controv. non sufficit Scrip. sola, neque cum solis tradit. nec cum spiritu illo privato: ergo necessaria est alia regula viva & visibilis. Ant. quoàd 1. p. ostenditur 1. ex officio Judicis, quod Scripturæ non competit; quia Scriptura pronuntiare non potest sententiam inter duas pp. litigantes, ut altera fateatur, sententiam contra se, alteram pro se latam esse. Et quidèm Lutherani ipsi & Calv. multis ab hinc annis litigantes apud hunc Judicem de baptismo parvul. de reali Christi præsentia in Euchar. de prædestinatione, & aliis, pergunt in studio & ardore litigandi; quod non facerent, si putarent, sententiam clarè semel esse latam, nisi pervicaces

se

se ostendere velint, utpotè sententiæ perspicuæ nolentes acquiescere. *Secundò* ex p. ipsius Scrip. cujus si nudum litteræ sonum spectes, neglectô verô sensû, mortuus sæpè remanebis, seu in errores incides, *littera enim occidit*, ut dicitur 2. Cor. 3. & sic Judæis, & pluribus hæreticis âccidit, ut multis ostendit Becanus de Judice controv. arg. 2. sensus autem sæpissimè obscurus, ac intellectû difficilis est, *tum* propter frequentes apparentes contradictiones, *tum* ob alias causas, quas idem Auth. ibidem eruditè prosequitur, adeoque aliô Judice opus est, qui clarè diffiniat, hunc esse legitimum sensum, illum non esse.

729 *Tertiò*, ex p. controv. multę enim sunt, quę ex Scrip. dirimi non possunt, cùm nulla de illis fiat in ea mentio, quales illę sunt (ut plurimas omittamus.) An libri Tobiæ, Judith, Sap. Eccles. & Mach. sint Canonici? An baptizati ab hęreticis, sint rebaptizandi? *Quartò* ex usu & praxi Vet. Test. ubi, non Scriptura, sed Pontifex, *Judex* agnoscebatur, ut manifestè colligitur ex illo Deut. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris*, &c. quod expendimus t. 2. n. 486. *Quintò* ex usu & praxi Novi Test. Omnes quippè controversias à tempore Apost. diversis locis, ac temporibus exortas à Romano Pont. vel à CC. ab ipso approbatis, hactenùs decisas & diremptas esse, eorumque diffinitioni non acquiescentes, pro hęreticis habitos ac damnatos fuisse, nemo qui Ecclesię monumenta legerit, poterit vel dubitare. *Tandem* ex analogia Judicis causarum civilium, quę, non à lege scriptâ, sed à Principe, aut Principis Consistoriô dirimuntur. Videsis plures argutias Gardii Luth. cont. has prob. planè solutas apud laudatum Bec. in Apol. pro Judice controv.

730 *Secunda* etiam p. ant. prob. Quia circa res ipsas controversas, sæpè dubia, ambigua, & inexplorata est traditio, qualis profectò fuit Cypriano, Firmiliano, aliisque Episc. Africanis, & Ægyptiis, traditio illa v.g. de valore baptismi ab hæreticis collati: ergo, ultra Scrip. & Tradit. opus est *Judice visibili*, ad dirimendas fidei controv. qui traditionis existentiam, seu veritatem ostendat, declaret, ac dis-

diffiniat. *Tertia* demùm ant. p. probata manet suprà n. 613. ubi ostendimus, privatum illum hæreticorum spiritum (tot monstra & errores invicèm oppositos illis suggerentem) mendacii, & vertiginis spiritum esse.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

731 Opp. 1. cum Sectariis illud Isaiæ 8. 20. *Ad legem magis & ad testimonium*, quibus pro controversiis dirimendis mitti videntur Judęi ad Scrip. tanquàm ad Judicem. *Illud* præt. Christi D. J. 5. 39. *Scrutamini Scripturas*, quibus idem apparet. *Præt.* Act. 17. 11. legitur: *Quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*, ubi innuitur, Beroënses non temerè credidisse quę ab Apostolo dicebantur, sed omnia examinasse juxta Scripturę normam: æquum igitur est, ut illorum exemplò eam & nos pro norma & Judice agnoscamus. *Ad* 1. R. ibi apertè agi contra consulentes de futuris eventibus Pythonissas, & Ariolos; & remittuntur partim ad legem (id prohibentem Deuter. 18.) partim ad Prophetas, à Deo constitutos út futura prædicerent, juxta id quod dixit Josaphat 3. Reg. 22. 7. Argum. igitur objectum est hujusmodi: *De futuris eventibus non licet consulere Pythonissas: ergo sola Scrip. est Judex controv. quo nihil ineptius.*

732 *Ad* 2. R. evidenter militare contra opponentes, contendentes, solam Scrip. esse controv. Judicem; nam Christus ibi jàm Judæos remisserat ad testimonium Joannis, miraculorum, & Patris; quibus (ut omnia experirêtur) testimonium adjecit Scripturarum, ut si tria priora repudiarent, illò saltèm convincerentur. Imitantur profectò Adversarii Judæos, solam Scrip. admittere volentes. *Ad ult.* R. Beroënses scrutasse Scrip. non quasi dubitantes de doctrina Pauli; satis ab illo miraculis confirmatâ; sed ut magis in fide confirmarentur, si vidêrent, eam multò ante per Prophetas fuisse prævisam, & præsignificatam. Sed nihil inde in favorem opponentium.

733 Opp. 2. cum Gardio. Quicumque primariò & infallibiliter terminat & diffinit quæst. de Ecclesia, & Capite ejus, ille est supremus & infallibilis Judex, controv. at sola

Scrip.

Scrip. est hujusmodi: ergo. Prob. min. *Tum* evidentiâ facti, quia ex sola Scrip. primariò & infallibilitè demonstratur, esse Ecclesiam toto Orbe dispersam, & Christum esse ipsius Caput. *Tum*, quia nec catholici aliunde probant, Ecclesiam esse infallibilem, & Rom. Pontificem esse illius Caput: Imò nec aliunde probare possunt, non enim Ecclesia, vel Pontifex potest esse Judex, cùm de utroque sit quæstio; solus autem Deus sit Judex sui ipsius. *Undecim* alias hujus farinę objectiúculas proponit Minister ille, quas unâ distinctione evidentissimè diluit laud. Bec. ubi suprà cap. 3.

734 R. igitur, *terminare & diffinire quæstionem*, commune esse Judici, & Legi, sed diversô modô. Judicis enim est, lites dirimere per modum causæ efficientis; legis autem seu normæ, per modum causæ exemplaris: unde sicut aliud est architectus, qui domum ędificat; aliud idæa, secundum quam ædificat; sic etiam aliud est Judex effectivè diffiniens controv. aliud norma, secundum quam controversiæ diffiniuntur. Ecclesia igitur est Judex controv. de fide & religione; norma autem (secundum quam illa diffinit) est Scriptura S. àt non sola, sed etiam Traditio. *Hinc* jam patet qualiter distinguenda sit maj. Minor autem est absolutè neganda, nam Scriptura neutiquàm terminat controv. per modum Judicis, nec sola per modum normæ; nec amplius suadent priores illius probationes. Ultima autem jugulat argumentem, cùm enim Scriptura non sit Deus, nequibit esse Judex sui ipsius, adeoque controversia de illa exorta, ab alio Judice dirimenda est.

735 Dicendum igitur est, Ecclesiam posse esse Judicem sui ipsius, juxta illud Domini Isaię 54. 17. *Omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis.* Cui consonat perennis Ecclesiæ praxis, semper enim declaravit, pro hæreticis habendos esse, ipsius doctrinam oppugnantes. Hinc usitata illa formula CC. *Qui aliter sentit, anathema sit.* In quo sanè Ecclesia plurimùm à Scrip. differt; hæc enim quod semel dixit, non repetit; acproindè quod semel ab illa obscurè dictum est, manet obscurè dictum, quantùm est ex p.

ip-

ipsîus. At Ecclesia repetere potest quod semel dixit; ideoque, si quid semel obscurè pronuntiet, potest illud clariùs explicare. *Reliquas* objectiones eôdem modô dilues. Quod ut faciliùs prę̃stes, nota discrimen inter sententiam Judicis, & Scripturæ, seu legis: Illa solùm exequitur dùm de fide aut religione exorta est controv. hæc autem etiam in rebus apertissimis necessaria & exequenda est, dùm Scriptura tanquàm norma aliquid prę̃cipit aut prohibet. *Nota* præt. quòd Deus est *Legislator*, *Judex controver.* & *Judex factorum*. Ut Legislator & supremus Princeps, multa dixit in Vet. ac Nov. Test. Ut controversiarum Judex, multa (à Moyse aliisque requisitus) respondit. Ut Judex factorum, omnes in supremo die judicabit. Et quidem, *ut Legislator*, non semper clarè loquitur, secùs ut Judex.

DUBIUM IV.

Quid sit Ecclesia militans, quinam ejus membra, quænam notæ, & an possit deficere, vel errare in fide?

736 OStensâ dub. prę̃ced. existentiâ Supremi visibilis Judicis controv. fidei, examinandum restat, quisnam ille sit? Et quidem certum est, illum intra Ecclesiam esse. Sed quia Ecclesia trifariàm spectari potest, nempè, vel in tota sua universalitate (seu proùt complectitur caput, ac reliqua membra) vel in solo capite; vel in CC. congregata; operę̃pretium est, de illa sub hac triplici consid. differere, ut tandem constet, qualiter Supremam illam authorit. habeat. In hoc autem dub. loquimur de illa, primô modô inspectâ. Porrò *Ecclesiæ* nomen (origine grę̃cum, *evocationem*, & *concionem* significans) sumitur interdùm in malam p. ut patet Psal. 25. & Act. 19. Frequentiùs tamen in bonam, pro *Cętu fidelium*. Sic autem sumpta Ecclesia, distinguitur in *Triumphantem*, *Militantem*, & *Patientem* seu *Purgantem*. Hìc autem de sola milit. est sermo:

non

non quidem in tota ſua latitudine (ſub qua fideles utriuſque Teſt. complectitur) ſed ſolùm ut coarctatur a præſentem ſtatum gratiæ, ſeu Rempublicam Chriſtianam.

737 Prima concl. *Eccleſia militans, quoàd præſentem ſtatum, eſt : Collectio, vel Cętus Fidelium baptizatorum viſibilis, ſub uno Capite Chriſto in Cœlis, & ejus Vicario in terris Romano Pontifice.* Eſt cõformis Scrip.CC. & PP.ut Bellarm. aliique oſtendunt. Ly *cętus* tenet locũ generis,per quod ſcilicèt cõvenit Eccleſia cum aliis ſociet. à quibus per reliqua differt. Dicitur *hominum baptizat.* quia baptiſmus eſt unica & communis Eccleſiæ janua. Additur, *viſibilis*, quia talem Script. prædicant, Prophetæ prædixerunt, Chriſtus oſtendit, comparans eã *monti, convivio, ovili, ſagenæ* ; jubens eam adire, audire,illi dicere,parêre;cõmittẽs illâ Petro regendâ: Habet proinde Eccleſia ſubditos viſibiles, Paſtores & Rect. viſibiles,viſibiliter & palâ docentes,hortantes, Sacramenta miniſtrantes, judicantes, punientes. *Dicitur ſub uno Capite Chriſto*, nam Deus *ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam*, Epheſ. 1. Dicitur demùm *& ejus Vicario*, &c. quia ipſi in perſona Petri dixit Chriſtus J.21. *Paſce oves meas.*

738 Ex hac diff. rectè perpensâ, reſoluta manet ſecunda difficultas ; habetur enim 1. non poſſe Eccleſiam in ſolis fœminis, aut in ſolis pueris baptizatis, ſubſiſtere. *Secundò*, quòd infideles (etſi baptizati) non ſunt actû Eccleſiæ membra ; benè tamen fideles baptizati,quantunvis reprobi; & quidem ſimpliciter, ſi juſti ſint,ſin autem, ſecundum quid. *Tertiò*, quòd licèt cathecumeni pertineant ad Eccleſ. *tanquàm interiùs in ejus utero per Evang. concepti ; non tamen tanquàm exteriùs per baptiſmum in ea nati*, ut loquitur Aug.ideoque, etſi ſalus ſpiritualis ad eos extendatur, non tamen Eccleſiæ juriſdictio. *Quartò*, quòd nec ſchiſmatici ſunt Eccleſiæ membra, cùm voluntariè ab Eccleſiæ capite ſe ſubducant ; ſecùs de fidelibus excommunicatis non ſchiſmaticis, dicendum eſt cum Bañez, aliiſque Thomiſt. adverſus Bellarm. Sylvium, alioſque. Cùm enim iſti fidem & interiùs retineant, & exteriùs profiteantur ſub eodem capite; inter Eccleſię membra (etſi minùs propriè) computari debent:

bent : quantumvis habendi, æstimandi, & tractandi sint tanquàm ethnici, juxta præceptum D.Math. 18.

739 Secunda concl. *Præcipuę Ecclesiæ milit. Notę, sunt quatuor illæ, in Symbolo Constantinop. expressæ, nempè, quòd sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica.* Unitas ejus sæpè in Scrip. prædicatur, *Una est columba mea*, inquit Spōsus Cant. 6. Illam *unum ovile* Christus vocat J. 10. *Unum corpus* Paulus appellat (ob unitatem capitis, spiritûs, Fidei, Spei, Baptismatis) Ephes. 1. & 4. *Sanctitas* Ecclesiæ commendatur Cant. 6. ubi *decora, pulchra ut Luna, electa ut Sol*, appellatur. 1. Pet. 2. ubi *Genus electum, Gens sancta*, dicitur. Vocatur autem Ecclesia *Sancta*, non quòd omnia ejus membra munda sint, nam regnum Cœlorum (illam significans) virginibus fatuis, & prudentibus constat : in agro dominico cum frumento paleæ permixtæ sunt : Et in domo Dei, aurea vasa ligneis & fictilibus interposita. Sed dicitur *Sancta* ratione capitis, Christi D. *Sancti Sanctorum*; & præcipuorum ejus membrorum; ratione doctrinæ, in qua nihil falsum, nihil non sanctum ; ratione finîs, mediorum, ut Sacramentorum, cæremoniarum, &c.

740 Est autem Ecclesia *Catholica* seu *universalis*, quoàd *omnia* totius Orbis *loca*, successû temporis occupanda. Psal. 2. *Dabo tibi possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 71. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos Orbis terrarum. . . Replebitur majestate ejus omnis terra.* Quoàd *tempora* usque ad consummationem sęculi. Matth. 28. Quoàd *personas* cujuscumque nationis, & conditionis Marci 16. *Prædicatę Evangelium omni creaturę.* Quoàd *fidei doctrinam*, in quam fideles omnes ubique & semper, absque ulla variatione consenserunt. *Porrò* adeò veræ Ecclesiæ affixa est *Catholicæ* notio, ut aliô nomine nec ab ipsis hostibus suis designetur, ut observat Aug. c. 7. de vera relig. *Catholicum istud* (nomen) *nec Marcionem, nec Appellem, nem Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores*, inquit S. Pacianus ep. ad Sympron. & infrà : *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit. . . Ab hæretico nomine noster Populus hac appellatione dividitur, cùm Catholicus nuncu-*

cupatur. Est demùm vera Ecclesia *Apostolica*, quia à Christo per Apostolos fundata & propagata, ab ipsis Episcoporum successionem retinens, in eorum illibata doctrina constanter perseverat.

741 Ex allatis veræ Ecclesiæ Notis convincitur, Ecclesiam *Rom.* seu *Pontificiam* (quæ totô Orbe diffusa, Romano Pont. subjecta est) esse veram Christi Eccles. utpotè omnes & singulæ illi mirificè conveniunt, ut latè ostendunt Bellarm. & alii, & cuilibet singulas attentè examinanti constabit. *Novam* autem *Ecclesiam*, quam sibi fingunt Lutherani & Calv. & *Reformatam* vocant, neutiquàm esse veram Eccles. ex eisdem notis liquidò constat, cùm nè una quidem ipsi competat, ut breviter ad singulas descendendo monstratur. Et quidem *una* esse non potest, tot habens capita, quot Ministros, tot fermè in materia fidei opiniones, quot capita. Nec mirum, *non enim aliunde hæreses ortæ sunt, & nata schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur*, ut rectè annotavit Cypr. l. 4. ep. 9.

741 Nec *Sancta* esse potest, si illius Authores, leges, aut doctrinam attendas. Præcipui Authores sunt Lutherus, & Calvinus, uterque infamis, votî-fragus, impudicus, seductor; quorum sordes ac spurcitias (omnibus notissimas) referre pudet. Legum sanctitatem prædicant hominum strages, Templorum profanatio; ædium dirutio, sacrarum reliq. combustio, mactatio Sacerdotum, construpatio virginum, monasteriorum præda, abominatio desolationis in locis sanctis, & id genus alia truculenta, fera, tartarea. Quæ sanctitas in doctrina? cùm doceant, Deum esse authorem peccati; imò & ad peccandum cogere; impossibilia jubêre; nulla habentibus fidem imputari peccata, quantunvìs enormia; bona opera nullius esse meriti apud Deum; imò (ut Calv. loquitur) nihil aliud esse, nisi sordes, inquinamenta, meram iniquitatem; Prædestinatos necessariò salvari, quidquid tandem agant; Reprobos necessariò damnari, quocumque se vertant? En Ecclesiæ reformatæ *sanctitas.*

Re-

Rectè sanè dixit Aug. l. de vera Relig. c.8. *Non ex aliis hominibus fiunt hæretici, quàm ex his, qui si in Ecclesia permansissent, propter vitæ turpitudinem nihilominùs periissent.*

743 *Catholica* autem esse non potest *quoàd loca*, cùm lâtitet in parvulo Europæ angulo, in quo plures inveniuntur Romano Pontifici obedientes. Nec *quoàd personas*, non enim vocat omnes qui salvari volunt; imò expressè docet, quemlibet salvari posse in sua relig. Nec demùm *quoàd durationem*, ejus enim futuram defectionem colligi potest ex illo Christi Math. 12. *Omne Regnum in se divisum contra se, desolabitur*: Quod & quotidiana experientia confirmat, videmus enim illam paulatìm minui ac perire. *Apostolica* denique quomodò esse potest; quæ non in Apostolis, sed in Luthero & Calv. initium habuit, nec ab Apostolis aut Apostolicis, sed ab Apostatis, & Apostaticis propagata est? Nec Episcoporum successionem ab Apostolis retinet, nec in eorum doctrina persevêrat; sed illi diametrò oppositam invexit, ut ex erroribus numerò præced. relatis evidentissimè constat, & eruditè demonstrat Bec. concl. 4. de Ecclesia reform. & innumeri alii?

744 Concl. 5. *Tota & universalis Christi Ecclesia visibilis non potest deficere vel errare in fide.* Supponit concl. ut certum, aliquam Ecclesiæ p. idest, aliquos Christianos errare posse, & reipsâ errasse, erravit enim Arrius, negans Christi divinitatem. Erravit Macedonius, negans Spiritûs S. divinitatem. Erravit Nestorius asserens duas in Christo Personas: Erravit Eutyches & Dioscorus, asserentes unicam in Christo naturam: Errarunt Pelagiani, negantes peccatum orig. & necessitatem gratiæ: Errarunt Donatistæ, & plurimi alii, qui ab Ecclesia damnati, & tanquàm putrida membra abscissi sunt. *Hoc* supp. conclusio asserit, totam Christi Eccles. seu universam Christianorum multitudinem in nullo fidei puncto errare posse, seu nihil profiteri posse, fidei aut Evangelio contrarium; adeoque neminem errare in fide, aut religione posse, qui sentit, quod tota Ecclesia sentit. *Nec* sensus conclusionis est, quòd tota Ecclesia secundum omnes suas partes, sit *judex* fidei *infallibilis*. Tum,

quia

quia impoſsibile eſt omnes illas congregari ut ſententiam ferant. *Tum*, quia nec omnes authoritatem judicandi habent; nec enim omnes poſſunt eſſe Paſtores, & Doctores, ut dicitur 1. Cor. 12. ſed oportet alios eſſe Doctores, alios doctrinam recipientes, &c. Et hoc patet in qualibet Repub. quæ deſtrueretur, ſi omnes in ea imperarent, &c.

745 Senſus ergo concl. eſt, quòd ſicut tota Eccleſia non poteſt amittere ſanctitatem (nec tamen omnes Eccleſiæ partes ſunt ſanctæ:) ſic neque tota Eccleſia poteſt deficere à fide; quin propterea iſta indefectibilitas ſit æquè in omnibus partibus, adeoquè neque fidei regulatio, fundata in tali indefectibilitate. Sic autem expoſita concl. eſt de fide, ex illo Math. 16. *Portæ inferi* (ideſt dęmonis potentia & aſtutia in diſſeminandis erroribus) *non prævalebunt adverſus eam*, ex illo etiam 1. ad Timoth. 3. *Eccleſia Dei vivi columna & firmamentum veritatis.* Eſt autem ſermo de Eccleſia viſibili, Timôtheus enim converſabatur in domo Dei ſeu Eccleſia, quam oculis conſpiciebat. *Profectò*, ſi Eccleſia viſibilis errare poſſet, refunderetur error in Chriſtum, ſic Eccleſiam viſibilem alloquentem Math. ult. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem* ſęculi, & in Spiritû S. cujus aſsiſtentiam eidem promiſsit Chriſtus J. 14. *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis: ergo.*

746 Præt. quia Chriſtus eſt ſponſus Eccleſiæ, quam ſibi indiſſolubili vinculô conjunxit, ut explicat Apoſt. Epheſ. 5. & prædictum eſt ab Oſſea c. 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*: ergo ab illa ſeparari non poteſt. Quòd ſi Eccleſia ab illo defeciſſet, & facta fuiſſet *adultera* (ut Lutherani & Calv. blaſphemant) eſſe non poſſet exemplar & norma ſubjectionis & fidelitatis, contra illud Apoſt. ibidem, *ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis ſubditę ſint in omnibus. Præt.* Adverſarii (blaſphemantes, Eccleſiam univerſalem poſt primos quingentos annos paulatim defeciſſe, ac tandem apoſtataſſe) rogati de tempore partialis, aut totalis defectionis, Senes Suſannam accuſantes imitantur, tot enim fermè ſunt reſponſa, quot capita; quod ſignum eſt manifeſtæ

nifestæ falsitatis. Quòd si occultè, & hominibus non advertentibus, acciderit (ut quidam eorum comminiscuntur) unde illis constat, non unô tempore, sed successivè illam accidisse? Respondent quidam, nihil curandum esse de tempore defectionis, dùm constat de ipsa defectione: Constat autem (ajunt) Ecclesiam Rom. defeciisse circa Purgatorium, invocationem SS. transubstantiationem, cultum Imaginum, liberum arb. opera meritoria, &c. *Sed* consulant Veteres PP. primorum seculorum (in quibus veram Ecclesiam permansisse fatentur) & eandem in præfatis articulis esse nostram & illorum fidem, evidentissimè reperient, ut ad oculum ostendunt Bellarm. Gravina, Becanus, Gualterus, & innumeri allii.

747 Præt. Articulus fidei est, *dari Ecclesiam Christi visibilem, quæ sancta & Catholica sit*, ut constat ex Symbolo Apost. quod vel ipsi admitunt; sed articuli fidei semper sunt veri, & nunquàm falsi: ergo semper verum est, dari Ecclesiam Christi visibilem, &c. ergo falsum est, totam Christi Eccles. visibilem post primos quingentos annos defeciisse; aliàs tunc non licuisset dicere: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam. Demùm*, quia alias sequeretur 1. post quintum sæculum, usque ad Luther. & Calv. non habuisse Christum Sponsam, sed adulteram. 2. ex hac adultera natos esse Luther. & Calv. adeoque illos non fuisse legitimos, sed spureos Ecclesiç filios, atque Ecclesiam reformatam esse eorum novercam, ac spuriam matrem. Demùm, nec ipsos reformatos esse posse de sua fide securos, quod enim sensim & occultè deficiendo, accidit (ut ipsi blâterant) Pontificiç Ecclesiæ, etiam reformatç accidere potest.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

748 Opp. 1. cont. 1. concl. nos credere S. Ecclesiam; sed quod creditur non videtur: ergo Ecclesia non est visibilis. *Prçt.* Tria prçcipua quæ sunt in Ecclesia, nempè, *Legem, Sacerdotium*, & *Sacrificium*, esse quid spirituale & invisibile, ut de lege constat Rom. 7. de Sacerdotio 1. Pet. 2. de Sacrificio, J.4. ergo & ipsa Ecclesia invisibilis est. *Præt.* Scrip. & PP. sæpè insinuare, justos non perseverantes, seu re-

reprobos, nunquàm fuisse verè Dei filios. *Demùm* PP. interdùm dicere, hæreticos (præcipuè occultos) esse de Ecclesia: ergo. *Ad* 1. R. quòd sicut Thomas aliud vidit, aliud credidit (vidit enim in Christo hominem, & Deum credens confessus est) ita nos in Ecclesia aliud videmus, aliud credimus. Cætum fidelium legitimo Pastori adunatum, & eorundem Sacramentorum communione in ejusdem Relig. professione conjunctum, videmus; at, *Cætum illum esse veram Ecclesiam*, non videmus, sed credimus. Videmus Ecclesiæ corpus; non ejus ortum, munera, dignitatem, sanctitatem, veracitatem, stabilitatem; sed omnia ista fidê credimus.

749 *Ad* 2. In primis datô ant. N. conſ. nam anima est quid præcipuum in homine (sicut & in Christo divinitas) neuter nihilominùs est *quid omninò invisibile*. *Deinde* N. ant. nec enim tria illa spiritualia dicuntur in Scrip. quòd talia sint per essentiam, ut gratia, & virtus; sed tanquàm spiritui, seu spirituali vitæ, deservientia; cũ quo optimè stat, ea suô modô *visibilia esse*; legem quidem, quia exteriùs prædicatur; Sacerdotium, quia potestas ejus signô sensibili datur; Sacrificium, quia mediis sensibilibus perficitur elementis, nempè, pane & vinô. *Ad* 3. R. Scrip. & PP. loqui de veritate finis ultimatè per justificationem intenti, nempè, gloriæ æternæ; secùs de veritate formæ filium constituentis, scilicèt, gratiæ & charitatis. *Ad ult.* R. PP. tantùm velle, hæreticos & schismaticos occultos, esse in Ecclesia quoàd præsentiam corporalem, externam professionem, & Communionem Sacramentorum.

750 Opp. 2. cont. 3. concl. Ecclesia comparatur Lunæ: ergo deficere potest. *Præt.* Synagoga sæpè à fide defecit: ergo & Christi Ecclesia deficere potest. Ant. prob. Quia 1. defecit tempore Moysis, dùm Aaron cum toto Populo adoravit vitulum, Ex. 32. *Secundò* temp. Eliæ, dicente ipsô, 3. Reg. 19. *Derelictus sum ego solus*. *Tertiò* temp. Isaiæ & Jeremiæ, quando omnes recesserunt à Deo. *Quartò* temp. mortis Christi, quando tota Synagoga cum suis omnibus cæremoniis expiravit. *Ad* 1. N. conſ. nec enim com-

paratio in defectione consistit ; sed , vel in eo quòd à Christo lumen accipit , sicut illa à Sole: vel quòd sensim (ad instar Lunæ) crevit : Vel quòd mutationibus obnoxia , quia ut inquit Amb. *Ecclesia tempora sua habet persecutionis , & pacis.* *Ad* 2. R. in primis datô ant. disp. esse , *tùm* , quòd non de Synagoga, sed de Ecclesia , dictum est : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Tum* , quòd Ecclesia est *Catholica* seu *universalis* , non modò ratione loci, sed etiam salvandorum, extra quam nemo salvari potest ; secùs Synagoga, extra quam homines salvari poterant , ut patet de Melchisedech , Job. Ninivitis , & aliis , qui non erant Judæi; unde Synagoga non erat Ecclesia *universalis*,sed *particularis*, quæ errare potest.

751 *Deinde* N. ant. Nam tempore Moysis nec defecit à fide ipse, nec Levitę & Sacerdotes , qui erant 22. millia, ut patet Exodi 32. & Num. 3. *Nec* temp. Eliæ , Isaiæ , & Jer. Tunc enim in Regno Judâ permansisse videtur cultus veri Dei in Templo Salomonis , usque ac Captivit. ut colligitur ex 2. Machab. 1. quantunvis aliqui fuerint in eo Reges idolatræ, ut Achaz. In Regno autem Israël, permansit quidem idolàtria à Jeroboam usque ad Captivit. ut habetur 4. Reg. 17. nunquàm tamen defuerunt in eo aliqui cultores veri Dei , ut colligitur ex 3. Reg. 19. & Tob. 1. *Nec* temp. Christi defêcit Synagoga à vera fide,sed cessavit; prę-sente enim veritatis solê, necesse fuit, ejus umbram abolêri, juxta dicta sup. à n. 144.

752 Opp. 3. ad idem illud Dan. 9. *Deficiet hostia & sacrificium* : ergo & Ecclesia. *Præt.* illud Hier. in dialog. adv. Lucif. *Ingemuit totus Orbis , & Arrianum se esse , miratus est. Ad* 1. N. conf. sermo enim ibi est , juxta communem PP. Exposit. de Synagogæ cessatione ; non de Ecclesiæ futurâ à fide defectione tempore Antichristi, ut vel ipsi opponentes fateri tenentur , nam ipsi dicunt, Antichristum jam venisse ; & tamen nedùm cessavit hostia & Sacrificium ; nec omnes defecerunt ; alioquin faterentur, se quoque defeciisse, cùm & ipsi, suô judiciô , fideles sint. *Ad* 2. R. illud hyperbolicè dictum à Hier. cùm

tunc

tunc (tempore scilicèt, C. Arim. an. 359.) firmus in fide perstiterit Clerus Rom. cum Papa (non Felice, jam feliciter tunc defunctô) sed Liberio, iterũ post lapsûs resipiscentiam legitimè sedente, qui C. illud ante Damasum reprobavit: Perstitit & firma Gallia cum Hilario, plurimæque Orbis Plagę. Imò neque Episcopi, Arrianorum formulæ subscribentes, à fide defecêrunt, ut ipsi pudôre perfusi testati sunt. *Neque præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat, neque Romanum Episcopum (cujus ante omnia expectanda erat sententia) neque Vincentium, qui tot annorum Episcopatum integrè gesserat, neque alios, talibus præbuisse consensum. Maximè cùm isti ipsi, qui per fraudem deflexisse visi sunt, meliori consilio hæc sibi displicere testati sint*, inquit Romana Synodus sub Damaso apud Theod. lib. 2. c. 17.

DUBIUM V.

Utrum soli Beatissimo Petro contulerit Dominus tanquàm ejus Vicario, Ecclesiæ suæ Primatum seu regimen supremum & universale?

753 CONcl. est affirm. & de fide cont. Luth. & Calv. (contendentes, D. Petrum non habuisse in Ecclesia Primatum jurisdictionis, sed tantùm ordinis inter pares) & cont. Ant. Arnaldum Novatorum recentiorum Antesignanum, tribuentem Paulo æqualem cum Petro authorit. Quod dogma tanquàm hæreticum damnavit Innoc. X. die 24. Jan. 1647. Constat autem concl. prœclarissimis Domini verbis. Nam Math. 16. soli Petro, ob excellentem fidei confessionem, supremam illam in Ecclesiam authoritatem, nomine *clavium* designatam, promisit dicens: *Tu es Petrus*, seu *Petra* (nam Christus Syriacè dixit *Cephas*, quod est *Petra*, vel *Petrus*) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt ad-*

versus eam. Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum, &c. Joan. autem 21. post collatam c. 20. Petro ac cæteris Apostolis potestatem ligandi atque solvendi; soli Petro', post trinam excellentis amoris protestationem, specialiter reipsâ contulit Ecclesiæ Primatum (soli illi promissum Math. 16.) dicens: *Pasce oves meas.* Utrobique autem, proprium tàm Petri, quàm patris ipsius, nomen expressit, dicens, *Simon Barjona... Simon Joannis*; nè alium à Petro âlloqui existimaretur; in cujus majorem evidentiam, adjecit: *Diligis me plùs his?* id est, plusquàm hi Socii tui Apostoli?

754 *Præt.* Lucæ 22. uni Petro dixit D. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. In Petro* (glossat S. Leo ubi infrà) *omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Act. 1. proposuit Petrus electionem novi Apostoli locô Judæ. Cap. 2. *primus* promulgat Evang. Cap. 3. *primus* fidem miraculô confirmat. Cap. 4. *primus* pro omnibus respondet Concilio Pharisæorum. Cap. 10. *primus* revelationem accipit conversionis Gentium. Cap. 15. *primus* inter Apostolos sententiam profert, quam cæteri complectuntur. Demùm, dum Apostoli in Evangelio numerantur, semper ponitur primô locô: ergo.

755 Accedit Traditio (CC. ac PP. omnium consentientibus testim. roborata.) Unum aut alterum hîc adscribere satis erit: plurima videre licet apud Bellarm. Natal. Alex. aliosque. *De toto mundo* (inquit S. Leo Ser. 3. in Anniv. die assump. suæ) *unus Petrus eligitur, qui & universalem Gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: Ut quamvis in Populo Dei multi Sacerdotes sint, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* S. Eucher. Lug. (vel quisquis sit Author sermonum, qui nominê Eusebii Emiss. circunferuntur) Ser. de Nativit. J. Bap. *Prius agnos* (inquit) *deinde oves Petro commisit, quia non solùm Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit: Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves: pascit filios, pascit & matres: Regit & subditos, & Prælatos. Omnium*

igi-

igitur *Pastor est*; *quia*, *præter agnos & oves*, *in Ecclesia nihil est*. Mag. Greg. lib. 4. c. 32. *Cunctis Evangelium scientibus loquor, quòd Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro, Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est.*

756 Accedit & ratio: Quia cũ optimũ Regiminũ sit Monarchicum (utpotè Politicæ fini, seu subditorum unitati & paci, maximè consulens, ut ex Arist. docet D. Th. communiter receptus) oportuit, quòd illud Christus Sponsę suę dilectissimæ instituerit; quod & Synagogæ propterea olim designatum fuerat. *Profectò* si rex unus est apibus; ductor unus in gregibus; militum copias unus continet Dux; si Regno imperat Monarcha, Rempublicam Dictator administrat; domum Pater familias; navim Nauclêrus unus gubernat: Quidni Hierarcha unus Christi reget Ecclesiam, ovili, exercitui, regno, navi, & domui Sacris in Litteris comparatam? Unde Hier. l. 2. cont. Jovin. *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Et in Dialg. adverſ. Lucif. *Ecclesiæ salus à Summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si nõ exors quędã & omnibus eminẽs detur Potestas, tot in Ecclesia efficiuntur schismata, quot Sacerdotes.* *Ex* dictis refutata manet proscripta illa Arnaldi hæresis. Quibus adde, PP. & CC. nullam Pauli mentionem facere, dum de Ecclesiæ Primatu loquuntur: Imò Petri subditum illum agnoscunt. Videatur pro omnibus, omnium interpres & Vox, Doctor Ang. 2. 2. q. 33. a. 4. ad 2.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

757 Opp. 1. Christus non soli Petro, sed omnibus Apost. dedit potestatem clavium, & curam pascendi oves suas respectu totius Orbis; cùm J. 20. omnibus dixerit: *Quorum remiseritis peccata*, &c. Et *sicut misit me Pater*, & *ego mitto vos.* Et Matth. ult. *Docete omnes gentes*: Unde Cypr. de unit. Eccles. c. 3. *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis.* R. dedisse quidem Christum omnibus Apostolis potestatem ubique prædicandi, Ecclesias fundandi, Episcopos creandi, & omnium, quæ pro mundi conversione necessaria erant: Sed *delegatam, cum ipsis extinguendam*; Petro autem *ordinariam*,

riam, ad ejus Successores transfundendam. Fuerunt igitur omnes Apostoli pares Apostolatûs munere, non ordinariâ in regimine totîus Ecclesiæ authoritate. Ita enim pares fuerunt in honore Apostolatûs, & potestate ordinis, quòd unum Caput habuerunt: nullam unus supra alium potestatem accepit; Petrus autem super omnes, tanquàm oves Christi, commissas sibi pascendas. Unde & idem Cypr. adjêcit: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur*: Et M. Leo ep. 84. *Inter Beatissimos Apost. in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & cùm omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret.*

758 Opp. 2. Petrus (juxta Chrysost.) *in persona omnium Apost. & tanquàm os eorum*, dixit Domino: *Tu es Christus, &c.* ergo Christus respondens: *Tibi dabo Claves, &c.* omnes in Petro alloquitur; ut sicut confessio fuerat communis, foret & commune præmium. *Præt.* Aug. 3. de Agon. Christ. c. 30. ait: *Huic Ecclesiæ Claves Regni Cœlorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt: & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me? pasce oves meas. Præt.* Clemens Alex. apud Euseb. l. 2. hist. c. 1. *Petrus, Jac. & Joan.* (inquit) *quanvis à Christo fuerint omnibus penè prælati; tamen non sibi vindicabant Primatus gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur justus, Apostolorum Episcopum constituerunt*: ergo. *Præt.* Hesychius Hierosol. orat. in Jac. fratrem Domini, Jacobum vocat *Sacerdotum Principem, Apostolorum Caput, & in capitibus verticem.* Demùm Amb. lib. de Incarn. c. 4. ait: *Petrus, loci non immemor sui, primatum agit: primatum confessionis utiquè, non honoris; primatum fidei, non ordinis: ergo.*

759 R. ad 1. cum Sylvio, locutum fuisse tunc Petrum in persona Apost. non quasi Legatum, ab illis instructionem habentem; sed tanquàm illorum Caput & Verticem, ut loquitur idem Chrisost. & ideo Christus ait ipsi: *Caro & Sanguis non revelavit tibi, &c. Ad* 2. R. Aug. ibi loqui de Ecclesia Rom. & Petri Successoribus, non de aliis Apost. cùm lib. de Pastoribus c. 113. dicat: *Multi erant Apostoli, & uni dicitur, Pasce oves meas. Ad* 3. R. locum esse corruptum,

nam

nam etsi in Codice Basileensi, versionis Ruffini, ita legatur; in Codice tamen Colonienſi, ab homine Catholico versô; & in Græco (tàm Vaticano, quàm Parisiensi) editô ann. 1572. deest vox illa *Primatus*, & pro istis verbis, *Apostolorum Episcopum*, legitur, *Hierosolymorum Episcopum*. Et hæc lectio cohæret, tùm cum Nicephoro, ita hunc locum allegante, tùm cum eodem Eusebio, qui l. 2. c. 3. dicit, Petrum fuisse *Apostolorum Maximum*, & *Primorum Principem*. Clemens igitur solùm ait, præcipuos illos Apostolos, non quæsisse gloriam propriam; & ideo non sibi assumpsisse Episcopatum, omnium eô temp. nobilissimum; sed eum Jacobo Minori detulisse.

760 *Ad* 4. R. cum nost. Nat. Alex. illa ab Hesychio hyperbolycè dicta esse, cùm Oratorem ageret, non Scripturæ S. Interpretem, aut dogmatum Ecclesiastic. Explanatorem. Et quidem latêre non potuit Hesychium, Jacobum non fuisse Apostolorum Caput, cùm probè nosset, Episcopum Hierosolymit. (Jacobi Successorem) non solùm Primatum non habêre, sed inter Patriarchas ult. obtinêre locum, & Romano Pont. parêre. Agnovit præt. Hesych. D. Petrum singulari quadam, & eximiâ ratione esse Ecclesiæ Fundamentum & Caput orat. in S. Andræam apud Phos. in Biblioth. col. 279. *Ad ult.* R. verba illa Amb. respicere ad confessionem Petri, cujus præmium fuit Primatus jurisdictionis, quem ex tunc Christus ei promisit. Vult enim Amb. quòd Petrus, per talem confess. non affectavit Primatum honoris; sed fidei, sive, quòd alius hanc ei gloriam non præriperet, priùs scilicèt, profitendi Christi divinitatem, quam Pater Cœlestis ei revelaverat. Hinc autem non infertur, quòd neget, Petrum posteà Primatum supra Apostolos à Christo accepisse, cùm potiùs ibidem dicat: *Hic est ergo Petrus, qui respondit prę cæteris Apostolis, imò pro cæteris: & ideo Fundamentum dicitur.*

761 Opp. tandem cum Arnaldo: Paulus, & non Petrus, vocatur anthonomasticè *Apostolus*. Ille insuper ad Petri dexteram cernitur in Diplomatibus Pontificiis. Petro etiam in faciem restitit, ut ad Gal. 2. ipse testatur. *Præt.*

Ec-

Ecclesia utrumque æquare videtur, dùm per eos, absque distinctione, dicit, se Religionis sumpsisse exordium. *Præt.* Patres passim Paulum Petro *parem*, aut non inferiorem prædicant, dum utrumque *primum Romæ Apostolum & Episcopum, Ecclesiæ, & Nationum caput, & Romæ oculos* vocant; *dum* Papas *utriusque Vicarios*, & *Successores vocant.* Id quod & ipsimet Papæ confirmant, dum in Diplomatibus dicere solent: *Authoritate Apostolor. Petri, & Pauli, qua in terris fungimur.* Imò & Paulus ipse indicat ad Galat. 2. dicens: *Creditum est mihi Evang. præputii, sicut & Petro Circumcisionis.* Et iterùm: *Quibus neque ad horam cessimus subjectione*, nempè Apostolis, inter quos erat Petrus. Et v. 9. *Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ, societatis.* Ubi nec ipsum Petrum primò inter Apostolos recenset.

762 *Ad* 1. R. cum Aug. rationem esse, non quòd Paulus sit Petro authoritate major; *sed quia pluribus est epistolis notior, & plùs omnibus laboravit.* *Ad* 2. R. non semper ita factum; nam in quibusdam Iconis Rom. & in munismatibus dextram Petrus occupat. Et consultò Veteres modò unum, modò alterum prætulerunt, ut indicarent, ignorari uter alteri, meritis præstet, nam *Paulus sapientia, Petrus autem major est potestate*, ut ait Max. *illos* deinde *& electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales*, ut inquit Mag. Leo Ser. 1. de Nat. ipsor. *Accedit*, quòd in Diplom. Pontif. ita Paulus, ad Petri dext. collocatur, ut eum præcedat, & fermè totum tegat; quod potiùs argum. est obsequii in Paulo, & dignitatis in Petro, si Veterum morem attendas, quem observat, & multis illustrat Nebric. in Annot. ad 50. scrip. loca. Maximè cùm in reliquis honorem referentibus, Petrus præcedat. *Quòd* si mavis, ob Pauli honorem factum id esse, dicendum, illum Paulo deferri, non ob præstantiorem dignitatis gradum, sed quia plus laboravit, quia Doctor Gent. & quia de Cœlo à Christo, jam immortali & à dextris Patris sedente, vocatus, ut, post Pet. Dam. & Innoc. III. respondet D. Th. lect. 1. in ep. ad Gal.

763 *Ad* 3. resp. D. Th. ibidem, loqui de correctione fra-

ter-

tenâ (subditis licitâ respectu Prælatorum) non autem de judiciariâ, requirente jurisdictionem. *Ad* 4. R. Ecclesiam verbis illis agnoscere ac venerari Petrum & Paulum tanquàm Patres, Fundatores, & Magistros: Soli tamen Petro traditum confitetur *ligandi atque solvendi Pontificium*, per quod intelligit Supremam jurisdictionis Potest. à qua quævis alia derivatur & pendet. *Ad* 5. & conf. R. PP. & Pontif. sic loqui, quia Paulus verè Petrum adjuvit in fundanda & regenda Romanâ Eccl. in qua, de ipsius consensu, munia exercuit Episcopalia; in quo sensu & Clemens, vivente adhuc Petrô, vocat se *Ecclesiæ Rom. Præsulem*, idest, *coadjutorem*. *Ad ult.* R. primô locô significari divisionem locorum, quibus Evang. anuntiare debebant, ut omnium conversioni faciliùs incumberent; non autem jurisdictionis; quandoque enim & Petrus Gentibus, & Paulus Judæis prædicavit, ut ex Apost. Act. liquet. *In* 2. non loquitur Paulus de Coapostolis, sed de falsis fratribus, ut ex contextu liquet, & notat ibidem D. Th. *In ult.* denotat, conditionem societatis (quam signô illô expresserunt Apostoli) fuisse, ut ipse cum Barnaba Gentibus prædicaret, ut patet ex contextu. Præmittit autem Jacobum Petro, quia ille *erat Episc. Hierosol. ubi facta sunt ea, quæ narrat*, inquit D. Th. nam quòd Petrum superiorem agnoverit, constat ex eo quod ait cap. 1. nimirùm: *Post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*: non dicit, *videre Jacobum*, quanvis tunc Hierosolymis esset, sed *Petrum*, qui erat omnium Caput, & Princeps.

DUBIUM VI.

Utrum Episcopus Rom. sit legitimus Petri Successor in Primatu jurisdictionis totius Ecclesiæ, & quo jure Summus Pontificatus conjunctus fuerit Episcopatui Romano?

764 SUpp. ut fide certum, cont. VVicleph, & Sectarios nostri temp. Primatum D. Petri, non fuis-

fuisse cum ipso extinctum, sed ad ejus Successores transiisse, usque ad finem permansurum: Christus enim Ecclesiæ suæ perpetuò duraturæ constituit Petrum Caput, propter ipsam Ecclesiam: ergo contulit Petro supremam authorit. ad Successores ejus derivandam usque ad finem sæculi, id enim Ecclesiæ utilitas exigit. *Profectò* Dominus J. 21. commisit Petro pascendas omnes oves suas, non solũ tunc existentes, sed etiam futuras usque ad consummationem sæculi, & quas Petrus pascere non potuit per se, sed solùm per suos Succeſſ. Hinc S. Leo. *In Petri Sede sua vivit potestas, & excellit authoritas.* Et hæc est comm. vox CC. & PP. Vide D. Th. 4. cont. Ge. 77. & Bell. lib. 2. de Pont. c. 12. Hoc suppositò,

765 Prima concl. est affirm. & de fide, cont. Hæret. nostri temp. (contendentes, vel nullum Petro collatum fuisse Primatum, vel solùm personalem) & cont. Græcos schismaticos, solius ordinis, & honoris Primatum Romano Pont. concedentes, non autem jurisdict. & potest. Constat autem concl. perpetuâ Tradit. à CC. & PP. plenissimè atteſtatâ. In primis Synod. Nicæna I. can. 6. sic habet: *Ecclesia Rom. semper habuit Primatum*, ut legitur in prima edit. Rom. & approbarunt PP. C. Calced. qui act. 16. dictô can. perlectô sub his verbis; *Ecclesia Rom. semper habuit Principatum*, subjunxerunt: *Videmus omnes ante omnia Primatum & præcipuum honorem, secundum Canones, Dei amantissimo Archiep. Veteris Romę conservari.* Vide Cabass. ad Can. VI. Nicæn. & Diatriba. de num. Canonum Nicæn. ubi Canones Arabicos (quorum trigesimusnonus hîc allegari solet) multis explodit. Concinit Syn. Sardic. etiam OEcum (& quę Nicænæ censetur Appendix) ep. ad Julium Rom. Pont. ubi ait: *Hoc optimum, & valdè congruentiss. esse videbitur, si ad Caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Provinciis referant Domini Sacerdotes.* Agnovit pręt. hæc S. Syn. in Pont. Rom. Primatum jurisdictionis sicut in Petro, dùm jus appellationum Romanæ Sedi eximium vindicat in suis Canon. videndis apud nostrum Rabaudi.

766 PP. etiam Synodi II. Gen. seu Const. I. in ep. ad Da-

Damaſ. proteſtantur, ſe conveniſſe Conſtantinopolim *ex mandato litterarum Pont.* & Romanâ Eccleſ. *Caput* eſſe, ſe autem, *membra*, ut refert Theod. l. 5. hiſt. c. 7. *Tertia* Syn. Gen. ſeu Epheſ. depoſuit Neſtorium ex mandato Cœleſtini Pont. ut refert Evagr. l. 1. c. 4. vel, ut ipſi PP. loquuntur act. 1. *Coacti per Sacros Canones, & Epiſt. Sanctiſſimi P. noſtri, & Comminiſtri Cœleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi.* Et c. 16. dixit quidam, Sacrâ plaudente Coronâ: *Sæculis omnibus notum eſt, S. Beatiſſimumque Petrum, Apoſtol. Principem, & Caput, Fideique Columnam, Eccleſiæ Catholicæ fundam. per Succeſſores ſuos hucuſque ſemper vivere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe.* *Quarta* Syn. Gen. ſeu Chalced. ſæpè vocat S. Leonem Papam *Caput nniverſalis Eccleſiæ*, & loquens de ſententia damnationis ab eodem Pont. in Dioſcorum Alexan. latâ, ait: *Sanctiſſimus Archiep. Magnæ Romæ, unà cum tèr Beatiſſimo Petro, qui eſt petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille qui eſt rectæ fidei fundam. nudavit eum* (Dioſcorum) *Epiſcopatu.*

767 Sexta Syn. Gen. ſeu, Conſtant. III. act. 18. in ep. ad Agat. Papam, ſic eum alloquitur: *Tibi, ut Primæ Sedis Antiſtiti univerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit, relinquimus, ſtanti ſuper firmam fidei Petram.* *Septima* Syn. Gen. ſeu, Nicena II. act. 2. probat Epiſt. Adriani Papæ ad S. Tharaſium Epiſc. Conſtant. in qua de Rom. Sede hæc leguntur: *Per totum terrarum Orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſ. Dei, Caput exiſtit: unde & ipſe B. Petrus Apoſt. Dei juſſu Eccleſiam paſcens, nihil omninò prætermiſit, ubique Primatum obtinuit, & obtinet.* *Octava* Syn. Gen. ſeu, Conſtant. IV. recêpit ab Adriano II. profeſsionem fidei circa Primatum Romanæ Eccleſiæ, olim præſcriptam à Bonif. II. ep. ad Eulalium Cartag. Epiſc. quam affert Canus lib. 6. c. 4. in fine. *Idem* tradidêre reliquæ XI. vel XII. OEcumenicę Syn. Occidentales; quarum duas memorare ſufficiat, in quibus Græci cum Latinis convenêre.

768 Prima eſt Lugd. II. ſub Greg. X. cujus verba referuntur cap. *ubi periculum*, de elect. in 6. in quibus Romanus Pont. vocatur *Chriſti Vicarius, Pètri Succeſſor*, & *univerſa-*

salis Ecclesię Rector. Secunda autem est Florent. sub Eug. IV. quæ in Decreto Unionis sic constituit: *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Rom. Pont. in universum Orbem tenere Primatum; & ipsum Pont. Rom. Successorem esse B. Petri Apostol. Principis, & verum Christi Vicarium, totius Ecclesiæ Caput, & omnium Christian. Patrem & Doct. existere; & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Eccl. à D. nostro J. Christo, plenam potest. traditam esse: Quemadmodum etiã in gestis OEcumenicorũ CC. & in Sacris Canonibus continetur.* Ubi notari debet ly *quemadmodùm*, quô significatur, præfatas Pontificis Rom. prærogativas ex priorum CC. gestis, & ex Sacris Can. deduci. Illas autem supponunt, ac firmant C. Lateran. V. & Trid. sess. 7. can. 3. de Baptis. & sess. 25. de reform. c. 1. & 2. & innumera CC. Provinc.

769 Accedunt PP. (Traditionis Apostolicæ locupletissimi testes) Iren. l. 3. c. 3. sic de Eccl. Rom. loquitur: *Ad hãc enim Eccl. propter potentiorem* Principalitatem, *necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Athan. & Episcopi Ægypti ep. ad Liberium Papam: *Universalis Vobis à Christo commissa est Ecclesia.* Amb. in cap. 3. 1. ad Timot. *Cùm totus mundus Dei sit, tamen domus ejus Ecclesia dicitur, cujus hodie Rector est Damasus.* Hier. ep. 57. ad Damas. *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuę, idest, Cathedræ* Petri *Communione consocior. Super illam* Petram *ædificatam Ecclesiam scio, &c.* Aug. ep. 162. *In Ecclesia Rom. semper Apostolicæ Cathedræ viguit authoritas.* Cyrill. Alex. apud D. Th. opusc. cont. errores Græc. *Sicut Christus accepit à Patre... super omnem principatum & potestatem, super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem: sic & Petro, & ejus Successoribus plenissimè commisit.* Prosp. l. 2. de voc. Gent. c. 6. *Roma* (inquit) *per Sacerdotii* Principatum *amplior facta est arce Religionis, quàm solio potestatis.* Et Carm. de Ingr. *Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris... Facta Caput mundo, quidquid non possidet armis... Religione tenet.*

770 Demùm Bern. (ut alios omittamus) l. 2. de consid. c. 8. sic eleganter Eug. III. alloquitur: *Age, indagemus adhuc diligentiùs quis sis, quam geras pro tempore personam in*

Ec-

Ecclesia Dei. *Quis es?* Sacerdos Mag. Summus Pont. *Tu* Princeps Episcoporum. *Tu hæres Apostol. Tu primatu Abel, gubernatu Noe,* Patriarchatu *Abraham, dignitate Aaron, authoritate Moyses, judicatu Samuel,* Petrus *potestate, unctionè Christus. Tu es, cui Claves traditæ, cui oves creditæ sunt: Sunt quidem & alii Cœli Janitores, gregumque Pastores; sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modò ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Alii in partem solicitudinis, Tu in plenitud. potest. vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus; tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonnè si causæ extiterit, Tu Episcopo Cœlum claudere, Tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi, tàm in datis Clavibus, quàm in ovibus commendatis.*

771 Prob. deinde concl. Quia Pontifices Rom. ut ex eorum litt. constat, semper in se agnoverunt potestatem supremi & universalis Pastoris Ecclesiæ, illamque perenniter exercuerunt, leges pro universa Ecclesia condendo; Episcopos passim totô Orbe instituendo, deponendo, Sedi suæ restituendo; CC. OEcumenica indicendo, illis per se, vel per Legatos præsidendo, eorumque decreta confirmando; Appellationes in causis Fidei, dubiæ disciplinæ, & Episcoporum dejectorum, recipiendo, & judicando; Legatos, & Vicarios in diversas Mundi partes mittendo; Imperatores & Reges Sedi suę rebelles excommunicando; Graviorum criminum absolutionem sibi reservando; Plenarias Indulg. concedendo; & alia id genus plura Supremi Ecclesiæ Capitis munia passim obeundo; quorum exemplis plenæ sunt Ecclesiasticæ Hist. & quàmplurima (quæ sigillatim hìc adducere perfacilę foret) videre licet apud Bellar. alioſque Controversistas.

772 Secunda concl. *Unio* seu *conjunctio Supremi Pontificatus cum Romano Episcopatu, non est facta jure Cæsareo, nec solo facto & applicatione Petri, sed jure divino, seu speciali Christi præcepto.* Quoàd 1. p. est de fide cont. Uvicleſistas, Luther.

&

& Calvin. Et constat Traditione, testimoniis CC. & PP. suprà laudatis firmatâ. *Si enim Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, ut CC. & PP. unô ore testantur, quomodò illum Romano Pontifici donarunt Imperatores? Et quidem Constantinus Mag. (in quem Primatûs Episcopi Rom. institutionem referunt Uviclef.) illam apertè Christo D. tribuit; ait siquidem cap. *Constantinus*, d. 96. *Ubi Princeps Sacerdotum, & Christianę Relig. Caput ab Imperatore Cœlesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem.* Alii autem Imperatores (quos præfati Primatûs Authores faciunt Lutherani, & Calv.) illum quidem agnoverunt, prædicarunt, honorarunt, sed neutiquàm instituerunt. Videsis Rabaudi Exer. III. c. 2. sect. 5. §. 1.

773 Quoàd reliquas verò pp. est cont. Sotum, & Bañez. Defenditur tamen à Turrecrem. Cajet. Cano, Bell. Sylv. J. à S. Th. & pluribus aliis. Prob. autem, quia hoc apertè docent varii Pont. ut Anacl. ep. 3. ubi dicit, *Romanâ Eccl. non ab Apostolis, sed ab ipso Salv. primatum obtinuisse*, Marcellus ep. ad Episcopos Antioch. Prov. ubi ait: *Sedem Petri, jubente D. Antiochia Romam translatam esse.* Gelas. in C. Rom. 70. Episc. *Romana Eccl.* (inquit) *nullis Synodicis constitutis cęteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini & Salv. nostri.* Quô test probat D. Th. opusc. cont. impug. Relig. c. 4. Papam habere immediatam jurisdictionem in omnes Christianos. Innoc. III. cap. *Per vener.* ubi ait: *Locus quem elegit D. Apostolica Sedes esse dignoscitur*, adducitque historiam illam, quam ex Egesippo & aliis PP. memorat Eccles. in Off. S. Petri, quòd egredienti isti ex Urbe Christus occurrit, & Romam avocavit dicens: *Venio Romam iterum crucifigi.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

774 Opp. 1. cont. 1. concl. can. 6. C. Nicæni: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episc. horum omnium habeat potestatem, quia & Urbis Romę Episcopo parilis mos est*: ergo Episcopo Rom. non totus Orbis, sed certa Regio, sicut & Alexan. gubernanda assignatur. *N. cons.* nulla enim ultimis verbis fit compara-

ra-

ratio inter Rom. & Alexan. Episcopum; sed sensus est, *ut idcircò præfata illa in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim potestas Alexandrino Episcopo competat; quia illud ei jus tribuere solet Romanus Episcopus*, ut Nicolaus I. ad Michaëlem Imp. scribens, declaravit. *Et* quidem, nihil laudatô can. detrahi Primatui jurisdictionis Romani Pont. constat ex dictis n. 764. ubi apponuntur verba, quibus incipit can. ille, proùt lectus fuit act. 16. Calced. Syn. & proùt habetur in prima, seu *Dionysiana* collect. ut annotant Alanus Cop. Bell. Sever. Bin. & Cabass. nempè: *Ecclesia Rom. semper habuit Primatum: Antiqua igitur consuetudo servetur, &c.* Et hæc sol. (quam tradunt Bell. Bar. Gonet, Cabass. Nicolai ad a. 6. q. 40. suppl. Ribaudi, aliique) omnibus adhiberi solitis præferenda est. *Quòd* si mavis, aliquam præfatis verbis fieri comparat. (ut quibusdam eruditis nunc placet) dicendum cum his, illam solùm fieri in dignitate Patriarchali, ut illâ potiatur in memoratis Provin. Episcopus Alex. sicut illam habet Episc. Rom. in totô Occidête. Dignitas autem Patriarcatûs per antiquior est C. Nicęno, tametsi nomen posterius.

777 Opp. 2. cont. ean. canonem 28. C. Calc. act. 15. ubi dicitur, Constantinopolim æqualibus cum Roma privilegiis frui debere. *Præt.* Pelag. II. & Greg. I. titulum *Episcopi universalis* rejiciunt *ut prophanum, sacrilegum*, Antichristi *prænuntium*, & reliquis Episcopis *injuriosum*: ergo. *Ad* 1. R. can. illum & duos sequent. non esse legitimos; sed additos Anatolii Epis. Constant. fraudê, C. jam diremptô & absentibus Episcopi Rom. Legatis; ideoque reprobati fuerunt à S. Leone ut observat Cabass. n. 24. Unde & in fine actionis 15. hæc nota appositа legitur: *Meminerit candidus lector, canonem hunc 28. de Constantinopolitani Episc. privilegiis & eminentia, rejectum esse à Leone Sanctissimo Pont. Rom. ut ex multis suprà excusis litteris perspicuè videre licet, &c. Ad* 2. R. nomen illud bifariàm sumi posse, nempè, vel pro habente supremam potest. in totam Eccl. Vel pro Episcopo proprio & proximo omniù Ecclesiarum, adeòque; ut alii solùm sint ejus Vicarii. Primô modô acceptum tribuitur soli Rom. Pont. à CC. & PP. Secundô verò modô, nulli, nè

Ro-

Romano quidem Pont. convenit: & in hoc sensu intelligendi sunt Cypr. aliique PP. cùm Pontificis Rom. Principatum negant. Meritò ergo laudati Pontif. nomen illud reprobant, & execrantur contra Joannem Constant. qui ausus fuerat illud sibi in secundo sensu arrogare, quod vel in primo sensu planè sacrilegum foret.

776 Opp. 3. Sextam Syn. Gen. non semel reprehendere Ecclesiam Rom. can. enim 13. illam arguit eò quòd Presbyteris, Diaconis, & Subdiac. uxorum usum non permittat, & can. 55. quòd in Sabbatis Quadrag. jejunet: & utriusque oppositum illi præscribit: ergo. *Præt.* Hier. ep. 85. ad Evag. ait: *Si authoritas quæritur, Orbis major est Urbe. Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Constantinopoli, sive Regii... ejusdem meriti est, & ejusdem Sacerdotii*: ergo juxta Hier. non plùs est Rom. Episcopus, quàm alii. *Ad* 1. R. objectos canones non sextæ Syn. esse (quæ nullos disciplinam concernentes edidit) sed Quini-sextæ, erraticæ & acephalæ, jussû Justiniani II. (refragante Rom. Pont. Sergiô) in Trullo celebratæ ann. 692. quam cum suis canonibus Sergius ipse, ejusque Successores reprobarunt. Vide Canum l. 5. c. ult. & Cabass. in Not. Eccl. sæculô VI. an. laudatô.

777 Nec obstat quòd Syn. VII. Adrian. II. Nicol. I. Innoc. III. & C. Florent. nonnullos Trullanos Canones citent. Appositè enim præmisit Nicol. I. *se ab Apostolo didicisse, etiam Ethnicorum testimoniis uti, quando opus est.* Nec omnes, sed plures illorum Can. errores continent: Licet igitur Ecclesiæ nonnullis illorum uti, ut Schismaticos ex ore suô judicet ac revincat, quin propterea reliquos approbare videatur. *Ad* 2. R. Hier. ibi reprehendere abusum quendam Diaconorum Rom. qui (ob divitias) se Presbyteris præferebant, contra generalem Ecclesiæ morem: De illa autem pravâ consuet. inquit: *Quid mihi affers unius Urbis consuetudinem, &c.* Dùm autem ait, Episcopos ubiquè esse *ejusdem meriti*, loquitur de charactêre ordinis, non de potestate jurisdict. quam in Rom. Pont. pleniorem, & Supremam ubiquè agnoscit S. D.

Opp. 4.

778 Opp. 4. C. Milevit. can. 22. prohibêre (& quidem sub pœna excom.) appellationes *transmarinas*, seu, ad Rom. Pont. *R.* id prohibêre solis Presbyteris & Clericis inferioribus, quorum causæ (ex consensu Romani Pont.) terminandæ erant in Provincia; sic enim expediebat ad amputandas Clericis circumcursandi occasiones: Non verò Episcopis, quibus licuisse Rom. Sedem appellare, patet ex ep. 162. S. Aug. qui isti C. interfuit. *Cypr.* autem (ut aliis occurramus) l. 1. ep. 3. & alibi, tantùm improbat appellationes ad Rom. Pont. ab his, qui de manifestis criminibus in sua Provincia convicti & judicati sunt. *Fortunatus* autem (de cujus appellat. ad Cornel. Papam, conqueritur ep. 55.) simplex erat Sacerdos cùm ab ipso excommunicatus est; quanvis posteà à paucis schismaticis Pseudo-Episcopus constitutus fuerit, ut ex ep. ipsius Cypr. ostendit Nat. Alex. Ep. autem 68. apertè dicit de Basilide (ab Episcopis Bethicis exauthoratô) *quòd Romam pergens, Stephanum longè positum, & gestæ rei ac tacitæ verit. ignarum, fefellit.* ideoque respondit, standum esse judicio Episcoporum, qui Basilidem, cum Martiali deposuerunt; non autem quòd existimaret, non licêre Romano Pont. horum appellationem admittere, & causam agnoscere.

779 Opp. tandem PP. Africanos (quos inter eminebat Aug.) in C. Cartag. VI. an. 418. congregatos, noluisse admittere appellationes transmarinas ad Sedem Apost. quas Zosimi Papæ Legati, juxta ejus mandatum, ipsi vindicabant, allegantes ea de causa Nicænos Canones: ergo tunc adhuc in Africa non invaluerat appellationum usus. *R.* appellationes Episcoporum ex Africa Romam, fuisse in usu & ante, & post laudatum C. ex ipso Aug. liquet, tum ep. 43. (priùs 162.) jam cit. quam ante hoc C. scripsit, in qua testatur, potuisse Cæcilianum Episc. (ab Episcopis Donatistis damnatum) causam suam reservare judicio Rom. Ecclesiæ, *in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Tùm ep. 209. (anteà 261.) quam post dictum C. scripsit ad Cœlest. in qua idem supponit de Antonio Episc. Fussalen. Et quidem contentio illa Africanorũ cũ Zos. versabatur circa ap-

pellat. ſimplicium Sacerd. utpotè orta ex appellat. Apiarii, qui talis erat.

780 Porrò Zoſimus, quia non tàm jus appellat. (quod ſibi ex jure divinô, ſicut & Primatus competit) quàm quòd expedirent, Africanis ſuadêre cupiebat; ideò Sardicenſes Can. id affirmantes, ſub nomine *Nicænorum* allegavit; quod quidem jurè præſtitit juxta conſuet. Romanæ Eccl. quia duo illa CC. pro eodem reputabantur, & in Cod. Canonum Eccleſiæ, *Sardicenſes* cum *Nicænis* ſub eodem tit. recenſebantur, eò quòd eſſent explicatio quędam, & veluti confirm. Canonum Nicæn. Id quidem Africani ignorabant, neque de facili poterant ab errore facti revocari, quia non aliam Syn. Sard. agnoſcebant, præter Arrianam, ſeu *Philipopolitanam*, quam Donatiſtæ (in communionem ab illa recepti) vulgarant in Africa, ſuppreſsis veræ & OEcum. Sard. Syn. Actis.

DUBIUM VII.

Utrum judicium Romani Pont. ex Cathedra loquentis, in dirimendis Fidei ac morum Controverſiis, ſit omninò infallibile, etiam extra Concilium Generale?

781 ROmanum Pont. eſſe ſummum, ac ſupr. Judicem in Fidei, Relig. morum, aliiſque graviſsimis Controv. ex dictis apertè coſtat, oſtendimus enim, ipſum in Petri locum, fidem, authoritatemque ſuccedere. Reſtat, ut de infallibit. judicii ejus diſſeramus. Ante cujus reſol. Supp. Rom. Pont. errare poſſe, tùm ut privatum Doct. tum in quæſt. facti particularis, non revelati, nec dogmatici. Supp. pręt. Rom. Pont. errare non poſſe in dirimendis Fidei, morumque controv. cum C. Gen. ſibi conſentiente, vel hujus ſententiam approbando. Quibus ſuppoſitis,

782 Concl. eſt affirm. & com. cont. Gerſ. Almain. & non-

nonnullos alios Parisien. (temporibus sanè periculosis scribentes, ut appositè notat Aguirre.) Estque adeò certa, ut plures de fide esse propugnent. Et meritò; constat enim ex Scrip. CC. & PP. ut (post Caj. Can. Grav. Bellar. & innumeros) fusè ostendunt laud. Card. de Aguirre, & Excellentiss. D. Fr. Joan. de Rocaberti Archiep. & Prorex Valent. Hispanicę Inq. Hierarcha, Domûs, & Relig. nostræ decus eximium. Prob. autem 1. ex Scrip. locis suprà laud. quibus, ex communi PP. sensu, Petro & Successoribus ejus promittitur & confertur infallibilit. privilegium, ad rectam Ecclesiæ gubernat. & perpetuam durationem necessarium, adeoque independens à C. Gen. decisio enim controv. Fidei, ac Relig. differre diu nequit absque gravissimis Ecclesię incommodis, cùm tamen Congregatio C. difficillima, imò & sæpè moraliter impossibilis sit.

783 *Prę.* Judicium Petri in præfatis quæst. dirimendis, fuit omninò infallibile, sive cum, sive absque C. Gen. ergo idem de Succeff. ejus tenendum est, ad quos nempè pertinent privilegia, quæ Petro, ut Pont. Doctori, & Pastori, ob Ecclesiæ utilitatem, concessa sunt. *Præt.* Qui negaret in ligando atque solvendo eandem potest. in Rom. nunc Pont. esse, quam Petro Christus contulisse creditur, is jurè meritò haberetur hæreticus: qui ergo firmitatem Petri ad fratres in fide confirmandos, Petri Successoribus denegaverit, hic hæreticus judicandus erit. *Accedit* perennis Ecclesiæ praxis, nam à Romani Pont. ore fideles fidei semper oracula petiisse, illius demùm, & vim, & authorit. Sacra omnia efflagitasse CC. adeò certum & manifestum est, ut sim ego ineptus (inquit Canus) si velim ostendere. *Pontifices* sæpissimè extra C. Gen. hæreses damnarunt, ut Marcionis, Montani, Pelagii, Priscilliani, Vigilantii, Joviniani, aliorumque plurium, imò etiam sine C. Particulari, ut constat de erroribus Bajanis, Jansenianis, & Quesnelianis, totâ Ecclesiâ probante, & damnationem acceptante.

784 *Nec* dici potest, Pontificiam diffin. evadere infallib. ex Ecclesiæ acceptatione. Petrus enim non ab Ecclesia infallibilit. habet, sed econversò: Nec enim Petra super

Ecclesiam, sed Ecclesia super Petram stabilita est: ideoque non dixit Christus Ecclesiæ: Pasce Petrum, sed Petro, *pasce oves meas*, seu Ecclesiam. Mitto testimonia CC. & PP. sole ipsô clariora, quæ videri possunt apud Aguirre, & Rocab. Qui pariter ostendunt, hanc fuisse Ecclesię Gallic. & Academię Parisien. perpetuam tradit. quam etiam testantur & firmant 85. Illustriss. Episcopi Galliæ geminatis Litteris (zelô, pietate, ac summâ in S. Sedem observantiâ plenis) ad Innoc. X. an. 1653. *Accedit*, in C. Complut. (à Sixto IV. confirmatô) damnatum fuisse Petrum Oxomen. nomine etiam *hæresis*, in eo quòd asseruit, Ecclesiam Urbis Romæ errare posse. *Demùm* Mart. V. Sacrô approbante C. Constan. illos esse hęreticos judicavit, qui Romanæ Ecclesiæ fidei, & doctrinę refragarentur. Non igitur Ecclesię judicium antevertimus, dùm assertionem adversam tanquàm hæreticam condemnamus, ut Canus, & Aguirre notarunt.

785 Hinc jam satis liquet, Rom. Pont. quò talem, esse suprà totam Eccl. & C. OEcum. sine ipso sumptum: Est quippè Ecclesiæ Pastor, Rector, & Caput, ac Christi Vicarius, à quo authorit. habet confirmandi CC. juxta illud ejusdem D. ad Pet. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; sed Pastor est supra gregem, Rector supra subditos, Caput supra reliqua membra, & Christi Vicarius supra eos, supra quos est Christus, & quos, quorumque statuta, authoritate à Christo sibi datâ confirmat: ergo. *Ex* doctrina autem C. Constan. sess. 4. & 5. ut jacet, minimè infertur, C. esse supra Papam certum & exploratum. Nec C. illud erat tunc OEcum. quanvis sufficiens ad providendum Ecclesiæ de Capite. Nec doctrina illa à Mart. V. aliove Pont. fuit unquàm approbata; imò expressè diffinivit laud. Pont. *nullì fas esse, judicium Rom. Pont. in causis fidei declinare, aut ab eo appellare*; quibus nostram doctrinam stabilivit, & theses 29. & 30. inter proscriptas ab Alex. VIII. prędamnavit.

786 Hinc etiam habetur, Gers. Almain. alioque & doctos, & pios, pestem Ecclesiæ ac peniciem incautè attulisse, rejecta hęreticorum dogmata amplectentes. *Nec equi-*

dem

dem intelligo (ut verbis Cani utar) *quonam consilio id egerint: Nam hæretici video quid sequantur: Nempè, vivendi docendique licentiã, & in his omnibus impunitatẽ. Volunt sine Capite Corpus, ut neque pes, neque mens suum officiũ faciant: Volunt sine Pastore uno oves, ut cum lupi ipsi sint, Pastores tamen esse videantur: Volunt sine judice lites, ut dissidiorum nullus finis sit. Atque ita cùm amoto arbitro, adversus doctos dimicent, victores à turba judicentur: Turbari demùm omnia volunt, quoniam, ut in Hispanorũ proverbio est,* turbatum flumen piscatorum est lucrum. *Nos autem id sentimus, ac sequimur, quod Sacrarum Litterarum testimonia confirmant, Pontificum decreta finiunt, veterum SS. Chorus concinit, Conciliorum PP. affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiæ usus observat.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

787 Opp. 1. plures Rom. Pont. in suis diffin. errasse. In primis enim erravit ipse Petrus cogendo Gentes judaizare. Ad Galat. 1. *Deinde* Zepherinus (teste Tertull. l. cont. Prax.) approbavit hæresim Montani. *Tertiò* Liberius, teste Athan. & Hier. subscripsit hæresi Arrianę. 4. Felix, qui Liberio successit, Arrianus fuit, teste eodem. 5. Vigilius in ep. ad Theodoram Aug. Monotelismo apertè favit; imò anatematizavit admittentes in Christo duas naturas, teste Liberatò in Brev. c. 22. 6. Honorius in eandem hęresim incidit, nam in binis ad Sergium Constant. epistolis diffinit, unicam esse in Christo volunt. & aliter prædicari vetuit, quapropter tanquàm hęreticus anatematizatus fuit in VI. VII. & VIII. Syn. Gen. 7. Gelasius l. cont. Eutich. docuit, panem manêre in Euchar. cum Christi Corpore. Et cap. *Comperimus* de Consec. d. 2. asserit, non posse sine sacrilegio sumi unã speciẽ Euchar. sine altera. 8. Steph. VI. & Serg. III. irritarunt acta Formosi, quæ tamen posteà (cassatis circa hoc Stephani, & Sergii decretis) approbavit Joan. IX.

788 N. ant. ad 1. prob. R. illum Petri lapsum, exempli, conversationis, & facti fuisse, non doctrinæ: quemadmodùm Aaron proponendo vitulum adorandum erravit factô, & exemplô, non diffinitione falsi dogmatis. *Ad 2.* N. ant. Nec Tertulliano (jam tunc Montanistę) credendum:

dum: Scripsit quidem Zeph. litteras pacis ad Montanum, ab hujus Sectatoribus falsò persuasus, eorum doctrinam minimè Romanę adversari; sed fraude postea detectâ, illas revocavit: Non igitur fidei, sed facti fuit error. Sic ab Apollinario Damasum, à Celestio Zosimum circunventos in quæstionibus facti, nemo inficiatur. *Ad* 3. R. gravissimè quidem deliquisse Liberium subscribendo Athanasii damnationi, & Arrianis communicando; neutrum tamen ex Arrianismi affectû, sed utrumque metû, exilii tediô, ac nimiô pristinæ Sedis recuperandæ studiô inflexum, præstitisse. Nec subscripsisse posteriori Sirmiensi formulę (quam *exemplum blasphemię* vocat Hil. l. de Synodis) sed priori dumtaxàt, à Semiarrianis conscriptæ, quam *ut Catholicam* ibidem explicat, & probat Hil.

789 Dicendum nihilominùs est, graviter contra fidei confessionem peccasse Liberium subscribendo huic formulæ (tametsi, quoàd verba & obvium horum sensum, Catholicæ) fuit enim animô hæreticô fabricata, & callidè in ea suppressum *Consubstantialis* vocabulum, quod tunc erat veluti fidei Têssera, quâ Catholici ab Arrianis secernebantur. PP. autem ideò asserunt, *Liberium Arrianæ pravitati subscripsisse*, quia damnare Athanasium, & aliam fidei formulam à Symbolo Nicæno, probare, idem tunc temporis reputabatur, ac fidei causam prodere, & Arrianæ perfidiæ consentire. Ideoque & Clerus Rom. Liberium deposuit, suffectô in ejus locum Felice II. *Hic autem* (ut interim 4. occurramus) quanvis anteà Arrianis adhęsisset; ex quo tamen factus est legitimus Papa, adeò illis constantèr restitit, quòd, ob Constantii damnationem, & Nicænę fidei confes. Martyr occubuit, & ut talem Ecclesia Rom. veneratur & colit. 4. Kal. Aug. ubi videndus Bar. & Tomo 3. An. annô 357. n. 46. & seq.

790 Datô autem, hæreticæ Arrianorum formulæ subscripsisse Liberium, non continuò fidem amisisse, dicendum est; quâ nec Petrus Christû negando, nec Marcellinus Idôlis sacrificâdo (si tamen sacrificavit) amisit. *Porrò* subscriptio (dolò ac exilii tediô extorta) lapsus privatus, non diffinitio

Pon-

Pontificia censenda est. *Ad 5.* R. epist. illam (si confícta non est) scriptam fuisse à Vigilio intrusô in locum Sylverii, adhuc viventis. Ubi autem legitimus Papa esse cæpit, fidem usque ad mortem in exilio acerrimè propugnavit. Nec in Controv. illa V. Synodi de tribus Capitulis (in qua, *non de fide, sed de quibusdam solummodò personis est actitatum*, ut loquitur Greg. M.) levitatis arguendus, sed eximiæ prudentię laudandus est.

791 *Ad 6.* N. ant. cujus falsitatem multifariàm invictissimè ostendit laud. Rocaberti. Et quidem cùm Joannes IV. & S. Max. Abbas, Honorii coëvi, hujus epistolas ad Serg. illibatas, ac planè catholicas agnoscant, & prędicent; idemque (post Anast. Bibliot. aliosque veteres) innumeri propugnent Viri præclarissimi, ut Cardinales Turre-crem. Stan. Osius, Bar. Bellar. Branc. de Laurea, & Aguirre; Alb. Pigh. Onuph. Panv. Alf. Ciacon. Dom. Grav. Fran. Combeff. Nat. Alex. Sev. Bin. Dion. Petav. & Christ. Lup. ut alios omittamus; nefas ducimus, tanti Pont. fidem in dubiũ vocare. *Ad prob.* Respondent Turrecrem. Bar. Bell. aliique, damnationem illam ex errore circa factum processisse, seu ex non intellectis Honorii epist. ad Serg. & ex falsa inform. *Sed* hęc sol. nunc deferenda est, ob Constitutiones circa vulgatum Jansenii factum; semel enim admissô, CC. Gen. errare posse in factis dogmaticis, ingens patêret aditus ad præfatas Constit. eludendas.

792 *Secundò* respondent D. de Marca, Conbeff. Lupus, Nat. Alex. aliique Critici, quibus subscribit Rabaudi, Honorium justè quidem damnari; non ut Monothelitam, sed ut Monothelitarum fautorem. *Sed* hæc sol. non subsistit, nam in Actis VI. Syn. quæ inviolata prædicat, anathematizatur Honorius ut hęreticus: Sic enim legitur act. 16. *Honorio hæretico anathema.* Profectò quid crudelius, iniquius, & execrabilius excogitari potest, quàm Catholicum catholicè sentientem, anathematis fulmen, uti in protervum hæret. vibrare? & Catholicam doctrinam tanquàm impiam proscribere? *Accedit*, communem esse omnium Theol. & Canonist. sent. nullum C. posse de Summo Pont. judicium, aut sent.

fer-

ferre, unô exceptô hæresis crimine manifestô: prorsùs igitur repugnat, Pontificem justè, & non ut hæreticum, à C. damnari. Hâc igitur sol. rejecta, ut apertè falsâ, & complicatoriâ,

793 R. exemplaria trium illarum Synod. à Græcis (pro more) fuisse quoàd hęc vitiata, & in illa subdolè intrusum Honorii nomen, ut multis ostendunt Alb. Pigh. Osius, Bar. Bellar. Sirletus, de Laurça, Sev. Bin. Spond. Panv. Rives, And. Scotus, Turrianus, J. Ecell. Jod. Coccius, Grav. Gibalinus, Bisciola, Fiume, Raynal. J. Horat. Barb. Papebr. videndi apud Rocaberti, aliique plurimi integerrimę fidei, & profundissimæ erudit. viri. Ducuntur autem laud. DD. Tum ex veterum Græc. silentio, omni præconiô, sanè vocalissimô. Nam Theoph. Photius, & Zonaras, Latinis infestissimi (nec minoris eruditionis, quàm nequitiæ viri) damnationem Monothelitarum exactissimè referentes, nihil prorsùs de Honorii lapsu, aut damnatione meminêre. *Latini* etiam Historici, eandem Monothelit. proscript. memorantes, nullum pariter verbum de Honorio proferunt, ut videre est apud Reginum, Hug. Floriac. Oth. Frisin. Marian. Scot. Godefr. Viterb. Panv. & Ciaconium.

794 Tùm vel maximè, quia in duobus frequentissimis CC. Rom. sub SS. Martino, & Agath. in quibus Monotheliśmus cum suis Authoribus, fautoribus, & defensoribus proscriptus est, nè levis quidem mentio fit de Honorio, paulò anteà defunctô. Imò S. Agato in Litteris, quas misit ad Imperatores Heraclium, & Tiberium, post nominatos Monothelitas, eorumque damnationem, ore liberô, firmâ iteratâque attestatione fatetur, nunquàm Romanos Pont. à recto fidei tramite deviasse: *Prat.* Ab anno 640. ad 680. (quô VI. Syn. celebrata est) decem numerantur CC. in variis Christiani Orbis partibus congregata, in quibus omnibus altum silentium de lapsu Honorii, cùm tamen omnia Monotelisмum cum suis fautoribus anathematizaverint. *Accedit* quòd Ecclesia per undecim ferè sæcula usque hodie illum ut Catholicum & pium suscêpit, Catholicisque Pontif. semper annumeravit: aliter sanè factura, si conficta non foret

ret Synodalis illa damnatio, Apoſtolicâ authorit. firmata. *Ex* quibus rectè perpenſis luce meridianâ clarius apparet depravatio à Græcis facta dictarum trium Gen. Synod. quidquid Critici conétur, quos certè latêre non poteſt, ſolemne fuiſſe Græcæ perverſitati Patrum Scripta, & Synodorum Acta corrumpere, ut de III. IV. & V. præcedentibus Syn. demonſtrat, prolatis exemplis, noſter Turrecrem. ſeſſ. 20. C. Florent. & alii plures. Quid ergo mirum, quòd idem ex eadem cauſa (in odium ſcilicèt Latinorum) fecerint in VI. VII. & VIII. Synodis, cùm aliàs id reapſe feciſſe, tot præclariſsimi Viri conſtanter aſſerant, tot planè cogentibus adducti momentis?

795 Sed ut nullus Criticis ſuperſit ſcrupulus de aſſerta Græcanica Synodorum depravatione, ſciant, illud Adriani II. *Licèt Honorio ab Orientalibus anathema ſit dictum, &c.* (quod legitur in vulgaribus VIII. Syn. Actis) omninò deſiderari in græco authographo aſſervatô in Apoſtolico Archivio, & Vaticana Biblioth. ut teſtatur Marcheſius in Clypeo fortium, diſſert. 5. c. 1. *Qui* autem prædictũ Adr. textũ explicarũt, vulgaria duntaxàt Acta (in quibus vitiauseſt.) legerunt. *Sciant* inſuper, quòd licèt Honorii lapſus, atque damnatio, in Synodalibus Actis, & in Leonis II. Ep. confirmatoriâ, hucuſque permaneant; nihil inde propterea firmitatis accipiunt: Quamplurima enim in Tomis CC. exarata uſquemodò leguntur, à Sede Apoſt. in irritum miſſa, & generali prorsùs diffinitione caſſata, ut patet (omiſsis ſexcentis aliis) in Canone illô ſecundæ, & IV. Synod. Gen. de primatu Eccleſiæ Conſtant. poſt Romanam, totiès à Sede Apoſt. reprobatô, & in earum editionibus nihilominùs perſeverante. *Hæc* autem ſolam Eccleſiæ indicant tollerantiam, ſimilem divinæ, permittentis peccata, ab ipſo prohibita. Sed de his ſatis.

796 *Ad* 7. R. lib. illum non eſſe S. Gelaſii, imò nec alterius Latini Auth. ſed Græci: adducens enim 15. PP. Græcos, duos tantùm Latinos profert, Ambr. & Damaſum, omittens Cypr. Hil. Hier. Aug. Innoc. Leonem, Proſp. & ſimiles, quos neutiquàm omitteret latinus homo.

Alle-

Allegat insuper Author inter Ecclesiæ PP. Eusebium Cæsar. quem Arrianum fuisse, notum erat S. Gelasio. Jurè autem tribuitur liber ille Gelasio Cyziceno, ut ostendit Bar. ad an. 496. & Bellar. in utroque Gelasio. *In* Capite verò *Comperimus* loquitur de Sacerdote Sacrificante. *Ad ult.* R. cum Spond. ad ann. 897. sententiam Stephani & Sergii in Formosum non fuisse *errorem in fide, sed violentam tyrannidem in facto.* Videsis circa tragœdiam illam Cabass. in Synop. Sęculi X. *Ad* alia quæ objici possent de variis Pontificum erroribus (& quæ videri possunt apud Bellar. Grav. aliosque) unô verbô dicendum, vel eos solùm errasse in quæst. facti particularis; vel ut privatos Doctores.

797 Inquires I. An Sum. Pontifex errare possit in approbatione Religionum? R. negativè. Et ratio est: Quia Pont. approbando Relig. aliquam, proponit illam omnibus fidelibus tanquàm viam, & medium acquirendæ perfectioni Evangelicæ congruum, & idoneum: adeòque si in eo falli & errare posset, errare & falli posset in communi & generali morum doctrinâ, quod est hæreticum: æquè enim infallibilis est Pont. in tradenda rectitudine morum, ac certitudine fidei. *Nota* tamen cum Bañez, Sylvio, aliisque, in approbatione Relig. cujuslibet, duo intervenire judicia; aliud, quô judicatur, esse absolutè bonam, seu divinæ legi consentaneam, ac perfectioni acquirendæ utilem: aliud, quô judicatur, illam esse hìc & nunc Ecclesiç utilem, adeoque admittendam. Resolutio autem est de priori judicio, quod fide certum censemus; quidquid sit de secundo, quod factum potiùs, quàm jus concernit: Nullum tamen defacto prudentiæ defectum in eo irrepsisse, dicendum est, si temerarii esse nolìmus. *Remotio* autem, aut etiam extinctio semel approbatæ Religionis, solùm evincit, per Religionis confirm. non continuò confirmari in gratia & fide eam profitentes; adeoque Romani Pont. esse, illam, vel reformare, vel penitùs dissolvere, ob malitiam inhabitantium in ea. *Nota* præt. cum eodem Ban. quòd Pontifex concedens Religionum Prçlatis & Capitulis facultatem eas moderandi, nec transfert, nec transferre potest in eos privilegium

non

non errandi in condendis legibus, aut ſtatutis.

798 Inquires 2. An ſit per ſe & immediatè de fide, Pontificem non poſſe errare in Canonizatione Sanctorum? *R.* non eſſe immediatè de fide; eſſe tamen adeò certũ, ut qui oppoſitum diceret, foret temerarius, ſcandaloſus, impius, errori proximus, aut hæreſim ſapiens. *Prima* p. eſt com. Traditur à D. Th. quodl. 9. a. 16. ubi docet, quòd *Canonizatio eſt medium inter judicium Papæ de rebus fidei, & de particularibus factis, &c.* Communi Doctori ſubſcribunt D. Anton. Turrecrem. Covarruv. J. de Neapoli, Sylv. Canus, Ban. Peña, Corduba, Caſtro, Torres, Gravina, J. à S. Th. Nuñus, Mald. Naucl. Bellar. Suarez, Azor, Granados, Salmant. Ferre, Reding, & reliqui Theologi (ſi Valentiam & paucos excipias, contendentes, eſſe immediatè de fide.) Ut hinc videas, quâ fronte auſi ſint larvati quidam comm. D. Th. ſent. notare. *Prob.* autem hæc p. quia non eſt in particulari diffinitum certò & expreſsè, quòd talis Canonizatio ſit diffinitio fidei, ſed ſolùm infertur ex his, quæ ſunt fidei: adeoque non eſt de fide directè & immediatè, ſed indirectè ſolùm, & mediatè. Nec ampliùs probant argumenta Valentiæ.

799 Prob. deinde 2. p. quoàd ſingulas cenſuras; & quidem, quòd oppoſitum dicere ſit *temerarium*, patet; eſt enim contra comm. ſenſum Eccleſiæ, venerantis ut Sanctum, quem Pontifex canonizavit; *inſolentiſsimæ* autem *inſaniæ eſt diſputare, an ſit faciendum, quod tota Eccleſia facit*, ut Aug. ait ep. 118. Et hinc convincitur eſſe *ſcandaloſum*. Eſſe autem *impium*, conſtat, quia & Eccleſiæ, & Sanctis ipſis eſt maximè injurioſum, illius judicium de horum ſanctitate contemnere, aut non ſuſcipere. Eſſe demùm *hæreſi proximum* prob. *tum*, quia talis Apotheſis maximè accedit ad univerſalem Eccleſiæ legem, & fidei proteſtationem: Sancti enim toti per illam proponuntur Eccleſiæ; *& honor, quem Sanctis exhibemus, quædam profeſsio fidei eſt, qua Sanctorum gloriam credimus*, ut ait D. Th. ergo. *Tùm*, quia viam aperiret Uviclefiſt. & Lutheran. hæreſi, Sanctorum Apotheſes irridentium. *Hinc* S. Bonav. opuſc. cont. Guiliel. ait:

Ad

Ad infidelitatem spectat, de S. Canonizati gloria dubitare. Et D.Th. ex verbis modò laudatis infert, *piè credendum est, quòd nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit.* Loquitur autem de *pietate*, adeò fidei aut religioni affine, quòd hæresi prox. sit oppositum, ut ex contextu, & solut. ad 1. apertè liquet, & optimè expendit Grauina.

800 Nec obstat, quòd Canonizatio innitatur testimoniò hominum absolutè fallibili: Quia *Divina providentia præservat Ecclesiam, nè in talibus per fallibile testimonium fallatur*, ut loquitur D. Th. ubi suprà, ad 2. Et ad 1. ait: *Pontifex, cujus est Canonizare SS. potest certificari de statu alicujus per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipuè per instinctum Spiritus S. qui scrutatur etiam profunda Dei.* Unde dist. ant. testimoniô hominum, ut præbente fundamentum prudenter procedendi, C. ut tribuente Pontifici infallibilitatem, N. hanc enim habet ab assistentiâ Spiritûs S. *Illud* autem, quod vulgò Aug. tribuitur, *multa corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna*, quanvis illius sit (quòd multi negant) non intelligitur de legitimè canonizatis, sed de quibusdam sæculi Magnatibus superbè tumulatis, aut de Hæresiarchis, aut falsis Martyribus, à Sequacibus superstitiosè cultis. *De* SS. autem beatificatione (quæ multiformis est, ut videre licet apud Grav. & J.à S.Th.) minor est certitudo. *Tum*, quia in illa Pont. non decernit, aut diffinit Beati Sanctitatem, aut gloriam; sed solùm, vel tollerat & permittit, vel indulget aut concedit illius nomenclaturam, aut cultum. *Tum*, quia nova fit de Beatis inquisitio, cùm ad sacram Apothæsim deveniendum est: *Qui autem certus est, certificari ampliùs non indiget*, ut Regula juris habet. *Quia* tamen Pont. nunquàm *Beati* nomen, aut *cultum* alicui permittit, indulget, aut concedit, nisi præmissô diligentissimô illius Sanctitatis examine; temerarius foret, & scandalosus, qui Beatificati Sanctitatem negaret, aut in dubium vocaret.

(***)

DU-

DUBIUM VIII.

Utrum sit immediatè de fide Pontificem Rom. in particulari legitimè electum, Benedictum XIII. v.g. esse verum Pont. & Christi Vicarium?

801 Concl. est affirm. & nunc temporis comm. illam enim modò propugnāt universi Thom. & Jesuitæ (si Mald.& Arauj.excipias) adversus Turrecrem. Caj. Can. Veg. Cord. Bañ. Castro, & Albert. propugnantes, solùm esse conclusionem theologicam, seu de fide mediatè & virtualiter. *Ante* prob. supp. valdè inter se differre hæc duo, scilicèt: *Hæc propositio est de fide... De fide est, hanc propositionem esse de fide.* Ad hoc requiritur, quòd propositionis diffinitio liquidò constet: Quando autem dubitatur, an propositio sit diffinita? non est de fide, esse de fide, & sic contingit in præsenti: unde concl. nostra non est de fide, sed valdè probabilis. Hôc suppositô,

802 Missas facimus (tanquàm prorsùs inefficaces) plures probationes, quibus suaderi solet concl. à suis Patronis, utriusque Scholę: Solùm enim convincunt (ut apertè ostendunt Salmant. & Rabaudi) de fide esse, Papam nunc Regnantem, & quemlibet ritè electum, esse legitimum ac Supremum Ecclesię Hierarcham; & oppositum esse erroneum, illudque tuentes, suspectos in fide, quod nullus Theolog. ambigit. Id sanè, & non aliud deducitur ex interrogatione illâ à Mart. V. in C. Constan. præscriptâ. *Nec* amplius colligitur ex memorabili quorundam Hispan. Theolog. incarceratione jussû Clem. VIII. Quippè incredibile prorsùs est, tàm graviter exasperatum fuisse Pont. in illos malè feriatos propter concl. à tot gravissimis DD. & Pontificiæ Majest. invictis Assertoribus olim propugnatam, & quam (post ipsum Clem.) impunè tenuerunt Mald. & Arauj. Illi ergo multati Theologi forsàn docebant absolu-

tè

tè & sine restrictione, *non esse de fide Clem. VIII. esse verum Pont.* Vel hujus indignationem in se converterunt ob alia, non leviter indicata à Jac. Thuano to. 3. hist. sui temp. an. 1604. pag. 1040. Talibus igitur rationibus missis;

803 Prob. concl. hâc un. rat. Quælibet propositio singularis vel particularis, omninò certò contenta, tanquàm pars in toto, sub universali formaliter & immediatè revelatâ, est pariter immediatè & formaliter revelata; sed hæc prop. *Bened. XIII. est verus Pont.* est hujusmodi: ergo. Maj. patet, universalis enim prop. æquivalet omnibus particularibus easque formaliter (tametsi implicitè) continet tanquàm partes sui actuales: ergo formaliter revelatâ universali, revelatæ formaliter censentur (etsi implicitè) omnes particulares sub illa omninò certò contentę: Sicut quia homo formaliter implicitè continet animal & rationale, animam & corpus, tanquàm partes essentiales; eo ipsò quòd revelatum formaliter sit, Christum esse hominem, etiam revelatum formaliter est, esse animal, & rationale, &c.

804 Min. verò prob. Nam Eccl. errare neutiquàm potest in acceptandâ animatâ Regulâ, seu Supremò Judice controv. fidei, ac morum: ergo semel acceptatâ ut legitimâ hujus Pontificis electione, redditur omninò & metaphisicè certum, illum fuisse legitimè electum, adeòque contentum in subjecto illius universalis formaliter revelatæ, nempè, *omnis rectè electus in Rom. Pont. est verus Sum. Pont.* ergo hæc prop. *Bened. XIII. es verus Pont.* omninò certò continetur sub universali formaliter revelatâ. *Nec* inde inferas, esse immediatè de fide (suppositâ Ecclesiæ acceptatione) electionem esse ratam: Nam Ecclesia acceptans sine Capite, non reddit immediatè de fide, nisi accedat diffinitio Pontificis: talis enim acceptatio non est revelatio, aut diffinitio. Reddit nihilominùs omninò certum, electionem esse ritè factam, quia Christus specialiter assistit Ecclesię, nè in tali acceptatione fallatur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

805 Opp. 1. Non est formaliter & immediatè revelatum in Scrip. S. aut aliqua Traditione, Bened. XIII. esse

Pa-

Papam: ergo. *Prat.* Prop. ista, *hæc hostia continet Corpus Christi*, non est immediatè de fide, quantunvis supponatur hostia ritè consecrata; sed in hac hypothesi, talis prop. continetur sub ista universali immediatè revelatâ: *Omnis hostia ritè consecrata continet Corpus Christi*: *ergo*. *Ad* 1. N.ant. Est enim talis veritas formaliter revelata in universali illa, *omnis ritè electus in Rom. Pont. est verus Papa*, in qua omninò certò continetur, ob Ecclesiæ universalis acceptationem. *Ad* 2. Dist. min. continetur omninò certò, N. certò moraliter duntaxàt, C. Cùm autem fidei nequeat subesse falsum; ut aliqua prop. singularis ad fidem pertineat ex vi continentiæ sub aliqua universali formaliter revelatâ, opus est, talem continentiam esse omninò ac metaphisicè certam.

806 Opp. 2. & replic. Continentia hujus prop. *Bened. XIII. est verus Papa* sub illa universali formaliter revelatâ, non redditur omninò & metaphysicè certa per universalis Ecclesiæ acceptationem: ergo. Prob. ant. Ecclesiam universalem acceptare, ut ritè factam, alicujus S. Canonizationem, non reddit omninò certam continentiam hujus prop. *Hic S. est in gloria* sub illa universali formalitèr revelatâ *omnis ritè Canonizatus, est in gloria*: aliàs esset immediatè de fide hæc prop. *D. Vincentius Ferrerius v.g. est in gloria*, contra supràdicta: ergo.

807 N. ant. Ad prob. N. ant. & supp. Ad prob. ant. N. sequel. quòd enim hæc prop. *D. Vincentius v.g. est in gloria* (quantunvis certissima) non sit immediatè de fide, non provenit ex defectu continentiæ illius sub illa univers. sed quia hæc non est formaliter revelata, ut falsò supp. Universalis igitur Ecclesiæ acceptatio æquè metaphysicè reddit certam utramque præfatam continentiam: hæc autem tunc solùm evincit, propositionem contentam esse immediatè de fide, dùm talis est universalis illam continens, ut contingit in nostro casu, secùs in objectô, juxta comm. sent. *Quòd* si teneamus, universalem illam, *omnis ritè canonizatus, est in gloria*, esse formaliter revelatam, &c. idem de particulari dicendum est.

Opp. 3.

808 Op.3. Quanvis suppositâ Ecclesiæ accept. sit moraliter aut etiam ominò certum, Bened. XIII. fuisse ritè electum, id tamen non est immediatè de fide: ergo nec esse verùm Papam. Prob. conſ. non enim ſtat, aliquid revelari, aut esse de fide, quin omnia illius prædicata essentialia pariter revelétur, aut de fide reddantur; sed legitima Pontificis electio est prædicatum essentiale veri Pontificatûs: ergo. N. conſ. Ad prob. dist. maj. quin revelentur omnia illius prædicata essentialia intrinseca, C. extrinseca, seu essentialiter connexa per modum causę, aut effectûs illius, N. Hæc enim revelantur mediatè, evaduntque theologicè certa. Et hujusmodi est legitima electio Pont. respectu Pontificatûs. Et idem dicendum de reliquis omnibus ad Pontificatum requisitis.

809 Opp.4. Non est immediatè dè fide Pōtifices præteritos fuisse legitimos, utpotè de eorum electione, non nisi ex humana hist. constat. ergo pariter. *Prat.* Nec est immediatè de fide, octodecim CC. Gen. ab Eccl. acceptata, fuisse legitima, cùm omninò certò non constet, Episcopos illa integrantes, fuisse baptizatos, ritè consecratos, & Orthodoxos: ergo pariter. *Ad* 1. dist. ant. Si Ecclesia nobis proponat aliquid fidei dogma ab ipsis diffinitum, N. Tunc enim æquè fidê certus redditur eorum Pontificatus, ac Regnantis: si secùs, C. & N. conſ. Quia de Regnantis electione certissimè nobis constat per generalem Ecclesiæ obedient. & accept. omninò infallibilem; secùs de aliis, si nihil diffinierunt. *Ad* 2. N. ant. De fide enim immediatè est, omne C. diffiniens de fide, à Papa approbatum, & cui universalis Eccl. præbet assensum, esse legitimum: Adeòque certum theologicè est, Episcopos illa celebrantes, fuisse majori ex parte Orthodoxos, &c.

810 Plura alia objici solent, penitùs ostendentia inefficaciam rationum quas omisimus, quæ proinde nostra non est solvere, sed probare. *Quod* objiciunt hæret. de Joanna Papissa, fabula est manifesta, quam multis luculentèr explodunt, inter alios, Florimundus Roem. & J. Stalenus. Illi autem occasionem præbuisse creditur, profusior Joannis

VIII.

VIII. facilitas in obsequendo injustis Potentiorum postulatis, ex nimia formidine, & (ut ait Baron.) *prudentia carnis*: Nam, ut alia omittamus, ut Carolo Calvo Franc. Regi, & Basilio Græc. Augusto blandiretur, truculentissimo Hicmario Rem. & Photio Const. mortalium deterrimo (extremæ ambitionis notissimis monstris) iniquissimè favit: Unde in contemptum tàm mollis, & meticulosi Pont. *Joanna Papissa* per jocum appellari cœpit; eò vel maximè, quòd Photius ille (quem adeò pertimuit) semi-vir, seu eunuchus erat, à sola proinde fœminâ formidabilis. Decursû autem temporis, inanes quidam Scriptores fabulam, pro vera historia accipientes, in vulgus sparserunt.

DUBIUM ULTIMUM

Utrum CC. Gen. sint infallibilis Regula Fidei?

811 SUpp. 1. quòd *Synodi*, vel *C.* nomine idem significatur in Eccl. quod nomine *Comitiorum* in Regnis; Congregatio scilicèt Primorum Ecclesiæ, ad definiendas causas, ad illius, sive fidem, sive mores, pertinentes. Est autem quadruplex CC. genus, nimirùm, *Generalia*, seu *OEcum.* *Nationalia*, *Provincialia*, & *Diœcesana*, quæ vix dixeris CC. & quæ ab Epis. convocari debent: sicut *Provincialia* à Metropolita, & *Nationalia* à Patriarcha, vel Primate. Solius autem Rom. Pont. est *Generalia* indicere, transferre, ac dissolvere, ut Later. V. diffinivit: Unde si quæ olim ab Imperat. leguntur indicta, id non sine Romani Pont. consensu & auth. factum esse, dicendum est. *Quinta* autem Syn. indicta à Justiniano I. (repugnante Vigilio quoàd loci designationem) non nisi ex Romanę Sedis assensione & confirmatione inter OEcumenicas recensetur. *Quòd* si Papa in perpetuam incideret ament. aut manifestus, & incorrigibilis fieret hæret. posset tunc (vel Cardinalių indictionê, vel spontaneò Episcop. confluxû in locum unum) imperfectum congregari C. quod ad providendum Ecclesiæ

de Capite esset sufficiens ; non tamen posset sine Capite statuere de multis, de quibus cum Capite potest, ut olim docuerunt Presbyteri Rom. Eccl. ep. ad Cypr. & appositè Cajet. Opusc. de Potest. Papæ c. 15. & 16.

812 Supp. 2. Quòd licèt Cardinales, Abbates consecrati, & Ordinum Generales non Episcopi, admittantur ex consuet. & privil. ad suffragium decisivum in CC. Gen. Judices tamen jure divinô Ordinarii soli sunt Episcopi, quorum universalis confluxus minimè desideratur ad generalem Congreg. *Supp.* 3. Necessarium esse quòd Rom. Pont. per se, vel per Legatos, Synodo Gen. præsideat. *Nec* majoris partis sententiam tenetur amplecti ; imò illius est ad fidem revocare quotquot in errorem deflexerint. *Primæ* autem Constant. S. Damasus quodammodò personaliter præfuit, quia illa una eademque censetur cum Romana, quæ tunc ab Episcopis Occident. Damasô Præsidente, celebrata est. Cujus fidei *formulam* Constantinop. I. (ipsô Dam. jubente) amplexata est. Et ex tali consensione, ex utrâque conflata est II. Syn. Gen. quę idcircò *Romano-Constantinop.* appellari potest. *Supp.* demùm, nullum C. quantunvis OEcum. & legitimè congreg. infallibilis esse auth. antequàm à Rom. Pont. fuerit approb. nisi PP. in definiendo illius instructionem sequantur. Nam cap. *Significasti de elect.* dicitur, *omnia CC. per Romanæ Eccl. authorit. robur accepisse.* Constat præt. ex perenni Eccl. praxi, & pluribus exemplis ex indicatis t. 2. n. 533. signantèr Basileen. quod licèt, indictionê & inchoationê legitimũ, turpissimè tamê erravit simul cũ Card. Julianô, Eugenii IV. Legatô. His prænotatis, sit

813 Concl. *Concilia Gen. imò & alia à Pont. Rom. approbata, infallibilis sunt authoritatis.* Quoàd CC. Gen. est fidê certa, *tum* ex illo primi Ecclesię C. Act. 15. *Visum est Spiritui S. & nobis* : Concilii ergo approbati sententia, Spiritûs S. sententia ipsissima est. *Tum* ex dictis, quia si Ecclesia, ejusque Caput Rom. Pont. infallibilis est authorit. in dirimendis fidei ac morum controv. idem de C. Gen. Summi Pont. auth. firmatô (universam Eccl. utiquè repræsentante) dicendum est. *Accedit*, quòd aliàs redirent hæreses uni-

universæ, Conciliorum Gen. auth. damnatę : diceret enim Arrius, erraſſe Nicænum C. Macedonius, Conſtantinop. I. Neſterius, Epheſinum; Eutyches & Dioſchorus, Chalced. Symbolum quoque Nicæn. erit ambiguum, Concilii Gen. authoritate ſublatâ. *Deinde*: Si CC. hujuſmodi errare in fide poſſent, nulla profectò certa via eſſet reliqua ad controv. finiendas; qui enim Summi Pontif. & reliquorum Eccleſiæ Paſtorum judicium detrectaret, nullum Judicem inventurus eſſet, quem declinare non licêret.

814 Quoàd reliqua verò CC. à Sum. Pont. confirm. eſt æquè certa, ac infallibilitas Romani Pont. extra C. Gen. de qua ſuprà à n. 782. Si enim Sum. Pont. errare non poteſt, certè nec C. (quantunvis exiguum) ab illo confirm. *Et* ſanè Apoſtolorum C. Act. 15. non fuit Gen. non enim aderant niſi quatuor Apoſtoli, Petrus, & Jac. Paulus, & Barn. nec tamen minor fides habita eſt Petro, quàm ſi eſſet Syn. Gen. *Accedit* quòd aliàs multorum hæretic. damnatio eſſet incerta; plerique enim, non per CC. Gen. ſed per Provinc. ſunt damnati, ut Priſcillianus per Tolet. I. Jovinianus, & Elvidius per Telenſe; Pelagius per Milevit. & Cartag. Petrus denique Oxom. per Complut. quod tantùm fuit Epiſcopale, ſub Alf. Carrillo, Archiep. Tolet. ſed à Sixto IV. approbatum. *Deinde* nec expedit, nec tollerabile eſt, ſingulis hęreticis condemnandis, ſingulas Gen. Syn. cogere. *Pręt.* Quoſcumque ejuſmodi CC. damnavêre, Eccl. eos ſemper exploſit. *Demùm*: In Syn. VIII. act. ult. can. 1. profitentur PP. ſe ſervare ac cuſtodire etiã Localium CC. regulas, quas & VII. Syn. act. 3. *divinitùs inſpiratas* appellarat. *De* CC. autem à Rom. Pont. nondùm approbatis, ſed nec peculiariter reprobatis, dictum eſt ſatis to. 2. n. 534.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

815 Opp. 1. cont. 3. prænot. Actione 12. C. Chalced. Anatholium Conſtant. ſententiam dixiſſe ante Legatos S. Leonis in cauſa Baſsiani, & Stephani. *Pręt.* in eâdem IV. Syn. in VI. & VIII. Imperatores præfuerunt, cùm in eis ſæpè legatur: *Præſidente Mag. Imperatore.* *Opp.* deinde cont. ult. prænot. Quia CC. Gen. repræſentant totam Eccl. quę

est firmamentum veritatis 1. Timoth. 2. ergo. *Pręt.* Hujusmopi CC. ante Pontificis confirm. dicunt anathema contrarium sentientibus: ergo. *Præt.* Julius I. ep. ad Orient. Episcopos ait: *Regula vestra nullas habet vires, quoniam Romanę Ecclesiæ Legatus non interfuit*: ergo sentit, illas habere C. cui Legatus interest. *Tandem* Sixt. IV. in Bulla laudatæ Syn. Complut. confirmatoriâ, inquit: *Licèt ea, quę de nostro mandato ritè fiunt, plenam obtineant roboris firmitatem, &c.* ergo.

816 *Ad* 1. R. illud à Legatis Pont. delatum fuisse Anatolio, cui notior erat causa illa singularis: ipsos autem Legatos toti Syn. præfuisse, ex Actis ejus liquet. *Ad* 2. R. Imper. non præfuisse Syn. illis authoritatê ut Judices; sed locô & honorê ut fidei defensores: Unde verbum illud *Pręsidente*, idem significat, ac *primò sedente*. Profectò in VII. Syn. act. 8. de Irene Aug. legitur: *Præsidente ipsa cum Regnante Filio*, quę verba non *sessionem judiciariam* (Fœminæ repugnantem) significant; sed *honorariam* duntaxàt. Unde nec primi Augusti subscribebant, ut patet ex Actis, nec eâdem formulâ ac Episcopi: Horum enim (ut constat ex VI. Syn.) talis erat subscriptio: *N. Episc. diffiniens subscripsi.* Imperatoris autem, hæc: *Constantinus... Imp. Rom. legimus, & consentimus.* *Ad* 3. dist. ant. Repręsentant, &c. dùm sunt penitùs absoluta, & à Sum. Pont. conf. C. Antequàm ab illo confirmentur, subdist. repræsentant, &c. imperfectè C. perfectè, N. Quia nec Legati perfectè repræsentant Ecclesię Caput, cùm hujus infallibilitas in eos transferri nequeat, spectat enim ad dona Apostolatûs, prophetiæ, scientiæ, & sapientiæ, quæ delegari non possunt.

817 *Ad* 4. N. cons. PP. enim ideo ità pronuntiant, quia sequuntur Pont. sent. quâ instructi (ut in plurimùm) mittuntur Legati, sicut factum legimus in antiquis CC. in quibus una, vel altera quęstio tractanda erat; quod quidem in Trid. fieri non potuit, ob multiplices, & varias quæst. disceptandas: nec tamen ad singularum diffinit. procedebant PP. quin priùs Summum Pont. consulerint; nec illam promulgabant ante Pont. confirm. ut testantur Vega, aliique,

qui

qui S. C. interfuerunt. In C. autem Conſtan. ante elect. Mart. V. promulgatę fuerunt diffinitiones dogmaticæ cont. hæreſim Uvicleffianam (hujuſque ſequaces, J. Hus,& Hier. Pragen. vivi comburio conſumpti) quia jam ab Eccl. & cunctis Catholicis prædamnata erat. *Ad* 3.N. conſ. quâ *ruſticam* jurè cenſet Canus , abſente enim Rom. Pont. requiritur quidem, ſed non ſufficit Legati præſentia ad Conciliaris Cânonis plenam firmitatem. *Ad ult.* R. Six. IV. loqui de Actibus, & proceſsibus judiciariis, non de judiciò fidei infallibili, quod delegari nequit. *Vel* ſi de judicio fidei loquatur, intelligendus eſt de plena firmitate judicii in ſuo ordine, quę tanta eſt ex Pontificis commiſsione , ut illi refragari ſine vehementi hæreſis ſuſpicione non poſsit.

818 Opp.2. cont.concl. illud Aug. l.3.cont. Maxim.c. 14. *Nec ego Nicænum , nec tu debes Ariminenſe tanquàm præjudicaturus proferre C. Nec ego hujus authorit. nec tu illius detinerir, &c.* Lib. etiam 2. de bap. c.3. dicit , CC. plenaria à poſterioribus emendari. *Præt.* Nazian.ep.ad Procop. ait , ſe omnia Epiſcop. CC. fugere; quia nullum non pernicioſum vidit: ergo. *Ad* 1. R. Aug. ita loquutum , quia noluit tempus terere in oſtendenda C. Nicæni auth. cui Arrianus ille Conciliabulũ Arimin. (rejiciens *homouſion*) opponebat. Senſus ergo objecti teſtim. eſt : Non vis teneri authorit. C. Nicæni, quam tibi objicio ; nec ego Arimin. quam Nicæno opponis. Omittamus ergo authorit. CC. & ad Scrip. veniamus. Sed quid inde Calv. cont. Nicæn. quod ſe ex animo venerari , alibi fatetur ? *In* alio autem teſt. loquitur de quæſtionibus facti perſonalis ; præcipua enim quæſt. cum Donatiſtis (contra quos ibi diſſerebat) erat de facto illô Cæciliani, an ſcilicèt, tradiderit, nec ne, Libros Sacros hoſtibus fidei ? *Vel* loquitur de CC. illegitimis per legitima emendatis. *Ad* 2. R. Naz. apertè loqui de CC. ſuô temp. celebratis, ut Seleuc. Tiren. Arimin. Mediolan.Syrmien. & aliis , quæ (ob prævalentem hæretic. multitud.) infauſtum exitum habuerunt : ideoque deſperabat, futurum aliquod tunc temporis legitimum. Et idem ſenſit Baſil. ut videre eſt ep.52. ad Athan.

Opp.3.

819 Opp. 3. C. Neocęsar. à Leone IV. approb. damnavit sess. 7. secundas nuptias, quas Apost. concesit 1. Cor. 7. *Præt.* Nic. I. erroneè decrevit rebaptizandos esse Paulianos. Erravit item can. 11. damnando militiam, à J. Bapt. approbatam, Lucæ 3. *Præt.* Arelat. II. can. 2. ait: *Assumi aliquem ad Sacerdotium in vinculo conjugii, constitutum, nisi fuerit promissa conversio, non oportet.* Quibus dupliciter errat, & prohibendo Sacerdotibus uxorum usum (cont. C. Gangrense à Leone IV. approb. can. 4.) & damnando conjugium, jubens conjugatum *converti*, nec enim convertimur nisi à malo. *Ad hæc* II. & IV. Syn. Gen. decernunt cont. I. seu Nicæn. Sedem Constantinop. debêre esse immediatè post Rom. & ante Alexand. & Antioch. *Ulteriùs* C. Tolet. I. à S. Leone approb. can. 17. decernit, posse admitti ad commun. eum, qui concubinam habet, modò non sit uxoratus. *Postremò* C. Rom. sub Nicol. II. diffinivit, non solùm Sacramentum Corporis Christi, sed & ipsum verum Christi Corpus tractari, & frangi manibus Sacerdotum, & fidelium dentibus âtteri, ut patet ex Can. *Ego Berengarius*, de consec. d. 2. sed hoc adversatur Apost. Rom. 6. dicenti: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*; quod enim frangitur & teritur, verè moritur: ergo.

820 R. ad 1. solùm damnari secundas nuptias subsistente adhuc primô conjugiô, ut dicit Glossa 31. q. 1. can. *De his, qui frequentèr. Vel* dicendû, non prohiberi jam solutis secûdû matrim. sed solemnitatê in primo duntaxàt adhiberi solitam, juxta veterem Ecclesiæ morem. *Ad* 2. R. rectissimè illud decretum fuisse; Lutherum autem, oppositum blaterantem, ignorantiam suam prôdere; cûm enim Pauliani non baptizarent in nomine Trinit. quam apertè negabant, non verè baptizabant. Canon autem 11. non damnat militiam, sed eos, qui, Imperantibus Ethnicis (ob honorem & commodum Cinguli militaris) fidem abjiciebant, idolisque immolabant. *Ad* 3. R. nullum ibi errorem esse. Canon autem ille Gangr. neutiquàm concedit Presbyteris usum conjugalem, sed tantùm anathematizat eos, qui in odium nuptiarum (quas malas asserebant) ferre nolebant

Pres-

Presbyteros, qui uxores habuerant, etiamsi jam eas non haberent (saltem quasi uxores) ideoque dicit Can. *Quicumque discernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quòd non oportet, eo ministrante, de oblatione percipere; anathema sit.* Ubi non de habente, sed de eo, qui habuit uxorem, agitur. *Conversio* autem non solùm dicitur à statu malo ad bonum; sed etiam à bono in meliorem. Unde & professio monastica dicitur *Conversio* à Greg. M. l. 2. ep. 100. & in Jure Canonico extat Tit. de *Conversione Conjugat.*

821 *Ad* 4. R. decretum illud de honore Sedium errorem esse non posse. Poterant quippè II. & IV. Syn. (pari cum I. gaudentes potest.) hujus decretum mutare; quia tamen id sine justa causa fecerunt, ideò Romani Pont. Damas. & Leo Apostolicâ auth. cassarunt. Et Nicænum can. ratum haberi jusserunt. *Ad* 5. R. ibi nomine *Concubinę* intelligi veram uxorem, sed sine dote, & externâ solemnit. ductam, ut rectè notat Grat. d. 34. can. *Omnibus.* Quemadmodùm Agar, & Cethura (veræ utiquè Abrahæ uxores, ut patet Gen. 16. & 25.) illius *Concubinę* dicuntur ibidem. *Ad ult.* quod magnificat OEcolampadius, R. incorruptibilitati corp. Christi glorioši; ab Apost. assertæ, minimè repugnare fractionem & attritionem ejusdem in specie Sacramentali (quam negavit Bereng. & C. astruxit) sed solùm fractionem & attrit. illius in sua propria specie, quam tamen nullus unquàm possibilem dixit. Sic D. Th. 3. p. q. 77. a. 7. ad 3. quem quis non præferat sexcentis OEcolampadiis? Vide Can. l. 5. c. 5. ad 4. quæst. ubi tradit Notas, quibus Pontificum, & Conciliorum de fide judicia internosci queant.

APPENDIX I.

De CC. Gen. ab Apostolica Sede approbatis.

822 AGimus hîc tantùm de CC. Gen. post tempora Apostol. celebratis: de Apostolicis autem (quę 6. aut 7. communiter recensentur) non est una omnium sent. an aliqua, vel quę fuerint OEcumenica? CC. igitur Gen. à sæculo IV. usque ad XVI. congregata 19. vulgò numerantur. Octo nimirùm Orientalia, & undecim Occident. Priora sunt quæ sequuntur, duo Nicæna, Quatuor Constantinop. Ephesinum, & Chalcedonense. Hôc autem ordine celebrata sunt. *Primò* Nicænum I. sub quo Sardicense (ejus appendix) comprehenditur. *Secundò* Constantinop. I. *Tertiò* Ephesinum. *Quartò* Chalced. *Quintò* Constant. II. *Sextò* Constant. III. *Septimò* Nicæn. II. *Octavò* Constant. IV. *Occidentalia* verò sunt sequentia, quatuor Lateranentia (successivè, nullô aliô mediante, Romę apud Lateranum celebrata.) Deinde duo Lugdun. Viennense, Constantiense, Florent. Later. V. & Trid. Singula brevissimè percurramus.

823 Primum igitur omnium est *Nicæn. I.* 318. Episcop. sub S. Sylv. Papa in Nicæa Bithyniæ Metropoli celeb. ann. 325. adversùs hæresim Arrianam, negantem Christi divinit. & cont. Quartadecimanos, & Meletianum schisma. *Circa* Canones Nicænos vide Cabass. & maximè Diatribâ de numero eorum. *Frementibus* deinde Arrianis adversus Nicænam fidem; ad hujus defens. & Arrianæ perfidiæ represionem, indicta fuit altera OEcum. Syn. Sardicæ in confinio utriusque Imp. an. 347. sub S. Julio I. Cui interfuerunt plusquàm 300. Episcop. Orthodoxi, imperante in Occid. Constante, Religiosissimo Prin. in Oriente verò tre

tre

cre ejus Constantiô, Arriano. Quia tamen Syn. ista, Nicænæ Appendix vulgò jurè censetur; ideo à nonnullis in enumeratione CC. Gen. silentiô præterîtur: Non quòd non sit undequaquè legitima & approb. (ut quidam historiæ ignari âutumant, ideoque perperàm inter partim reprobatas recensent.) Nec enim ejus œcumenitati, plenæque authoritati obesse potest, quòd 76. Epis. Arriani, Sardîcâ (causæ suę diffisi) discedentes, Philipopolim Traciæ diverterint, ibique damnatum Conventiculum celebraverint, quod nomine *Sardicen. Syn.* fraudulenter divulgarint: Idem quippè postèà Nestoriani tentarunt, duce Joanne Antioch. adversùs Syn. Ephes. quam declinantes, latrocinium celebrarunt, quod sub Ephesinę Synodi nomine vulgarunt, quin propterea audeat quisquam Ephesinam Syn. inter partim reprob. numerare. Vide suprà n. 780.

824 Secundum inter Gen. approbata, est *Constant. I.* 150. PP. celeb. sub S. Dam. an. 381. præcipuè pro Divinit. Spiritûs S. adversus Macedonium, illam negantem. Damnati præt. sunt in hac Syn. Anomæorum, & Apollinarist. hæreses. Vide suprà n. 812. Canon autem ille de præcedentia Sedis Constantinop. ab Apostolicâ rejectus (de quo suprà n. 821.) cùm dogmata non concernat, nihil hujus Syn. authoritati officit. Editum insuper, seu auctum est *Symb.* adversus errores tunc grassantes, ut suprà vidimus n. 695. *Tertium* est *Ephes.* 200. Epis. celeb. sub S. Cælestino I. an. 431. imperantibus Theod. II. & Valentin. III. adversus Nestorium Episc. Constantinop. comminiscentem duas in Christo Personas, & blasphemantem, Beatissimam Virg. non *Theotocon*, sed *Christocon*, id est, non Dei, sed Christi Matrem dici debere. *Damnata* etiam est hæresis pelagiana, teste S. Prosp. cont. Collat. Et licèt Cabass. dicat, nihil tale apparêre in Actis quæ nunc supersunt; oppositum tamen liquet act. 6. nam can. 1. plectuntur expressè *qui cum Cælestio* (Pelagii discipulo) *senserint, aut sentient.* Idque factum credimus, quòd quidam Pelagiani Episc. Joanni Antioch. ejusque Conventiculo adhæserint, sperantes, probandam in eo jam proscriptam pelag. hæresim. *Damnatus* demùm

mùm est eâdem act. error Messalianorum asserentium, solam orat. absque aliis operibus, ac etiam Sacramentis, ad salut. sufficere.

825 Quartum est *Chalced.* 630. Epis. celeb. sub S. Leone Mag. an. 451. imperantibus Marciano, cum S. Pulcheria Conjuge Virgine, & Valentin. III. adversùs Eutychętis Archimandritæ, seu Abb. Constant. unam tantùm in Christo Naturâ agnoscentis post Incarnationē Hanc Syn. approbavit S. Leo in sola fidei causâ, ut testatur ipsemet ep. ad Max. Antioch. Et Pelag. II. ep. ad Episcopos Istrię. Illa autem completa est act. 6. Reliqua verò (10. actionibus comprehensa, causasque particularium Episc. concernentia) minimè approbata sunt, adeoque nec canones 28. aut 30. editi actione 15. cùm nullus eorum fidem concernat. Imò canon 28. acriter improbatur à S. Leone, & nonnullis Succeff. signanter S. Greg. & Nicol. I. *Nec* prærogativa illa Episc. Constant. concessa legitur ab ullo Rom. Pont. ante Innoc. III. in C. Later. IV. Unde quòd in V. VI. VII. & VIII. Syn. sederit Epis. ille immediatè post Rom. non jurè, sed Romanâ Sede dissimulante, non autem confirmante, factum est.

826 Quintum est *Constant. II.* 165. Episc. celeb. sub Vigilio, imperante Justiniano I. an. 553. adversus tunc invalescentem Origenianam hær. & ad sedanda gravissima dissidia, quibus Ecclesia agitabatur, ob famosa *Tria Capitula*, quę Nestoriani perperam contendebant, fuisse à Syn. Chalc. approbata. Illa autem erant, scripta Theodori, Ep. Mopsvesteni (Nestorii, ejus discipuli, erroribus scatentia) scriptū Theodoreti, Ep. Cyri adversùs 12. anathematismos S. Cyrilli; & epistola Ibæ Ep. Edesseni ad Marin Persam. Vide supr. n. 811. Damnatio autem trium Cap. non adversatur Syn. Chalc. hæc enim neutiquàm illa probavit, nè in posterioribus quidem Act. quæ Generalis Syn. authoritate carent ob dicta. N. præced. *Hispani* autem nunquàm Synodum V. procacitèr impugnarunt (sicuti schismatici Episcopi Vêneti, & Istri) quanvis eam diù inter Gen. non recensùerint, ob errorem facti.

Sex-

827 Sextum est *Constant. III.* 166. Episc. celeb. intra Palatii Imperialis Secretarium, quod *Trullum* vocabatur, sub S. Agathône, imperante Constantinô Pogonatô, ann. 680. adversus Monothelitas, asserentes, unicam tantùm esse Christi volunt. & operationem. Cujus hæresis fuit Author Theodorus Ep. Pharanîta, à quo propagata est in Serg. Pyrrhum, Paul. & Petr. Episcopos Constantinop. Cyrum Phasydis, deinde Alex. Ep. alioque, quibus pertinaciter adhæsit Macharius Ep. Antioch. qui huic Syn. personaliter interfuit. Illam prędamnaverat Honorius I. instante incomparabili Sophroniô, ex Monacho, Ep. Hierosol. Tantùm abest, quòd Monotheliſmo faverit Honorius. Recole dicta à n. 791. Hæc S. Syn. (sicut & V.) nullos edidit Canones disciplinam concernentes; adeoque falsò illi adscribuntur *Trullani*, quorum plures erroribus scatent, & qui proculdubiò conditi sunt ab erratica & acephala, *Pandectin*, seu *Quinisexta* appellatâ, an. 692. jussû Justin. II. renitente Rom. Pont. Sergiô, à quo proscripta est. Vide Canum, Cabass. alioque eruditos.

828 Septimum est *Nicæn. II.* 350. Episc. celeb. sub Adriano I. imperante Constantino cum Matre sua Irene Augustâ, religiosissima fœminâ an. 787. adversus feralem Iconomachorum, seu Iconoclastarum hæresim, quàm dirè promoverant Leo Isauricus, & Constantinus Copronymus, Græc. Imperat. atrocissimum in Sacras Imagines bellum indicentes. Editi sunt in hac Syn. 18. canones, in quorum I. generaliter omnes canones *Apostolici*, & omnes *Trullani* cum canonibus priorum Syn. Gen. approbantur. Unde meritò Christ. Lupus dicit, quòd nec singulas hujus Syn. Actiones, nec quaslibet istic Episcoporum interlocutiones, & sententias, sed commune duntaxàt fidei decretum, Romana Eccl. confirmavit. In ea autem fidei professione, expressam fuisse processionem Spiritûs S. à Patre, & Filio, probat Bar. ad an. 787. *Nota* hîc, Can. secundum C. Francoford. rejicientem VII. Syn. vel confictum esse ab Iconom. (ut censet cum aliis noster Card. Capisucchus.) Vel ob errorem facti formatum, ideoque meritò ab Adriano re-

rejectum. *Nota* præt. ut nonnullorum allucinat. devîtes, neutiquàm definiri in VII. Syn. quòd Imago Christi, quà talis, adoranda non sit adorationê Latrîæ. De quo omninò videndus D. Th. 3. p. q. 25. a. 3. & 4.

829 Octavum est *Constant. IV.* 102. Episc. celeb. in Insigni Urbis Regiæ Ecclesia S. Sophiæ, sub Adriano II. imperante in Oriente Basiliô, an. 869. cont. Photium, immensæ ambitionis hominem, qui Sedem Constant. deturbatô S. Ignatiô, tyrannicè invaserat, & coactâ Pseudosynodô in Nicol. I. (à quo damnatus fuerat) anathema regere reausus, Græcanici infandi Schism. (totiès intermissi, ac recrudentis) fundamenta jecit. Hujus damnationi subscriptum fuit à PP. tremendô Christi sang. in atramentum infusô. *Damnatus* iterùm est (olim eversus à VII. Syn.) Iconom. furor, quô denuò correptus Leo Armenus, aliique Græci Imp. Ecclesiam immaniter divexarunt. *Testatur* autem Anast. Bibl. (qui huic Syn. interfuit) 27. canones ab illa editos, à Rom. Eccl. fuisse probatos; quod cum moderamine accipiendum esse, appositè notat Lupus: nam primus canon confirmat omnes vulgares *Apostolicos*, singulosque *Trullanos*, quorum plures, perpetuò Apostolica rejecit Eccl. *Canone* 4. hujus Syn. declaratur, ordinationem tàm Photii, quàm ab ipso ordinatorum, fuisse îrritas & nullas; ex quo âutumant J. Morinus, & Cabass. ordinationes ab hæreticis & schism. factas cum debitis materiâ, formâ, & intentione Ministri (quas validas esse declaravit C. Florent.) fuisse nihilominùs antiquitùs nullas, ob apposita tunc ab Ecclesia impedimenta ordinum dirimentia. Sed hęc sent. (ut mitiùs loquar) temeraria & falsissima est, adversatur enim cômuni PP. & Theol. sent. Vide D. Th. q. 38. suppl. in 3. p. a. 2. & ibidem D. Marinis c. 2. Ordinatio igitur ab hæret. facta dicitur *nulla* quoàd potestatem jurisd. & legitimum usum potestatis ordinis.

830 Nonum (& inter Occidentalia I.) est *Later. I.* plusquàm 300. Episc. celeb. in Primaria totîus Orbis Basilicâ Constantinianâ S. Salvatoris Lateran. Præsidente personaliter Calixtô II. imperante in Occid. Henricô (quem

Ita-

Itali IV. Germani V. vocant) ann. 1123. ad dirimendam graviſſ. illam circa Inveſtituras Controv. occaſione cujus, quidam Imperatores ſchiſma fecerant in Eccl. Rom. intruſis (adverſus legitimos Paſt. qui inveſtiturarum uſum prohibuerant) falſis & larvatis Pontif. atrocibus diù vaſtatâ bellis Italiâ. *Proviſum* inſuper fuit de ferendis ſuppetiis Eccleſiis Orientis, & Hiſpan. adverſus Saracenos, renovatis Indulg. ab Urbano II. quondàm conceſsis Sacri belli præfidiariis cruce ſignatis. *Decimum* eſt *Later. II.* magni, ſed incerti numeri Epiſc. celeb. ſub Innoc. II. imperante Conradô III. an. 1139. *Tum* occaſione ſchiſmatis Petri Leonis vulgò dicti Anacleti II. *Tum* adverſus errores Petrobruſianorum, & Arnaldiſt. *Tum* pro inſtaurandâ diſcip. Eccleſ.

831 Undecimum eſt *Later. III.* 300. Epiſc. ſub Alex. III. imperante Friderico I. ſeu Ænobardo, celeb. an. 1179. *tum* ad præcavenda in poſterum ſchiſmata, ſopîto jam diuturnô & exitiali, quod foverat Frid. *Tum* adversùs tunc graſſantem in Gallia & Italia probroſiſsimam Uvaldentium, Catharorum, & Albigentium hæreſim. *Tum* ad inſtaurandam diſciplinâ ſimoniacâ labe, & uſurarum voragine nimis labefactatam. *Duodecimum* eſt Later. IV. (quod *Maximum* paſsim audit) 412. Epiſ. ex quibus duo erant Patriarchæ, & 70. Archiep. celeb. ſub Innoc. III. imperante in Occidente Friderico II. in Oriente verò Alexiô Angelô an. 1215. contra jam prædamnatam, ſed invaleſcentem Albigen. hæreſim, aliaſque tunc graſſantes; pro recuperanda Terra S. & diſciplinâ (in pluribus collapsâ) reſtaurandâ. Interfuerunt huic C. (præter Epiſ.) 12. Abbates, & 800. Priores Convent. Patriarcharum Alexand. & Antioch. utriuſque Imp. pluriumque Regum ac Principum Legati. Interfuit & S. P. N. Dominicus, futurus Albigenſium exterminator, Prædicatorum ac Inquiſitorum Patriarcha, & Eccleſiæ Atlas, qualis Innocentio ipſi viſus eſt, ibique Almerici inſanias palàm explodens, deſtinati ſibi Muneris quaſi tyrocinium egit.

832 Tertiumdecimum eſt *Lugd. I.* 140. Epiſc. celeb. ſub

sub Innoc. IV. juris consultissimô, regnante in Gallijs S. Ludovicô IX. an. 1245. adversus Fridericum II. Ænobardi Nepotem, quem tanquàm Ecclesiæ hostem damnavit, Romanorũ Imperiô, & Regnô Sicilię & Apulię expoliavit. *Sedit* in hac Syn. ad dexterâ Innocẽtii Balduinus II. Oriẽtis Imp. ad sinistrâ alii Principes. *Actũ* est præterea de instaurâda discipl. & recuperandâ Terrâ S. S. Ludovicô constitutô quintæ hujus S. exped. Supremô Duce. *Interfuerunt* ex nostris (præter primũ Ord. Card. Hugonem) tres Archiep. totidem Epis. aliique graviss. Theol. qui, absolutô C. Tartarorum conversioni destinati sunt. Nostri insuper jussu Pont. intrepidè Friderici depositionem, per Imperium, & ubique, extremo cum discrimine, publicarunt. *Quartumdecimum* est *Lugd. II.* 500. Episc. multòque plurium Prælatorum inferiorum, celeb. sub Gregor. X. ann. 1274. pro unione Græc. cum Eccl. Latina, Terrę S. subsidiô, & morum reform. *Hujus* Synodi directio commissa fuit à Papa Seraphico Doct. D. Bonav. (à quo, nondùm Cardinali, electus fuerat, factâ in ipsum Cardinalium compromissione) ut nimirùm, proponenda, ac decernenda providêret: præsente enim Papâ, non alia præsidentia, quàm directoria, delegari potuit S. Doctori. In hanc S. Synodũ jussû Pont. properans Angelicus Doct. in Cœlum, Dominô vocante, pervênit. *Adfuerunt* nihilominùs ex Ord. nostro tres Card. Robertus, Hugo, & Petrus à Tarantasia, qui Romanus Pont. postea renuntiatus, Innoc. V. dictus est. 33. Archiep. & Epis. plurimique Theol. cum M. Gen. Joan. Vercellensi, quos inter eminebat B. Alb. Mag. qui unà cũ Petro à Tarant. Græcos devicit, & ad unionem cum Rom. Eccl. redegit.

833 Quintumdecimum est *Vienense* in Gallia, plusquàm 300. Epis. celebratum sub Clem. V. qui illi personaliter præfuit, imperante Henricô VII. ann. 1311. adversus infandas Fratricellorum, Begardorum, & Beguinarum hæreses, tunc grassantes; & insuper ob Templariorum Ordinis abolitionem; Terræ S. subsidium; & disciplinę instaurationem. *Præfatæ* hęreses, quoàd plura capita, coincidunt cũ nuper ex horco suscitatâ Quietistarũ Sectâ, de cujus origi-

gine & progressu diximus to.2. n.840. *Templariorum* Ordo jurè meritò abrogatus est; quia prorsùs Ecclesiæ inutilis evaserat, semèl Equitibûs de gravissimis criminibus generaliter accusatis & infamatis; quantunvis illorum plures convicti non fuerint, imò innocentes juridicè declarati, ut de cunctis ferè Hispanis ostendit eruditissimus D. Joan. de Ferreras diù mihi familiaritate conjunctus. *Synodo* isti interfuerunt ex Nostris duo Cardinales, nempè, Nicolaus Pratensis, & Nicolaus Fârinula: duo ad Purp. postmodùm evecti, scilicèt, Th. Anglicus, & Guilielmus Barbacensis. Sex Archiep. plurimique Epis. & Theol. qui præfatos errores Angelicâ D. Th. doctrinâ confutarunt, Templariorumque Ordinem (discussâ ab ipsis eorum causâ) ab Ecclesia eliminandum censuerunt.

834 Sextumdecimum est *Constantiense*, 300. Epis. pluriumque infer. Præl. inchoatum Nonis Nov. an. 1414. indictum à Joan. dictô XXIII. imperante Sigism. ad providendum Ecclesiæ de certo & explorato Capite, & penitùs abolendam funestam illam Pontificum divisionem 36. annis, & duobus mensibus jam perdurantem. Sessione XLI. die S. Martino Turonensi sacrô, ann. 1417. electus est in Rom. Pont. Odo Columnensis, dictus Martinus V. qui per se præsedit reliquis 4. sess. usque ad 45. quâ absolutum fuit C. die 22. April. an. 1418. *Rogatus* autem Pont. de Concilii decretis confirmandis, respondit ore propriô, posteàque palàm per Concilii Advocatum, *se omnia & singula Concilii in materia fidei conciliariter decreta tenere, & inviolabiliter observare velle, & non aliter, nec alio modo.* Hinc autem perperàm quidam renuunt C. istud inter absolutè approbata recensêre. Aliàs idem dicendum foret de II. IV. VII. & VIII. Syn. Gen. juxta superiùs dicta.

835 Noluit igitur prudentissimus Pont. approbare decretum illud sess. 4. de potestate C. supra Papam; quantunvis verissimum esset in sensu à C. intentô, & in casu illo incerti Papæ: Quia si pravè, seu absolutè sumeretur, ingens schismatibus patêret aditus, & de facto ita contigisse in Basileensi, & Pisano, lamentabatur Cajet. & quotidie experi-

mur

mur inde ortam Novatorum audaciam ad futurum C. appellantium. Vide suprà n. 785. *Damnavit* hęc Syn. errores J. Uvicleph, J. Hus,& Hier. Pragensis : jubens prioris ossa exhumari, reliquosque vivos comburi. *Interfuerunt* huic Syn. ex Nostris plures Archiep. & Epis. Duo Mag. Gen. cum pluribus Theol. qui extinguendo Schismati plurimùm contulerunt, sed potissimùm Cardinalis Archiep. Ragusinus Joannes Dominici, ut liquet ex Actis, & Mag. ille sui sæculi Paulus redivivus, S. Vincen. Ferrerius, absens licèt, ut testatur Gersonus.

836 Decimumseptimum est *Florent.* 150. Episc. Latinorum, Ferrariæ inchoatum an. 1438. ibique 16. sessionibus continuatum, & Florentię 9. sess. absolutum, sub Eug. IV. personaliter præsid. imperante in Occid. Albertô II. in Oriente verò, J. Palæologo, qui Concilio interfuit cum Josepho Patriarcha Constantinop. cum fratre suo Demetrio, pluribusque Epis. & Proceribus Græcis. Celebrata fuit hæc S. Syn. ad tollendum schisma, in quod apertè ruerat Patrum Basileensium damnabilis pertinacia, Græcosque reducendos ad unionem fidei & pacis cum Eccl. Rom. quę tandem, post longam & acrem concertationem feliciter consecuta est, planè triumphatis ac devictis Græcis, operâ potissimùm (ut ex Actis liquet) M. Fr. J. de Montenigrô Ord. nostri, qui simul cum Fr. Andręa, etiam Dominicano, Archiep. Rodiô aliisque 4. delectus erat pro Latinis dissertator. Porrò uterque Dominicanus unâ D. Th. doctrinâ gręcanicum schisma funditùs evertit. Quod postquàm Gręci intellexerunt, Angelicam cont. Gent. Summam in græcum denuò vertendam avidissimè curarunt. *Præter* laudatos, adfuerunt ex nostris D. Antoninus, môx Archiep. Florent. Card. Turrecrem. plurésque Archiep. Epis. & DD. Vide Seraph. Piccin. to.2. pag.309.

837 Decimumoctavum est *Later. V.* 114. Episc. celeb. ab anno 1512. ad 1517. sub Julio II. & Leone X. impeperante Maximil. I. Hujus Syn. indictionem suasit Julio Thomas de Vio Cajet. tunc Mag. Gen. Ord. nostri, ad oportunè dissolvendum Schismaticum Pisanum Conciliab.

(in

in memoriam ei revocans Eugenii IV. exemplum, qui, ut Basileense C. (in schisma propendens) evelleret, Ferrariense, seu Florent. indixit, adhortante & authore nostrô J. de Turrecrem. Card. *Miserat* jam Pisas Cajet. strenuissimos Ordinis Viros, qui præclusis Pseudosynodo Ecclesiæ nostræ foribus, universâque Urbe verbô & exemplô in schismaticos animatâ, illos (quantunvis Cæsaris, & Galli potentiâ suffultos) solum vertere, & Mediolanum fugere compulerunt. Lugdunum tandem trâsmigrans Acephala Congreg. fœdum ibi exitum sortita est. Fautores autem ejus, veniam postulantes, illam (ejuratô priùs Schismaticô Conventû) obtinuêre, & in pristinum Gradum restituti, unanimes OEcumęnicæ Syn. adhęserunt. In qua, proscriptis Conciliaboli Actis, diffinitum est, animam rationalem esse immort. & in quolibet homine unam numerô. *Abrogata* est insuper Pragmatica Sanctio, reformata Curia, Pietatis montes approbati, & decreta in Turcas expeditio, quam Lutheranismus, tùm ex horco erumpens, impedivit. *Interfuerunt* huic Syn. ex nostris (præter Cajet. & Gen. Ord. Procuratorem) 7. Episcopi, pluresque eruditissimi Theologi.

838 Postremum, omniumque celeberrimum, est *Trident.* celeb. sub Paulo III. Julio III. & Pio IV. imperantibus Carolo V. & fratre ejus Ferd. I. ab anno 1545. ad 1563. adversus Martini Lutheri, & sequacium hæreses, in toto ferè septentrione grassantes, & instaurandam penè colapsam disciplinam. *Ter* fuit congregatum, quia bis (ob pestem, & bella ingruentia) interruptum, adeò, ut ex illo annorum decursu, solô sexenniô fuerit absolûtum. Præfuerunt nomine laudatorum Pont. 11. Card. & duo Episcopi. *Prorsùs* me latet certus & exploratus numerus Episc. qui sub quolibet ex præfatis Pont. convenerunt. Refert Card. Palav. lib. 24. Hist. hujus C. n. 55. subscripsisse illi ante discessum. 255. PP. idest, 6. Card. 3. Patriarchas, 25. Archiep. 188. Episc. 30. absentium Aprocrisiarios, 7. Abbates, & 7. Ordinum Generales. Hi omnes ita subscripserunt: *Subscripsi diffiniendo.* Subscripserunt & Principum Legati,

sed sub alia formulâ; nimirùm, *assentiendo*, & *acceptando*. Ex nostris interfuerunt Sacræ Syn. 6. Archiep. 40. Episc. & totidem magni nominis Theologi, cum Generalibus successivè Magistris: quorum plures sparsim non semel commendati leguntur in laudata Palav. Hist. & signanter illi, quibus Breviarii & Missalis Romani editio, Indicis Expurgatorii & Cathechismi Lucubratio, demandatæ sunt. Ubi etiam apparet, quantùm illibatæ D. Th. doctrinæ à S. Synodo fuerit acclamatum.

839 Præfatis novendecim OEcum. Syn. vigesimam nonnulli addunt, nimirùm, Pisanam, celebratam an. 1409. sub Roberto Imp. In qua (Benedictô XIII. & Greg. XII. ab asserto Pontificatû dejectis) Alex. V. Ord. Min. spectatissimus Vir, electus est. Cùm enim neuter contendentium vellet Pontificatui cedere, nec Synodi OEcum. convocationi acquiescere, jurè potuit Ecclesia (inquiunt) se ipsam congregare, ut sibi de indubitato Capite providêret. Quòd autem schisma illud hâc viâ non cessaverit, sed potiùs creverit; non hujus Syn. defectui tribuendum est, sed Benedicti, & Greg. pertinaciæ: Quâ durante, jurè pariter celebrata est Constan. Syn. nec enim alia reliqua erat extinguendi schismatis via. *Pisano* huic C. interfuerunt 24. Card. Patriarchę Alex. Antioch. & Hierosol. 300. Episc. cum innumeris aliis inferioribus Pręl. DD. ac variis Principum, & Academiarum Legatis.

840 Monitum hîc Lectorem velim, nè facilè credat numerantibus Synodos, seu pœnitùs, seu partìm reprobatas: Passim enim *OEcumenicas* quasdam appellant, quarum alię (& si frequentissimæ) Generales tamen propriè non sunt, cùm nullâ Romani Pont. indictione, aut assensû coactę, vel absolutæ fuerint; ut de pluribus Arrian. tempore Constantii, de Quinisextâ, aliisque compertum est. Aliæ verò, nè frequentiâ quidem, *OEcumenicæ* dici possunt; ut Antiochena an. 345. & Pisana cont. Julium II. de qua n. 837. *Quandoquè* ex altera planè orthodoxâ, alterâ hęreticâ, unam efficiunt, ut de Sardicensi, & Philipopolitanâ diximus n. 823. & de Mediolanensibus, & Sirminiensibus (cir-

(circa Nicænam fidem quartò ſeculò celebratis) planè oſtendunt Petav. & Cabaſſ. *Interdùm* adæquatè damnatis adnumerant eas, quæ partim approbatę ſunt; ut de môx laudata Antiochenâ probat Eman. Echeleſtrates inductione ſingulorum ejus Canonum. Sed de his, ac de regulis Fidei, ſatìs ſuperque pro munere noſtro dictum ſit. Conſulat Lector laudatos Petav. & Cabaſſ. alioſque eruditos. *Nota*, Hugonem Card. obiiſſe an. 1262. unde corrigendum eſt quod de illo ex aliis dixi n. 832. in fine.

Synopſis eorum quę tradit D. Th. in 6. reliquis ad Fide quæſt.

841 QUæ ad plenam Fidei not. deſiderantur, adeò perſpicuè tradit Ang. D. à q. 2. ad 7. incluſivè, ut nullus ferè ſuperſit dubitationi locus, adeoque illa indicare ſufficiat. Dilucidat igitur S. D. laud. qq. Fidei actum, habitum, cauſam ſubjectivam, & efficientem, poſtremò effectum. Singula delibemus. *Primùm* conſiderat fidei actum, tum interiorem, ſeu *credere*, tum exteriorem, ſeu *confeſsionem*. Et quidem interioris determinat quidditatem, objecta, & accidentia. Aſſerit ergo, quòd *credere* nihil eſt aliud, juxta Aug. quàm *cum aſſenſione cogitare*, & ita ex p. aſſensûs importat firmitatę & quietem, per quã à ſuſpicione, & opinione ſecernitur; ex p. verò cogitationis, fluctuationem & motum, quô à ſcientiâ & intellig. diſting. *Docet* præt. illum, non modò ſupernaturalia; ſed & plura naturalia attingere.

842 Et cum poſsit eſſe implicitus, & explicitus; determinat, *fuiſſe ſemper omnibus adultis ſimpliciter neceſſarium neceſsitate medii ad utramque ſalutẽ explicitè credere ſupernaturalẽ Dei exiſtẽtiã & provid. ſecùs Trinitatis, & Chriſti Redemptoris Myſteria, quorum explicita fides, non niſi poſt ſufficientem Evangelii promulg. fuit omnibus neceſſaria.* Vide ſupra n. 693. *Nota* autem cont. nonnullos, quòd cùm actus fidei ſit vitæ ſpiritualis initium, nullum ſupponit actum, in cujus virtute contineatur, adeoque nequit haberi in voto; acproindè neceſſarius eſt in re. Oſtendit demùm, actum fidei interio-

rem posse esse meritorium, si nimirùm, procedat ex motione gratiæ; nec tale meritũ minui ex rationibus inducentibus ad credendum. *De* confessione autem fidei resolvit q. 3. esse illius actum, & ad salutẽ necessariam; non quidem semper, sed solùm quando ex ejus omissione subtraheretur, aut honor debitus Deo, aut utilitas proximis impendenda. Et ratio S.D. est, quia præceptũ de fide exteriùs profitendâ, est affirmativũ; præceptũ autem de fide non negandâ, cùm negativum sit, obligat ad semper, adeoque nunquàm licet fidem negare, etiamsi corde retineatur.

843 Hinc, nec licet unquàm falsam simulare Relig. perinde enim est, quòd quis rebus, aut verbis significet, se esse idôlatram. *Nec* exemplum Jehû in oppositum urget, fuit enim idôlatra; nec pro simulatione, sed pro zelo (quô Baal destruxit) remuneratus est. Unde nec licet unquàm uti infidelium signis, aut vestibus (ex usu universali, falsæ eorum religionis protestativis) id enim non foret veram relig. occultare, sed falsam exteriùs profiteri: ut si quis Idôlo thurificaret, aut genuflecteret, quantunvis illud interiùs despiceret, & actiones illas ad occultam Christi Imag. ordinaret; nec enim potest simulantis intentio vulgares rerum significationes immutare. *Quæst.* 4. agit de habitu Fidei, sic illum diffiniens a. 1. ex Apost. Hebr. 11. *Habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus.* In reliquis verò exponit illius genus (remotum, & proximum;) unitatem specificam, & numericam; differentiã demùm ab aliis virtutibus, diffiniens, esse omnium primam, & cunctis intellectualibus longè certiorem.

844 *Quæst.* 5. differit de causa materiali, seu subjecto *quod* fidei, agnoscens illã in Angelis in statu viæ, in Protop. ante lapsum, in peccatoribus fidelibus, & animabus Purg. secus in Beatis, damnatis, hæreticis. *Resolvit* demùm, posse illam esse intensivè, aut extensivè majorem in uno, quàm in alio, ob majorem, aut credentis fervorem, aut fidei in plura explicationem. *Quæst.* 6. ostendit, fidem nullum in arbitrii viribus initium habere; sed unicam illius causam efficientem

tem esse Deum, qui habitum (seu formatum, seu informem) solus infundit, credenda revelat, & ad assentiendum revelatis interiùs movet per gratiam. *Quæst.* 7. duplicem fidei effectû assignat, timorem scilicèt, seu filialem (quem formata causat) seu servilem (quem causat informis;) & cordis purificationem, vel perfectam (si fides sit viva) vel saltèm ab errore (si sit informis.) *In* reliquis 9. quæst. agit S. D. de Donis correspondentibus fidei; de vitiis illi oppositis; & de præceptis fidei, & donorum intellectûs, & scientiæ, quæ, quia apertissima sunt, missa facimus. De Fide igitur hactenùs.

DISPUTATIO UNICA.

De Spe Theologica à q. 17. ad 22.

TRactatû de Fide absolutô, differit S. D. de Spe Theol. à q. 17. ad 22. inclusivè, quatuor (juxta præfixam sibi methodum) ordinatè considerans, nimirùm, Spem ipsam, donum correspondens, oppositа vitia, & tandem præcepta. Ea tamen paucis absolvit, quia pauca discutienda concernunt. Tanto igitur D. morem gerentes, totum de Spe Tract. unicâ disp. comprehendimus, & singula laudata capita sequentibus dubiis perlustrabimus. Sit igitur

DUBIUM I.

Quodnam, & quale sit objectum formale Spei?

845 ANte resol. nota, *Spem* quandoque latè sumi, vel pro timore, juxta illud Judith 13. *Sperabant eam non esse venturam*, ideſt, *timebant*; vel pro expectatione cujuscumque eventûs futuri, (seu boni, seu mali) di-

dixit enim aliquando Cicero, *ſpem malorum*, & Virg. 4. Æneidos *ſperare dolorem*. Strictè autem accepta, ſolîus eſt boni; & dividitur in *ſenſibilem* (in iraſcibili reſidentem) homini proinde, brutiſque communem; & *intellectualem*, ſeu hominis propriam, in voluntate ſubjectatam. *Theologicè* autem ſumitur pro actu, vel habitu, quô tendimus in conſecutionem ſummi boni, & eſt virtus Theol. quæ animi noſtri *baculus*, *fulcrum*, *anchora*, *calcar*, *galea*, & *pes* jurè audit, quia ſcilicèt, illâ innixus, fultus, firmatus, munîtus, ſtimulatus, incedit, & in Cœleſtem Patriam, eam delibando, feſtînat. *Aliquandò* tamen accipitur pro objecto ipſo quod ſperatur, ut ad Titũ 3. *ſpectantes beatam ſpem*, vel etiam pro illo, à quo illud ſperamus, ut Pſal. 90. *Tu es Domine ſpes mea*. Hîc autem loquimur de habitu; cujus ut naturam explicet D. S. ſingulas illius (pro more) ſcrutatur cauſas, finalem præcipuè, quæ cum objectiva recurrit; quam & nos præſenti dub. inveſtigamus. Pro quo recolenda ſunt, quæ circa objecti diviſionem, diximus ſup. n. 604. Quibus ſuppoſitis, ſit

846 Prima concl. *Objectum formale* quod *ſpei ſolus eſt Deus, ut conſequendus*; *formale verò* quo *ſola Divina Omnipotentia*, *ut auxilians*. Eſt comm. Thomiſt. expreſſa D. Th. hîc, alibique, & quoàd 1. p. conſtat. *Tum*, quia ſolus Deus, *ut aſſecutus*, eſt objectum fruitionis beatificę: ergo & ſpei, *ut aſſequendus*; utraque enim idem reſpicit, cũ ſola differẽtia viæ, & termini. *Tum*, quia objectum formale *quod* virtutis Theol. eſt adæquatè divinum, ut patet in reliquis. Et ſanè, aliàs Religio foret virtus theol. cùm reſpiciat Deum, ut colendum. *Demùm*, quia ſolus Deus per ſe primò ſperatur aſſequendus, ſecùs beatitudo formalis cũ hæc propriè ſit ipſa aſſecutio, adeoquè conditio eſt, non objectum. Nec iſta ſperatur niſi propter Deum; unde inter objecta purè materialia ſpei numeranda eſt, ſicut & reliqua bona creata, quæ in ordine ad beatitudinem objectivam ſperantur.

847 Quoàd 2. verò p. etiam prob. quia ſpes tota innititur uni divino auxilio activè ſumpto, ſeu ſoli Deo, Omnipotenti auxiliatori: non ſecùs ac fides, ſoli primę Veritati re-

revelanti: Et ſicut fidelis interrogatus, cur myſteria credit? rectè reſp. *quia Deus dicit*; ubi tandem ſiſtit fidei reſolutio: ſic interrogatus, cur beatitudinem ſperet? rectè reſp. *quia Deus eſt Omnip. & ad illam obtinendam paratus eſt nobis opitulari. Futuritio* autem, & *arduitas* ſummi boni, non ſunt motivũ formale ſpei, ſed conditiones objecti: ſicut *obſcuritas*, in objecto fidei. Et quidem *arduitas* potiùs rêtrahit, quàm moveat ad ſperandum. *Ipſa* verò divina bonitas, ut amabilis amore concupiſcentiæ, non eſt motivum ſperandi, ſed potiùs eſt id ipſum quod ſperatur: ideoque interrogatus quis, cur ſperet? neutiquàm reſponderet, *quia Deus eſt ſumma bonitas amabilis amore concupiſcentiæ.*

848 Secunda concl. *Objectum ſpei eſt bonum futurum, arduum, poſſibile haberi.* Concl. continet conditiones objecti ſpei, eſtque expreſſa D.Th. hîc a.7. & q. de ſpe a. 1. Prob. autem: Quia ſpes differt à timore, gaudio, deſiderio, & deſperatione; ſed bonitas objecti diſtinguit ſpem à timore, futuritio à gaudio, arduitas à ſimplici deſiderio, & poſſibilitas à deſperatione: ergo. *Ex* quibus habes, D.Th. duplicem objecti ſpei futuritionem indicare: alteram inadæquatam, per ly *futurum*, quæ cum carentia exiſtentiæ nondùm habitæ, aut præſentis, recurrit: per hanc quippè diſtinguitur objectum ſpei à gaudii objecto, quod debet eſſe præſens, aut poſſeſſum. Alteram adæquatam, per ly *poſſibile haberi*, quę abſolutæ objecti poſſibilitati addit determinationem, juxta dicta to. 1. à n. 308. hæc autem non oportet, quòd ſemper ſit realis, & phyſica (aliàs reprobi ſperare non poſſent beatitudinẽ, ſibi phyſicè non futurã;) ſed ſatis eſt, quòd prudenter apprehendatur, aut judicetur à ſperante, certò vel contingenter futura. Et hæc beatitudinis futuritio ſecernit ſpem à deſperatione. *Arduitas* autẽ objecti ſpei cõſiſtit in ipſa ſummi boni excellentia, vi cujus ſolô divinô aux. adipiſci valet, ut docet D.Th. hîc a.5. ad 8.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

849 Opp. 1. cont. 1. p. 1. concl. Beatitudo form. ſeu aſſecutio Dei, reverâ ſperatur, & concupiſcitur, eſtque ardua, poſſibilis haberi, & objectum gaudii beatifici: ergo.

Est pręt. desperationis objectum : ergo & spei. *Ad* 1. dist. ant. quoàd omnes pp. speratur, &c. Tanquàm conditio, C. tanquàm finis, subdist. tanquàm finis *quo*, C. tanquàm finis *qui*, N. ant. & cons. Et eôdem modô R. ad 2. desperans enim, desperat Deum ut finem *qui*; consecutionem autem ejus, tanquam medium, conditionem, & finem *quo*. Recole dicta circa hanc finis divisionem to. 2. n. 1. *Nota* autem, ut instantias pręcludas, quòd licèt finis *quo* semper sit effectus mediorum; secùs finis *qui*, cùm iste interdùm omninò præsupponatur ad illa, ut patet in pecunia, quam non cudit avarus, sed congregat: Deus autem est finis *qui*, ut dicitur 1. 2. q. 3. a. 1. Et præmium *quod*, à mediis prorsùs incausabile.

850 Opp. 2. ad idem : Objectum form. *quod* spei, est ultimus finis; sed iste non est solus Deus, sed etiam ipsius adeptio, juxta D.Th. 1. 2. q. 11. a. 3. ad 3. ergo. *Præt.* Hìc q. 17. a. 2. docet, quòd objectum spei est bonum infinitum quod *est vita æterna, quæ in fruitione Dei consistit* : ergo. *Ad* 1. dist. min. Ita quòd adeptio importetur tanquàm conditio ex p. finis, C. tanquàm pars finis, N. min. & cons. *Ad* 2. respondet Ferre, loqui D.Th. de *vita æterna* objectivâ. Sed quis non videat, id Litterę planè adversari, cùm Dei fruitio (in qua vita æterna consistere dicitur) non objectiva, sed formalis vita ęterna sit? R. ergo, quòd dùm S. D. ait, *bonum infinitum consistere in fruitione Dei*, intelligendum est *objectivè, terminativè*, seu *adeptivè*. Nec enim fruitio, seu vita æterna de qua loquitur, est in se bonum infinitum (cùm sit creata) sed hujus adeptio. *Nota* autem, ut aliis occurras, quòd *Deus assequendus* non comparatur ad spem, sicut corpus coloratum ad visum; sed sicut bonum apprehensum ad voluntatem.

851 Opp. 3. cont. 2. p. ejusd. *Arduitas* distinguit irascibilem à concupiscibili : ergo est ratio form. illius : ergo & spei, in illa residentis : ergo non sola Omnipotentia, &c. *Præt.* Ratio form. sperandi ultimum finem, est ipsa hujus bonitas & utilitas; hæc enim est quæ movet ad illius ardens desiderium, & vehementem amorem. *R.* ad 1. N. cons.

Quan-

Quanvis enim *arduitas* sit mera conditio objecti irascibilis, & spei; distinguere potest illam à concupis. & spem à simplici desiderio: sicut *obscuritas* distinguit fidem à scientia: sicut ergo non omne constitutivum est distinctivum, ut patet in genere; ita nec omne distinctivum est constitutivum. *Ad* 2. N. ant. Ad prob. N. conseq. si in ant. sit sermo de simplici desid. & amore: nam spes est quidem desiderium & amor, non qualiscumque rei, sed habendæ auxiliô alterius; quod proinde ad illam movet, potiùs quàm bonitas ipsa rei: quemadmodùm ad assensum fidei, non tàm veritas ipsa rei, quàm divina revelatio movet.

852 Opp. 4. cont. eand. *Auxilium per quod aliquis sperat bonum obtinere, habet rationem causæ efficientis*, ut ait D. Th. hîc, q. 17. a. 4. ergo non est ratio form. *sub qua*, seu motivum sperandi. *Præt.* Timor Dei, ut potentis æternùm punire, non est virtus theol. ergo nec spes innixa soli Deo Omnip. auxiliatori. *Ad* 1. N. conseq. Nec enim tale aux. habet rationem causæ efficientis respectu actûs vel habitûs spei, sed respectu finîs assequendi; ad spem autem comparatur, ut movens, juxta sæpè dicta. *Ad* 2. R. disp. esse, quòd licèt Deus quadantenùs sit ratio form. seu motivum timendi pœnam æternam, non tamen ille, sed ista timetur tanquàm objectum form. *quod*, cùm istud debeat esse malum respectu timoris. Deus autem est qui per se primò speratur, ipsô opitulantê, assequendus.

853 Opp. tandem cont. explicationem futuritionis objecti spei. Judicium regulativum spei, utpotè supernaturale, debet esse certum, & infallibile: ergo nequit esse de beatitudine contingenter futurâ, seu de illius contingenti futuritione, quę potest aliter se habere. N. cons. nam tale judicium est omninò necessarium, & infallibile, etiam speculativè; nam licèt hæc propositio, *Vita æterna est Petro futura*, sit contingens; hæc tamen est necessaria, *Vita æterna est Petro contingenter futura*: sicut ista: *Petrus contingenter currit.* Alia solut. adhiberi solita, nobis probari non potest, ob dicta to. 2. à n. 445.

*** ***

DU-

DUBIUM II.

In quibus sit Spes Theologica?

854 COnsultò de solo subjecto *quod* Spei inquirimus, certum enim est, subjectum *quo* illius esse voluntatem. Ante resol. autem supp. spem esse virtutem Theol. à reliquis condistinctam: *Tum*, quia illis connumeratur 1. Cor. 13. ubi autem non est distinctio, ibi non est numerus. *Tum*, quia sub alia, ac illæ, ratione formali attingit Deum. Et quidem à fide, potentiâ, à charitate verò, subjectô separatur; cùm fides sit in intellectu, charitas autem in peccatore non maneat. De illarum autem ordine & connexione, diximus to. 2. à n. 713. De ordine autem perfectionis inter fidem & spem, non est eadem apud Nostrates sent. crediderim tamen, spem præcellere, saltèm in genere moris, nam illam sæpè D.Th. præfert fidei: *Charitas* (inquit q. 3. de verit. à 3.) *est major, quia propinquiùs Deo conjungit, & spes major quàm fides, quia spes aliqualiter movet affectum in Deum, fides autem facit Deum in homine esse per modum cognitionis.* His supp. sit

855 Concl. *In solis fidelibus viatoribus in desperationem aut præsumptionem non lapsis, & in animabus Purg. est spes theol.* Est D. Th. ferè com. & prob. Quia spes neque in beatis, neque in damnatis, neque in infidelibus invenitur. Non quidem in beatis, quibus beatitudo, non jam absens, futura, & ardua, sed præsens, inamissibilis, & suavis est. *Quod videt quis, quid sperat?* ait Apost. Rom. 8. Et 1. Cor. 13. solam charitatem nunquàm excidere asseverat. *Major* profectò est repugnantia spei cum fruitione boni possessi, quàm fidei cum visione, ut docet D. Th. 1.2.q.67.a.5. *In* damnatis autem non remanere spem, est fide certum ex illo Prov. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit ultrà spes.* Patet insuper: *Tum*, quia carent fide theol. quæ est spei fundament. & regula. *Tum*, quia apprehendere non possunt beatitudinem

nem ut sibi possibilem, seu futuram, ob irrevocabile damnationis æternæ decretum, sibi notum, ut ait S. D. hîc q. 18. a. 3. *Nec* demùm in infidelibus est spes theol. Fides enim est spei fundamentum, *& substantia sperandum rerum*; destructô autem fundamentô, corruat necesse est, res fundata: Spes igitur non solâ desperatione evertitur, sed fidei destructione eradicatur, sicut virtus moralis, extinctâ prudentiâ, & accidens, pereunte subjectô. De permanentia autem spei in peccatoribus fidelibus non desperantibus, aut præsumentibus, dictum est satis to. 2. à 713. *Quòd* autem in Animabus Purg. maneat, traditur à D. Th. à 8. & constat, quia beatitudo est illis futura, & habenda auxiliô Dei, id quod ipsę firmiter credunt: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

856 Opp. 1. Beati sperant aliis beatitudinem; sibi autem continuationem illius, gloriam corporis, & gaudia accidentalia: ergo. *Prət.* Christus, tametsi perfectè comprehensor à principio suæ conceptionis, habuit spem, dicitur enim in Psal. ex ejus persona: *In te Domine speravi*: ergo pariter. *Ad* 1. R. Beatos nihil sibi, aut aliis propriè sperare, nè spê quidem communiter sumptâ, habent quippè, ratione statûs, inevitabilem causam obtinendi omnia quę desiderare possunt: quorum proinde nihil est illis arduum. Cùm enim summè conformentur voluntati divinæ, non desiderant aliis efficaciter (qualiter ad spem exigitur) nisi ea quę Deus vult eos ita desiderare, & per eos implere: adeoque semper obtinent quod efficaciter desiderant. Quidquid ergo sibi, aut aliis optant, non motû spei (in arduum tendente) desiderant, sed ex amore charitatis, objecta illa ordinantis in Deum amicabiliter summè dilectum. *Continuationem* autem beatitudinis, neutiquàm desiderare possunt, quia beati æternitatem participant, in qua non est præteritum & futurum; unde & beatitudo dicitur vita æterna. Sic D. Th. hîc q. 18. a. 2. ad 2. & q. de Spe a. 4. ad 3. *Ad* 2. R. disp. esse, quia Christus erat simul viator, & quà talis tendebat ad gloriam corporis, per meritum acquirendam, adeoque ut non possessam.

Opp. 2.

857 Opp. 2. De diabolo dicitur Job. 41. *Spes ejus frustrabitur eum*: ergo. *Præt.* Fides informis remanet in damnatis juxta illud Jac. 2. *Dæmones credunt, & contremiscunt*: ergo & spes informis. *Præt.* Animæ Purg. Non sunt in via: habent insuper omnimodam suæ beatitudinis certitudinem: ergo. *Ad* 1. R. illud Job intelligi, juxta Greg. de diabolo, secundum membra ejus. *Vel*, si intelligitur de ipso diabolo, referri ad spem, quâ expectat victoriam de justis obtinere. Sic D. Th. a. 3. ad 1. Sed talis expectatio non nisi impropriè spes dici potest; hæc enim, qualiscumque sit, non est nisi boni. *Ad* 2. respondet ad 2. datô ant. (cujus falsitatem planè ostenderat sup. q. 5. a. 2.) neg. cons. ob majorem repugnantiam spei, quàm fidei, respectu damnati; quia spes non est nisi rerum bonarum futurarum, ad se pertinentium; fides verò, etiam malarum, præteritarum, præsentium, & alienarum. *Ad ult.* R. Animas illas esse in via ad beatitudinem, quanvis non ad meritum. Nec beatitudinis certitudo obest spei, reali illius assecutione evacuandæ, aliàs nec Beatissima Virgo spem habuisset.

858 Inquires: An spes viatorum habeat certitudinem? R. affirmativè cum D. Th. hîc q. 18. a. 4. constatque ex illo 2. ad Tim. 1. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare.* Hæc autem certitudo est spei intrinseca, à fide derivata, & à divinô auxilio tanquàm ab extrinsecâ & objectivâ regulâ pendens. Estque firmitas & securitas quædam voluntatis tendentis in beatitudinem, Dei Omnipotentis & infinitę misericordiæ auxiliô consequendam: Unde, quòd aliqui habentes spem, à beatitudinis consecutione deficiant, neutiquàm præjudicat certitudini spei; id enim prôvenit ex libero arbitrio ponente obicem peccati; non autem ex defectu divinæ potentiæ vel misericordiæ, cui spes innititur, ut loquitur S.D. ad 3. *Deus enim (nisi ipsi illius gratiæ defuerint) sicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere*, ut inquit Trid. sess. 6. cap. 13. Resolutio igitur D. Th. quòd scilicèt, *spes certitudinaliter tendit in suum finem*, est fide certa.

☞ (***) ☜

DU-

DUBIUM III.

Utrum ille, cui facta esset absoluta revelatio de suâ damnatione, posset, & teneretur sperare?

859 EXpositâ Virtute Spei secundum se, agit S. D. q. 19. de dono Timoris, Spei correspondente, qq. autem 20. & 21. de vitiis Spei oppositis, scilicèt desperatione, & præsumptione. Circa quæ nihil occurrit dicendum. Quæst. demùm 22. differit de præceptis ad spem & timorem pertinentibus, ad quorum elucidationem præsens occurrit dubium. In cujus hypothesi admittenda, hærent non nulli veteres cum D. Bonav. existimantes, illam absolutè impossibilem. Sed D. Th. communitèr secutus q. 23. de verit. a. 8. quanvis illam judicet impossibilem de potentia ordin. secùs de potentia absoluta. Et quidem meritò, nulla etenim apparet implicantia contradictionis in facto. Hôc igitur supp.

860 Concl. est neg. expressa D. Th. ubi proximè, & ferè comm. cont. nonnullos quibus subscribit Contens. & prob. *Tum* ex D. Th. asserente, revelationem illam esse de potentia ord. impossibilem, *quia talis revelatio* (inquit) *cogeret eum desperare*: ergo. Potentia enim, & obligatio sperandi, stare nequit cum coactione, seu necessitate desperandi, seu non sperandi. *Tum*, quia revelatio illa destruit Spei objectum respectu talis reprobi, cùm reddat infallibiliter non futuram summi boni assecutionem. Inducit præterea judiciũ infallibile damnationis, prorsùs incompossibile cũ judicio de futuritione (certâ, aut contingenti) beatitudinis, ad objectum Spei essentialiter exactô: Hæc quippè complicatoria sunt, *carentia beatitudinis est mihi certò futura*, seu, *Beatitudo est mihi certò non futura*, &, *Beatitudo est mihi certò vel contingenter futura*. Omnes autem evasiones facilè præcluduntur, perpensô, ut par est, discrimine inter absolutam beatitudinis *possibilitatem* (ad liberam salvationem requisi-

tam)

tam) & illius *futuritionem*, ad Spem necessariò exactam, & cujus judicium funditùs vertit revelatio illa, tametsi compatiatur judicium de beatitudinis possibilitate: Unde nec homo ille teneretur sperare; ad impossibile enim nemo tenetur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

861 Opp. 1. In hypothesi quæst. adhùc potest miser ille salvari: ergo & potest applicare media ad salutis æternæ consecutionem necessaria; sed unum ex his est actus Spei: ergo. *Posset* insuper, & teneretur de suo peccato pœnitêre, si in illud fuerit lapsus; sed ad pœnitentiam requiritur actus Spei, juxta Trid. ergo. *Posset* demùm, & teneretur ad actum charitatis; sed charitas sine Spe esse non potest: ergo. *Ad* 1. R. dist. min. Juxta præsentem provid. & nullâ factâ supp. reddente illum impossibilem, C. secùs, N. min. & cons. Actus enim virtutum sunt media necessaria ad salutè quatenùs sunt in præcepto: quidquid ergo reddit illos impossibiles, eximitque proinde ab obligatione præcepti, extrahit pariter eos à ratione medii ad salutem; ut patet in Philosopho Christ. cui non est medium ad salutè credere existentiam Dei naturalem, quia est illi impossibile, propter evidentiam. *Ad* 2. (datô, quòd Trid. requirat ad pœnitentiam, non modò spem veniæ, sed etiam beatitudinis) R. dist. min. eôdem modô. *Ad ult.* similiter R. charitatem esse non posse sine Spe, juxta præsentem provid. & stante objectô spei. Secùs, si secùs, ut patet in beato.

862 Opp. 2. Positô præceptô de morte, potuit Christus non mori in sensu divisô: ergo pariter. *Prę.* Efficacitèr præmotus ad assensum, potest non assentire, & dissentire: ergo pariter; æqualis enim est utrobique connexio. *Præt.* Factâ alicui revelat. decreti de non conferendo sibi auxiliô efficaci ad sperandum, posset ille sperare, tametsi non posset apprehendere ut futurum actum Spei: ergo & sperare poterit in hypothesi quæst. quantunvis salutis futuritionem apprehendere nequeat. *Tandem*: Potest quis efficaciter velle id, cujus oppositum evidenter scit esse futurum; Christus enim evidenter cognoscebat omnia futura, quo-

quorum oppositum poterat efficaciter velle, liberè siquidem volebat illa : ergo.

863 *Ad* 1. R. disp. esse, quia ad salvandam libertatem sufficit possibilitas extremi; ad Spem autem requiritur futuritio objecti. Unde nec Christus (quantunvis liber ad non moriendum) potuit mortis vitationem sperare : Adeoque nec reprobus ille posset sperare salutem, seu damnationis vitationem, tametsi liber manêret ad salutem, propter absolutam hujus possibilitatem. *Ad* 2. Dist. ant. Posset ille sperare salutem, C. actum Spei, N. ant. & cons. Itaque sinè futuritione auxilii efficacis ad sperandum, potest quis sperare salutem, sicut potest sine illo, cùm requiratur per modum applicationis, supponentis integrum posse; nequit tamen sperare salutem sine hujus futuritione, saltèm apprehensâ; quia futuritio rei requiritur ad actum Spei ex parte objecti, quod comparatur ad illum tanquàm forma & actus primus. In hypothesi autem antecedentis, non posset sperare actum Spei, cùm non posset illum apprehendere ut futurum.

864 *Dices*: Beatitudo sperari nequit nisi per actum Spei: ergo si in ea hypothesi sperari non potest actus Spei, nec beatitudo. *N.* cons. Nam beatitudo ut sperari possit, sufficit possibilitas actûs Spei, ut ex terminis liquet; ut autem actus ipse possit sperari, requiritur illius futuritio, propter dicta. Beatitudo igitur, ut sperari possit, exigit ex p. sui objecti futuritionem; ex p. autem actûs, solam possibilitatem. *Ad ult.* permissô ant. N. cons. Ad Spem enim requiritur futuritio objecti; secùs ad volitionem efficacem; potest enim quis efficaciter velle oppositum ejus, quod jam defacto habet, ut patet in damnatis efficaciter desiderantibus pœnarum carentiam, quam neutiquàm sperare valent. Unô verbô : volitio, seu desiderium efficax, requirit rei possibilitatem; Spes autem, futuritionem. *Nota* autem, ut aliis occurras, quòd licèt absolutè loquendo, possit quis damnari propter omissionem actûs Spei, non tamen in hypothesi præsentis dubii.

865 Inquires : An reprobus ille posset, positivè desperan-

rando, peccare? *R.* quòd posset peccare, & posset non peccare. Si enim desperaret ex falsa existimatione de divina bonitate, aut misericordia; peccaret utiquè, ut docet D. Th. hîc q. 20. a. 1. Secùs, si desperaret ex judiciô verô de non futuritione propriæ salutis, ob divinam revelat. sicut nemo peccat positivè desperando Anti-Christi beatitudinem, ob divinam revelat. de illius futura damnatione. *Nec* motus ille desperationis foret intrinsecè malus, nec Spei formalirer & directè oppositus, sed materialiter solùm, indirectè, & ex parte: quemadmodùm assensus scientificus de existentia naturali Dei opponitur fidei de eadem existentia. *Nec* damnatis imputatur ad culpam, quòd desperent beatitudinẽ ex judicio non futuritionis illius, ut docet D. Th. hîc q. 20. a. 1. ad 3. *Sicut etiam in statu viæ* (subdit S. D.) *si quis desperaret de eo, quod non est natus adipisci, vel quod non est debitum adipisci, non esset peccatum: puta, si Medicus desperet de curatione alicujus infirmi, vel si aliquis desperet, se fore divitias adepturum.*

866 Dices: Hînc sequi, desperationem non esse peccaminosam, nisi cum infidelitate conjungatur; falsa enim existimatio de Deo, est infidelitas; sed consequens adversatur D. Th. hîc q. 20. a. 2. ergo. N. sequel. ad prob. dist. ant. Falsa existimatio de Deo, si universalis sit, C. si particularis, N. *Potest* enim aliquis *retinendo in universali veram existimationem fidei, quòd scilicèt, est remissio peccatorum in Ecclesia, pati motum desperationis, quòd scilicèt, sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, corrupta ejus æstimatione circa particularia. Et per hunc modum potest esse desperatio sine infiedilitate.* Talis autem desperatio ex judicio vero procedens, non induceret per se ad effrenatè vivendum, nullam enim dicit ex se connexionem cum peccatis: sicut nec divina revelatio facta de damnatione, nec fides illi præstita. Sed de his hactenùs.

TRA-

TRACTATUS VII.

DE CHARITATE, ad q. 23. & seq.

467 EXPOSITIS Fide & Spe, gradum facit Ang. Doct. ad contemplandam omnium virtutum optimam maximam Charitatem, cujus piâ tractus dulcedine, totus in ea veluti immersus apparet; & susceptam refundens gratiam, quę de illa novit arcana, ad Theologiam speculativam, mysticam, & moralem pertinentia, per 24. quæst. mirificè pandit; adeòque perspicuè, ut ad eorum captum sola legentium diligentia desideretur. *Porrò* Theologi Scholastici ea solùm speculari de Charit. solent, quæ ad illius naturam, productionem, augmentum, & amissionem spectant, de quibus S. D. q. 23. & 24. Ad quorum elucidationem, sit

DISPUTATIO I.

De Natura Charitatis.

SUppositâ Charitatis existentiâ ex dictis 1. 2. q. 62. explicat S. D. illius quidditatem per suas quatuor causas. Et primò per finalem, quæ cum objectiva specificante coincidit, ut de fide & spe dictum est. Et quia Deus est Charitatis objectum, ut terminans amicitiam, ideò primò inquirit: *Utrum Charitas sit amicitia?* Ad cujus intelligentiam sit

DUBIUM I.

Utrum Charitas sit propriè & simpliciter amicitia hominis ad Deum?

868 CONcl. est affirm. Et com. contra Dur. cujus opinatio *erronea*, & *hæresi proxima* jurè audit. Constat enim concl. apertiss. Scrip. test. Psal. 38. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Sap. 7. *Sapientia amicos Dei constituit.* Et iterum: *Quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Joan. 13. *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Et iterùm: *Vos amici mei estis*, si, &c. Quæ strictè accipienda sunt, cùm nullum inde sequatur absurdum. Concinunt universi PP. Et ratio est manifesta. Est enim Charitas amor benevolentiæ cum reciproca redamatione & communicatione bonorum inter hominem & Deum: per illam enim volumus Deo suam bonitatem, debitum honorem, & reliqua bona, seu intrinseca, seu extrinseca: redamamur ab illo, ipsô attestante Prov. 8. *Ego diligentes me diligo.* Et J. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Communicat demùm nobis supernaturalia bona, pro quibus illi retribuimus gratiarum actiones, laudem, obsequium: ergo. Nec enim ampliùs ad veram exigitur amicitiam, juxta Phil. 8. Ethic.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

869 Opp. 1. Deus nihil, præter suam bonitatem, amat ut finem, juxta illud Prov. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*: ergo nequit velle homini bonum propter ipsum hominem, quod tamen exigit amicabilis benevolentia. *Præt.* Benevolentiâ desideramus amicis bona, quæ non habent, & gaudemus cum illis adveniunt: ergo non possumus diligere illâ Deum, cui nihil boni acquiri potest. *Ad* 1. R. de ratione amicitiæ esse, velle bonum amico propter ipsum tanquàm subjectum, non autem tanquàm finem & objectum. Bona igitur quę Deus nobis in nostrum largi-

gitur commodum, ad se ut finem refert. *Omnia* igitur *fecit propter semetipsum, gratuita scilicèt bonitate; omnia propter electos suos, pro eorum scilicèt utilitate*, ut ait Ber. *Ad* 2. quò deceptus fuit Duran. R. Ad benevol. sufficere velle alteri bonum, vel per modum gaudii, vel per modum desiderii; aliàs non possemus benevolentiâ prosequi amicum undequaquè felicem. Possumus igitur amicabiliter Deum diligere, *tum* de intrinsecis ejus bonis ipsi congratulando & congaudendo, *tum* extrinseca (ut honorem, cultum, amorem, &c.) exhibendo, optando, & propagando: quemadmodùm & de injuriis ipsi illatis tristamur, & contra inhonorantes zelô tabescentes insurgimus.

870 Opp. 2. Inter Deum & hominem, infinitè distantes, nequit esse æqualitas, ad veram amicitiam exacta. *Præt.* Inter servum & dominum non potest esse vera & perfecta amicitia, juxta Phil. 8. Ethic. c. 1. sed justus appellatur & est servus Dei: ergo. *Ad* 1. N. ant. Ad amicit. enim *supereminentię*, quam inter filios & parentes, homines & Deum, agnovit Phil. solam exigit æqualit. proportionis, quam infinita illa entitativa distantia non tollit; imò apertè convincit gratuita hominum elevatio ad esse filiorum Dei, & naturæ divinæ consortium. Hinc Hier. super cap. 7. Mich. ait: *Amicitia pares, aut accipit, aut facit: siquidem amor est pondus & ignis: ignis, ut inferiorem elevet; pondus, ut superiorem deprimat.* Deus igitur *suæ divinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumpsit, ut homines Deos faceret, factus homo.* Inquit D.Th. opus. 57. *Ad* 2. R. ex ipso Phil. ibidem, quòd licèt: Dominus nequeat esse amicus servi, quà talis; benè verò quà hominis: Unde & justi amici Dei sunt, non quà ipsius servi, sed quà filii adoptivi nominantur & sunt.

871 Opp. 3. Benevolentia ad amicitiam exacta, debet esse non latens, juxta Phil. ubi sup. c. 2. sed talis non est amicitia inter Deum & homines, *nescit* enim *homo, utrum amore, vel odio dignus sit*, ut dicitur c. 9. Eccles. ergo. *Præt.* Charitas est virtus: ergo nequit esse amicitia, quæ, etsi virtutem consequatur, virtus non est, juxt. D.Th. q. 1. de Virt.

a.5. ad 5. *Tandem.* Amicitia exigit redamnationem; sed hanc non præstant inimici, quos tamen charitatê diligimus: ergo. *Ad* 1. explico maj. Debet esse non latens, ita, ut ad oculum pateat, aut infallibiliter cognoscatur, N. ita, quòd de illa signis & conjecturis certificemur, C. & sic dist. min. N. cons. Per testim. autem Eccles. non excluditur certitudo *conjecturalis*, ad amicitiam sufficiens; sed solùm *evidens* & scientifica. *Ad* 2. resp. D. Th. ibi & alibi, quòd licèt amicitia natur. non ponatur virtus à Phil. secùs est de charit. quę est amicitia supernaturalis. *Ad ult.* N. cons. Cùm enim inimicos diligamus, non propter se, sed propter Deũ; non oportet, quòd ab illis redamemur, sed à Deo. Sic D. hîc q.23.a.1. ad 3.

872 Inquires: An sit posibilis amicitia naturalis inter Deum & hominem? R. posibilem quidem esse, sed valdè imperf. Prima p. traditur à D.Th. 1. Cor. 13. alibique, & prob. quia in ordine naturali posibilis est inter illos benevolentia cum reciproca redamatione, & bonorum communicatione; plura insuper specialia sunt naturæ dona, quæ quibusdam, præ aliis, gratuitò confert Deus, juxta dicta Tract. de necesit. gratiæ. *Secunda* etiam p. constat, *tum* ex imperfectione bonorum illius ordinis, *tum* ex defectu respectûs filii ad patrem, adeoque æqualitatis, ad perfectam saltèm amicit. exactæ. *Talis* autem amicitia, foret quidem incomposibilis cum peccato, quia illius carentiam necessariò præsupponeret, non autem quia illud expellere posset, quod gratiæ justificantis proprium est; unde non esset forma sanctificans. *Inquiri* etiam hîc solet: an ratio amicitię sit charitati supernaturali essenrialis, vel potiùs ab illa separabilis? sed quia dub. istud nullius est momenti, nolumus in illo resolvendo tempus terere.

DU-

DUBIUM II.

Quia ratione bonitas divina sit objectum specificativum Charitatis?

873 CONCLUSIO: *Objectum specif. charitatis non est bonitas divina analogicè communis divinæ per essentiam, & per participationem; nec bonitas divinæ essentiæ, ut virtualiter distincta ab attributis & relationibus; sed sola divina bonitas quasi consurgens ex perfectione essentiæ, attributorum, & relationum.* Quoàd 1. p. est com. Thom. & prob. cont. P. Suar. & quosdam RR. *Tum*, quia objectum formale virtutis theol. tàm motivum, quàm terminativum, est solus Deus, & non aliquid sibi & creaturæ commune, ut sæpè, dictum est. *Tum*, quia sola bonitas divina per essentiam est objectum specif. divinæ volunt. ut ostendimus to. 1. à n. 474. ergo & charit. cùm hæc sit formalis illius particip.

874 Quoàd 2. verò p. est ferè com. Scholæ nostræ, quidquid âutumet Gonet, illam enim tenêt Caj. Ban. Conten. Salmant. adducentes J. à S. Th. pluresque alios quanvis non ità distinctè loquentes. Subscribit Escuder in M. S. Prob. autem cont. Gonet. Godoy in M. S. & Ferre. *Tum*, quia *Idem bonum est objectum Charit. & Spei*, juxta D. Th. hîc a. 6. ad 3. sed objectum spei non est bonitas divinę essentiæ, ut virtualiter distincta à bonitate attributorum & relationum: ergo. Prob. min. Idem bonum quod est objectum spei dùm abest, est objectum fruitionis beatificæ dùm habetur; sed fruitionis objectum est tota & adęquata Dei bonitas, non autem bonitas essentię, ut, &c. ergo. *Præt.* objectum formale charit. *est bonum divinum inquantùm est beatitudinis objectum*, ut perpetuò docet D. Th. id est, idem quod sub ratione *veri* est objectum beatitudinis, est objectum charit. sub ratione *boni*; sed objectum beatitudinis non est sola divina essentia, ut, &c. juxta dicta to. 2. à n. 42. ergo.

Tan-

875 Tandem quia objectum divinæ volunt. non est bonitas divinæ essentiæ, ut antevertentis attributa & relationes, sed bonitas attributalis, quæ ex vi formalis processionis communicatur Spiritûi S. juxta com. Sent. cùm ergo idem sit objectum charit. ac volunt. divinę, &c. *Et hinc* patet, quòd objectum charit. non est bonitas divina, quatenùs transcendens omnia Dei prædicata: aliàs bonitas essentiæ, omnipotentię, & cujuslibet prędicati divini, specificaret charitatem; bonitas enim transcendens, ad omnia descendit. Sed est *bonitas divina, quatenùs consurgit ex omni perfect. divina*; quę quidem peculiare attributum est, à reliquis, & ab essentia distinctum; quod dicitur *Bonitas divina*, divinam specificat volunt. & Spiritui S. ex vi formalis process. communicatur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

876 Opp. 1. cont. 1. p. charitatê diligimus proximum propter se, cùm illum & amicabiliter diligamus, & interdùm sine ulla ordinatione ad Deum: ergo non sola divina bonitas, sed abstrahens, est ratio diligendi per charitatem. *Prat.* Objectum formale attingi nequit sine materiali, ut patet in colore, qui videri non potest sine corpore; sed Deus sæpè charitatê diligitur, quin proximus diligatur: ergo. *Ad* 1. N. ant. ad 1. prob. patet ex dictis n. 869. amicitiæ non esse diligere amicum propter se, tanquàm objectum, seu rationem diligendi; sed tanquàm subjectum, cui bonum diligitur. *Ad* 2. prob. N. ant. *Ad* 2. N. maj. Intellectus enim non modò verum, sed & veritatem intelligit, & voluntas bonitatem amat. In visu autem oppositum contingit, ob illius imperfect. Sed quidquid sit de potêtiis, quis nesciat, in habitus distingui actus primarios, versatos erga object. formale, & secundarios erga materiale? *Et* sanè argum. probat, non jam bonitatem abstrahentem, sed rationem quandam à bono & malo præscindentem esse charitatis objectum, ut specificare valeat & odium peccati (à charitate utique elicitum) quod non minus ridiculum, quàm falsum est.

877 Opp. 2. ad idem: Bonitas supern. abstrahens à crea-

creata & increata est object. de se honestum, analogicè unum, & magis commnne, quàm bonitas creata, vel increata: ergo attingibilis est tanquàm object. form. per aliquam virtutem, adeoque per charit. *Prat.* Bonitas illa abstrahens specificare potest aliquem actum: ergo & habitum. *Ad* 1. N. cons. Ut enim ratio comm. attingatur ut objectum formale, rationes particulares attingi debent ex æquo; ita, quòd una non attingatur primariò & ratione sui; altera verò secundariò & ratione alterius: Cùm igitur bonitas creata attingi non possit ratione sui per habitum versatum erga bonitatem increatam; sed ratione istius attingi debeat; non potest bonitas illa abstrahens specificare habitum aliquem: sicut *nec verum revelatum*, nec *bonum consequibile*, à creato & increato prescindentia. *Ad* 2. omissâ solut. M. Gonet, N. ant. Actus enim illam diligens, non ab illa, sed à bonitate divina (ratione cujus diligitur) specificatur; non secùs ac dilectio proximi per charitatem.

878 Opp. 3. cont. 2. p. Natura divina ut virtualiter distincta ab attrib. & relat. est infinitè bona *formaliter* in linea essentiali, & *radicaliter* in omni linea: ergo movê e potest ratione sui ad dilectionem Dei super omnia. *Præe.* Gratia (quæ est particip. naturæ divinæ, ut virtualiter distinctæ ab, &c.) constituit hominem objectum divinæ dilectionis amicabilis: ergo & natura divina, sic accepta, constituit Deum amicabiliter à nobis diligibilem per charitat. *Postremò*: Si natura divina esset per impossibile sine attrib. & relat. esset ratio diligendi Deum per charit. ergo se sola charitatem specificat. *Ad* 1. N. ant. *Quod enim non habet ultimam perfect. quam debet habere... non dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundùm quid*, ut loquitur D.Th. 1. p. q. 5. a. 1. ad 1. Et hinc efficaciter expugnatur opposita sent. objectum enim charit. est Deus ut summè perfectus, & simpliciter bonus; qualis utiquè non intelligitur (juxta D.Th.) per solam essentiæ bonitatem. Videatur omninò S. D.

879 Permissô deinde ant. N. cons. Nam, ut Deus possit charitatê super omnia diligi, intelligi debet sub attribu-

to

to divinæ bonitatis formaliter & expressè, ad quod perfectio Deo debita in omni linea intelligenda est. Et licèt bonitas essentiæ divinæ sit in se infinita, Deum tamen (cui aliæ bonitates infinitæ debentur) simpliciter bonum non constituit, adeòque nec charitatis objectum. Nam aliquid esse simpliciter bonum, non tàm dicit habere majorem, vel minorem bonitatem (ad quod infinitas pertinet) quàm habere omnem bonitatem sibi proportionatam & debitam, juxta D.Th. *Ad* 2. R. disp. esse, quia tota gratiæ perfectio consistit in tali participatione, quâ proindè intelligitur plenè perfecta, & simpliciter bona, adeoque reddit hominem absolutè sanctum, & objectum congruum divinæ dilectionis; non secùs ac lumen gloriæ, ob formalem particip. intellectûs divini, ut virtualiter distincti ab essentia, ac reliqnis attrib. Tota autem perfectio Deo debita, non intelligitur in sola essentia, aut solo intellectu; adeoquè constituere nõ possunt Deum objectum diligibile amorê amicabili. *Ad ult.* N. cons. Quia in illâ hypoth. essentia sola esset simpliciter bona & perfecta; secùs juxta verit. & rebus ut nunc. ut diximus to. 2. n. 49. occurrentes Scoti argumento, quod proinde ab homine Thomista induci non debet. Alia arg. opponi solent, pariter Scotistica, quæ solvimus to. 1. n. 245. & 247.

DUBIUM III.

Utrum Charitas sit excellentissima virtutum, etiam in genere physico?

880 SUpp. 1. cont. Mag. charitatem esse quid creatum in anima, à Spiritû S. proinde distinctum, & ab illo diffusum, juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.* Et illud Trid. sess. 6. cap. 7. *Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret.* Supp. 2. esse virtutem theol. specialem, fidei & spei condistinctam, *tum* ex illo 1. Cor. 13.

Nunc

Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Tum, quia habet speciale object. bonum scilicèt divinum, inquantùm est beatitudinis object. *Supp.* tandèm, esse unam simpliciter virtutem, ob unitatem divinæ bonitatis, sicut fides est una, propter unitatem divinæ verit. *Nec* potest esse nisi una amicitia, cùm & unicum habeat finem (scilicèt, bonitatem divinam) & unica sit beatitudinis æternæ communicatio, super quam hæc amicitia fundatur. Hæc omnia tradit S.D. q. 23. aa. 2. 3. 4. & 5. Quibus supp.

881 Conclus. est affirm. Et quidem quoàd præstantiam saltèm in genere moris, est fidê certa ex illo 1. Cor. 13. *Major horum est charitas.* Ex illo Matth. 22. *Hoc est maximum & primum mandatum.* Loquitur autem Dom. de præcep. charitatis. Idem constat ex pluribus aliis Scrip. test. Et ex Trid. sess. 6. cap. 7. ex professo declarante, fidem sine charit. & operibus bonis, mortuam esse; & can. 9. proscribente errorem, asserrentium, *impios sola fide justificari*: quibus fusiùs vertit oppositam conclusioni nostræ hæresim. *Accedit* rat. D.Th. a. 6. cùm enim charitas versetur erga Deum *in se & propter se*, perfectiùs illum attingit, quàm fides, respiciens illum obscurè revelantem se; & quàm spes, attingens illum, ut auxiliantem ad sui consecutionem: est igitur illis perfectior saltèm moraliter, adeoque & reliquis virtut. seu moralibus, seu intellectualibus, quibus omnibus præstant utique theologicę.

882 Quoàd excessum verò etiam entitativum, seu in genere physico, est ferè com. & inter Nostrates frequentior; illam quippè tenent Caj. Bañ. Med. G. Mart. Arau. J. à S. Th. Salmant. Godoy, Gonet, aliique plures cont. Ferrar. Pet. de Herrera in M. S. Serra, & Ferre. Prob. autem *tum* ex D.Th. hîc & 1. 2. q. 66. a. 6. alibiquè, absolutè docente, charitatem esse omnium virt. potissimam. *Tum* rat. quâ perpetuò utitur: Objectum enim charit. quà tale (bonitas scilicèt divina in se, & propter se attacta) est absolutè perfectius objectô fidei, quà tali, nempè, veritate divinâ obscurè & abstractivè attactâ, adeoquè & reliquis omnium virt. objectis: ergo charitas excellit reliquas omnes virt. in perfe-

fectione physica, quæ ex objecto pensatur, juxta D.Th. 1.2. q.66. a. 6. *Præt.* Actus charitatis beatificæ (qui ejusdem speciei est cum viali) est physicè perfectior actû fidei, cùm sit, vel beatitudo ipsa, juxta Scotum; vel hujus complem. juxta D.Th. ergo & habitus charit. est entitativè perfectior habitû fidei. *Consultò* non diximus, charitatem esse habitum omnium perfectissimum; certum est enim, gratiam & lumen gloriæ illam superare.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

883 Opp. 1. cont. 1. præsupp. ex Aug. sæpè asserente, dilectionem fraternam, quâ diligimus invicèm, non solùm ex Deo esse, sed etiam esse Deum. Et lib. 15. de Trin. docente, non eôdem modô Deum dici *charitatem*, quô interdùm dicitur *spes*, aut *patientia nostra*, sed ita dictum esse, *Deum esse charitatem*, sicut dicitur *eum esse Spiritum S.* R. ex D.Th. hîc a.2. ad 1. loqui Aug. more Platonicorum, quibus solemne erat dicere, perfectiones nostras simpliciter simplices (qualis est charitas) esse Deum, quia sunt participationes quædam divinarum perfectionem: Ideoque secùs loquendum esse, ait, de spe, & patientia, involventibus in suo conceptu formali imperf. charitas ergo, quâ diligimus invicèm, dicitur ab Aug. *Deus* extrinsecè solùm, participativè, vel significativè; non secùs ac ens creatum per attributionem ad Deum dicitur *ens divinum*; charitas autem divina quę est principalissimum analogatum, est Deus simpliciter, & absolutè. *Et* sanè arg. ab omnibus solvendum est. Nec enim Aug. loquitur de charitatis habitu, sed de actu, seu *dilectione*, quam nemo dixit, esse increatam; foret enim ridiculum, siquis, dilectionem (quam in nobis experimur) affirmaret, esse Spiritûm S. ut appositè notat D.Th. q.2. de virt. 1. ad 7.

884 Opp. 2. cont. ult. præsupp. Quantunvìs sanctos propter Deum colamus, distinctis tamen virtutibus ipsos colimus, latriâ, scilicèt, & duliâ. *Distinctis* etiam virt. assentit intellectus principiis, & conclusioni, tametsì illi propter illa assentiatur: ergo nec eâdem charit. diligimus Deum, & proximos, tametsi istos propter illum amore prosequamur.

Ad

Ad 1. R. disp. esse. Quòd ly *propter* in ant. non dicit finem intrinsecum, aut rationem form. colendi (hæc enim est propria excellentia, sive in Deo, sive in SS.) sed finem duntaxàt ult. ad quem exrrinsecè ordinantur actus duliæ, sicut & aliarum virtutum actus, si per charitatem imperentur. In consequenti verò ly *propter* dicit rationem form. diligendi; *non enim per charit. diligimus in proximo nisi Deum*, ut loquitur D.Th. q.103.a.3. ad 2. Potest quidem proximus diligi ratione propriæ bonitatis, sed non charitatê, quantunvis hæc, amorem illum ad Deum tanquàm in finem extrinsecum, ordinare valeat, sicut de actu duliæ dictum est: *Ad* 2. R. disp. esse. Quia in ant. ly *propter* solùm dicit causam efficient. & remotam assensûs; sicut dùm volumus media propter finem; non autem rationem form. assentiendi: Proximum autem charitatê diligimus propter Deum, tanquàm rationem formalem diligendi.

885 Opp. 3. cont. conclus. Actus fidei regulant actus charitatis: ergo sunt istis physicè præstantiores, sicut regula regulatô. *Præt.* Perfectissima contemplatio natur. Dei præstat entitativè amori ipsius, nec enim in isto, sed in illa consistit beatitudo natur. juxta dicta to. 2. à n. 109. ergo. *Ad* 1. dist. ant. Regulant moderando, sicut prudentia virtutes morales, N. proponendo duntaxàt objectum, C. Hæc autem regulatio, cùm sit ordinari ad regulatum sicut dispositio ad formam, non in regula, sed potiùs in regulato præstantiam entitativam arguit. *Ad* 2. dist. ant. Præstat entitativè, &c. in patria, C. In via, N. Hîc enim, licèt cognitio eorum quę sunt infrà nos, præferatur amori (cùm nobiliori modô sint in anima, quàm in se ipsis) eorum verò quę sunt suprà nos, est econversò; quia nobiliori modô sunt in se ipsis, quàm in anima, ut docet D. Th. hîc ad 1. & alibi sæpè. In Patria verò (ubi solùm haberi potest beatitudo naturalis perfecta, ut eô loci diximus) cognitio Dei præfertur amori, ut Caj. optimè advertit, quia ibi, tàm cognitio, quàm dilectio, Deum secundum se attingit. Hîc autem loquimur de cognitione Dei abstractivâ vię scilicèt fidei, quam dilectio charitatis entitativè superat, ob laudatam

tum D. Th. rationem.

886 Opp.4. Deus sub rat. *veri* est objectum perfectius seipsô sub ratione *veri*, ob dicta to.2. n.80. ideoquè lumen gloriæ, & boni, præstant charitati, & dilectioni beatificæ; sed est objectum fidei sub ratione *veri*, charitatis verò sub ratione *boni*: ergo. *Præt.* Fides est virtus nobilioris potentiæ, & aliunde ejusdem ordinis supern. cum charit. ergo. *Tandem*: Genus virtutis intellect. (sub quo est fides) est entitativè perfectius genere virtutis affectivæ, sub quo est charitas: ergo. *Ad* 1. dist. maj. si clarè, & ut in se est cognoscatur, qualiter per lumen, & visionem attingitur, C. si obscurè & ad modum rerum materialium, qualiter per fidem, N. *Ad* 2. N. cons. major enim perfectio entitativa habituum, non ex subjecto, sed ex objecto (in quo charitas præstat.) pensatur, aliàs scientia, sapientia, & prudentia infusæ charitatem physicè excederent. Et idem de Theologia in sent. prob. dicendum foret; quod vel opponentibus adversatur. *Ad ult.* N. triplex supp. ant. Virtus enim immediatè dividitur, juxta D. Th. in theologicam, moralem, & intellectivam. Unde nec fides continetur sub genere virtutis intellectualis, nec charitas sub conficto illo genere virtutis affectivæ, sed ambæ sunt species virtutis theol. Non igitur omnis virtus intellectûs, seu in intellectu residens, est *intellectualis*, ut ineptè supp. sicut nec omnis actio hominis est *humana*, nec omnis perfectio relationis est *relativa* juxta probabilem opinionem.

DUBIUM IV.

Utrum Charitas sit simpliciter perfectior anima rationali?

887 COnclus. est neg. quàm propugnant Capr. Caj. Conrr. quibus Serra pluresque subscribunt, contra Araujo, Godoy, Gonet, aliosque. Omnes autem asserunt, charitatem ac reliqua supernaturalia dona excellere, sal-

saltèm secundum quid, animam, ob doctrinam D. Th. hîc a.3. ad 3. alibique, ad cujus elucidat. disceptatur hæc quæst. Hôc igitur supp. Prob. concl. ex D.Th. in 2.d.17.q.1.a.2. ad 3. sic loquente: *Dicendum est igitur, quòd simpliciter anima est melior charitate, & quodlibet subjectum suo accidente; sed secundum quid est & econversò.* Idem docet in 2.d.26.q.1.a.2. ad 3. q. 27. dc verit. a.1. ad 6. alibique sæpè, sed præcipuè in 4. d.49.q.1.a.2. ad 5. generaliter docens, visionem Dei, gratiam, & hujusmodi formas supernat. esse quoàd aliquid nobiliores animâ; simpliciter tamen, animam esse perfectiorem illis.

888 Prob. deinde rat. S. D. locô 1. laud. Nam esse animæ, tàm essentiale, quàm existentiale (utpotè substantiale) est simpliciter perfectius utròque esse charitatis, utpotè accidentali. Anima insuper tribuit homini esse substantiale, primum, & simpliciter tale; charitas verò tribuit illi esse accidentale, secundarium, & secundumquid tale: ergo anima præstat simpliciter charitati. Hęc conseq. immeritò à quibusdam neg. *Tum*, quia est D. Th. *tum*, quia ex illo ant. apertè infertur major perfectio etiam specifica animæ respectu charitatis. *Prat.* auima ration. post Angelum, est perfectissima species generis perfectioris, nempè, substantialis: ergo. Tenet cons. species enim generis perfectioris, saltèm perfectissima, excellit simpliciter omnes generis imperfectioris, ut patet inductivè; charitas autem & reliquę supernat. formæ, sunt species accidentales contentæ, vel sub genere qualitatis ab Arist. assignatô (ut D. Th. perpetuò docet) vel sub quodam supernat. ab Advers. confictô: Utrumque autem, cùm accidentale sit, inferius est substantiali. Nec *supernaturalitas* affert secum majorem simpliciter perfect. cùm substantiæ repugnet, ob hujus perfectionem, secùs accidenti. Et hinc facilè præcluduntur evasiones.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

889 Opp. 1. Perfectio cujuslibet rei, potiùs ex specie, quàm ex genere & modo essendi illius pensanda est; sed accidens supernat. est ex specie suâ perfectius animâ, tametsi in modô essendi sit conversò, ut hîc ad 3. & alibi perpetuò do-

docet D.Th. ergo. *Præt.* Justificatio impii est majus opus, quàm creatio Cœli, & terræ, ut ex Aug. docet D.Th. 1.2. q.113.a.9. ergo gratia, quę justificationis est terminus, præstat simpliciter animę, creatione productæ. *Ad* 1. N.cons. Ex specie enim provenire potest, & major perfectio simpliciter, & major secundum quid; lux siquidem (ut exemplô D.Th. utar) ex specie sua perfectior diaphanô, secundum quid solùm est istô præstantior: Utrumque igitur stat, *& quòd charitas ex specie sua sit perfectior secundum quid anima; & quòd anima ex specie sua sit perfectior simpliciter charitate.*

890 Profectò S. D. sæpè expressè dicit, animam esse simpliciter perfectiorem charit. sed non econversò. Quanvis igitur accidens supernat. specialiter (præ naturali) excedat animam, ob rationem D. Th. non tamen simpliciter. *Ad* 2. N. cons. aliàs & visus cæco restitutus, esset simpliciter perfectior leone, cùm illa restitutio sit majus opus, quàm leonis generatio; & verbum (quod est intellectionis terminus) præstaret simpliciter animalibus vegetatione, seu generatione productis. Justificatio igitur impii excedit creationem ratione termini *majoris infieri*, seu *secundum quantitatem proportionis*, ut loquitur D. Th. *non autem in facto esse*, seu *secundum quantitatem absolutam*. Solutio est evidens, concludit enim S. D. ex Aug. *majus opus esse justificare impios, quàm creare Angelos justos*; adeoquè non ratione majoris termini in facto esse. Cùm eadem sit utrorumque justitia, seu gratia.

891 Opp.2. Actus charit. sunt simpliciter perfectiores quôlibet actu naturali: ergo & charitas animâ, perfectio enim formæ ex perfect. suæ operationis sumenda est. *Præt.* Homo magis Deo assimilatur per gratim, & charit. quàm per animam, sunt quippè formales participationes *naturæ*, & *dilectionis* divinæ: ergo. *Ad* 1. N. cons. Nam actus charit. sunt etiam actus animæ, juxta dicta to.1.à n.229. Dùm igitur lumen gloriæ, gratia, & charitas dicuntur principia omnium perfectissima; conferuntur cum aliis principiis, seu formis accidentalibus, non autem substantialibus. *Ad* 2.

dist.

dist. ant. Magis assimilatur Deo accidentaliter, C. in esse substantiali, primariô, & simpliciter tali, N. Sunt quidem gratia & charitas formales naturæ & dilectionis divinæ participationes, accidentales tamen; adeoque non ità perfectè assimilant Deo, ac anima, quæ est particip. *substantialis* naturæ divinæ, quanvis non *formalis*. Ecquis enim dicat, potiùs hominem pictum, quàm brutum, humanam participare perfectionem, quantunvis in solo illo sit formalis similitudo hominis veri?

892 Opp. 3. Materia prima, & modus unionis inter materiam & formam sunt de prædicamento substantię; sed sunt absolutè imperfectiores charitate: ergo. N.conſ.nam materia prima est pura potentia, modus autem unionis debilissimæ entitatis, & ab extremis dependens; unde nihil mirum, quòd censeantur imperfectiores charitate, quę, tametsi accidentalis, est actus, & quidem supernaturalis. *Formę* verò substantiales materiales (ut aliis occurramus) sunt charitate simpliciter perfectiores ob rationem assig. *Dato* autem oppositô, dicendum, rationem nostram procedere de perfectissima specie substantiæ, qualis est anima, post Angelum, quæ excedat, necesse est, quamlibet speciem generis accidentalis. *Existentia*, licèt det homini esse accidentale prædicabile, non tamen prædicamentale, cùm sit substantia; charitas autem, & est accidens prædicamentale, & accidentaliter de homine prædicatur.

893 Opp. tandem: Carentia, & gratiæ charit. pejor est, quàm carentia cujuslibet formæ substant. eligibilius quippè est anihilari, quàm gratiâ & charitate privari: ergo. *N.ant.* Ad prob. N. ant. Anihilatio enim, cùm secum afferat carentiam totius esse, tàm substantialis, quàm accidentalis; etiam includit carentiam gratię & charitatis. *Vel* dist. 1. ant. Pejor est moraliter C. physicè N. Ad prob. dist. ant. Eligibilius est anihilari, quâ privari gratiâ & charit. voluntariè per peccatum mortale, C. Absolutè, & prœcisivè à peccato, N. Vide to. 2. n. 78. & 79. Cajet. autem dùm 1. 2. q. 113. a. 9. ait: *Bonum gratiæ unius, esse melius, quàm bonum naturæ totius uni-*

universi, loquitur de gratia in genere moris, non autem in genere entis, ut liquet ex comment. hujus a. 3.

DISPUTATIO II.

De augmento & decremento Charitatis.

894 EXpositâ charitate secundum se, differit S. D. de illa comparativè ad subjectum q. 24. cujus 5. priores articuli nullâ egent expos. In illis enim resolvit, charitatem subjectari in volunt. esse habitum per se infusum; adeoque non dari juxta naturalem subjecti capacit. sed secundum infundentis beneplacitum; demùm, augeri posse in via; non quidem per additionem, sed per intensionem in subjecto. Horum autem primum in confesso est apud omnes. Tria sequentia sunt fide certa ex Scrip. & CC. præcipuè Trid. sess. 6. cap. 10. & can. 24. & 32. Ultimum verò in libris de Ortu & interitu acriter disceptatur. *Articulo* autem 6. inquirit: *Utrum charitas quolibet actu augeatur?* Cujus resol. copiosam differendi materiam subministrat. Illam autem, omissis superfluis, unicô sequenti dub. breviter & dilucidè, Deô dante, comprehendemus. Sit igitur

DUBIUM I.

Utrum Actus Charitatis remissi mereantur de condigno Charitatis augmentum, & quandò istud conferatur?

895 SUpp. 1. cont. Suar. Vazq. aliosque RR. actus charit. seu ab illa procedentes, influere in habitûs augmentum, non solùm moraliter, seu meritoriè; sed

& physicè dispositivè. Sic enim expressè docet D.Th. in 1. d.27.q.2. a.3. *Non eodem modo* (inquit) *se habet actus informatus charitate ad augmentum charitatis, & actus præcedens charitat. ad habendam charitatem: Actus enim qui est ex charit. ordinatur ad augmen. charit. & per modum disp. & per modum meriti: Sed actus præcedens charit. ordinatur ad consequendam charit. solùm per modum dispos. & non per modum meriti, quia ante charitatem nullum potest esse meritum.*

895 *Supp.* 2. cont. Illus. Herr. in M.S. & G.Mart. præfatos actus non concurrere ad augment. habitûs physicè efficienter, seu effectivè. Verbis enim môx laud. extemplò subjungit S.D. *Neuter autem actus ordinatur ad habendam, vel augendam charit. per modum alicujus efficientiæ, sicut actus nostri ad habendos habitus acquisitos.* Et q. de virt. a.11. in corp. & ad 14. ait: *Dicendum, quòd charitas & aliæ virtutes* (infusæ) *non augentur activè, sed tantùm dispositivè, & meritoriè.* Et ratio est, quia illius est illas activè augêre, cujus est efficienter producere; augens enim activè habitum, illum virtutê continet, adeoque, & producere valet: Solius autem Dei est tales habitus efficere. *Supp.* 3. Per actus remissos intelligi in præsenti actus omnes non excedentes intensionem habitûs: Ut si habitus sit intensus ut 4. v.g. actus ut 4. & infrà, dicuntur remissi; & solùm actus ut 5. & suprà, dicuntur intensi: Remissio igitur actûs non sumitur hîc absolutè, sed respectivè. *Supp.* tandèm dub. procedere de actu charit. remissô, seu ab illa elicitô, seu solùm imperatô. His prælibatis, sit

896 Prima concluſ. *Actus charit. quantumvis remissi, merentur de condigno charitatis augmentum, & quidem distinctum à correspondente ferventioribus, sive intensis. Quoàd* 1.p. est com. cont. D.Bonav. Dur. Vict. & Vegam. Et constat. Tum ex Trid. sess. 6. can. 32. diffiniente, justos bonis operibus mereri augm. gratiæ, & gloriam. Cùm autem prop. sit indefinita, & doctrinalis, æquivalet universali, ac si disceret, *justificatũ, omnibus bonis operibus mereri gratiæ augm. &c.* Eadem autem ratio currit de augm. charit. cùm hæc sit proprietas gratiæ, ne-

cessariò ab illa procedens, adeoque augenda ad illius augm. *Tum* ex D.Th. illam expresè tradente hîc a. 6. ad 1. *Quilibet* (inquit) *actus charit. meretur charitatis augmentum.* Et idem perpetuò alibi docet. *Tum* rat. ejusdem S. D. 1. 2. q. 114. a. 8. ad 3. Nam actus remissi merentur de condigno vitam ætern. seu gratiæ, ac charitatis consummationem : ergo & harum augm. quod ad consummationem tanquàm ad ultimum terminum ordinatur. *Tum*, quia tales actus sunt honesti, supernaturales, in obsequium Dei facti ab homine grato : ergo. *Tandem*, quia si actus charit. ut 4. eliciceretur à charit. ut 3. mereretur habitûs augmentum : ergo etiam si eliciatur à charitate ut 5. & suprà.

897 Secunda verò p. concl. est com. contra M.Bañez, cui mordicùs adhęret Conenson. Constat autem ex Scrip. sæpè generaliter promittente omnibus bonis operibus justorum, etiam minimis, præmium vitæ æternę, ùt patet Matth. 5. & 10. ad Coloss. 3. & 1. Cor. 15. Nulla autem necessitas cogit ad sensum improprium, qualis profectò est ille *de pluribus titulis.* Qui enim ad plures dies operarium conducens, promittit denarium pro opere diurno, promittit sanè, singulos denarios in singulos dies ; nam si solùm promitteret unum, pluribus titulis in fine septimanæ reddendum, esset nugatoria promissio. *Præt.* Trid. locis n. præced. laud. diffinit, justos per bona opera facta in gratia per Christum (quibus mandata Dei, & Ecclesiæ observant,) crescere in gratia, & charit. & magis justificari ; sed actus charit. remissi, per se ipsos & independenter à ferventioribus sunt opera, per Dei gratiam & Christi meritum facta, & mandatorum adimpletiva : ergo.

898 *Præt.* Si idem habitûs augm. responderet actibus remissis, & intensis, non deberetur illis independenter ab istis : ergo illi non mererentur de condigno illud, nam tale meritum ex se, & independenter ab alio, dat jus ad præmiũ. *Præt.* Quia aliàs non servaret Deus debitam proportionem inter præmium, & meritum, totiès in Scrip. commendatam ; si enim ex duobus habentibus charit. ut 9. alter eliceret centum actus ejusdem intensionis, alter verò unicum ut

10.

10. essent utiquè inæqualis meriti, & æquale præmium essentiale reciperent, juxta Adversarios. *Nec* juvat recursus ad plures titulos in uno, quàm in alio: Nam plures tituli sunt plura motiva, ob quæ confertur idem præmium, quod datur pauciora habenti merita: ergo tota inæqualitas se tenet ex p. meritorum cum æqualitate præmii: ergo.

899 Secunda concluſ. *Speciale illud habitus augm. quod per actus remissos justi merentur, non confertur illis donec in ferventiorem prorumpant actum, quo ad illud ultimò se disponant, non quidem in patria, sed in via.* Quoàd 1.p. est com.Thom. cont. Nomin. & plures RR. asserentes, augmentum illud statim conferri. Estque expressa D. Th. hîc a. 6. ad 1. *Dicendum* (inquit) *quòd quilibet actus charit. meretur charitatis augm. non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augm.* seu *cùm sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augm.* ut ait 1.2. q.114.a.8. ad 3. *Prob.* autem rat.ejusdem: Quia actus remissi non disponunt sufficienter subjectum ad augmentum habitûs, ut de naturalibus docet ipse 1.2.q.51.a. 3. sed gratia & charitas, nec infunditur, nec augetur in adultis, nisi juxta supernaturalem eorum disp. ut de infusione docet Trid.sess.6.cap.7. ergo.

900 Quoàd 2. verò p. est cont. J. à S.Th. Serra, Marinis, Gonet, aliosque Thom. Videtur tamen conformior menti D.Th.hîc a.6. dicentis: *Non quolibet actu charit. charitas augetur; sed quilibet actus charit. disponit ad charit. augm. inquantùm ex uno actu charit.homo redditur promptior iterùm ad agendum secundum charitatem: & habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quousquè conetur ad charitatis profectum. Et tunc charitas augetur in actu.* Ubi (sicut ad 1.) apertè loquitur de actu ferventiori, & conatu ad augm. viali. Unde sic formatur rat. Actus charit. quibus hæc non augetur, soli sunt remissi, nam intensiores habiti, hunc semper defacto augent, quanvis nulli præcesserint remissiores: ergo augm. illud, quod de facto in via justo confertur, dum, præcedentibus actibus remissis ad ferventiorem disponentibus, hunc elicit, non solùm est, quod isti debetur, sed & illud quod remissi de facto meruerant, nec ac-

ceperant, ob defectum ferventioris ultimò disponentis.

901 *Præt.* Justus per actus remissos meretur aug. habitûs quod non statim illi datur, sed cùm prorrumpit in actum ferventiorem : ergo dùm in via prorrumpit in istum, defacto consequitur augm. quod per actus remissos ante meruerat. *Conf.* Dùm justus in via prorrumpit in ferventiorem charitatis actum, assequitur augm. illud, quod differebatur usquedùm præfatum eliceret actum; sed augm. quod sic differebatur, est illud quod actibus remissis promeruerat: ergo istud defacto consequitur justus quotiès in via prorrumpit in ferventiorem charit. actum. *Præt.* & evertitur fund. Advers. Nam actus ille ferventior, ultimò disponens ratione sui ad augm. quod ipse meretur, disponit pariter ultimò virtute remissorum præcedentium ad augm. debitum istis : ergo. Prob. ant. ex D. Th. hìc ad 2. docente, quòd ultimus actus, qui est perfectior agens, in virtute omnium præcedentium reducit virtutem in actum, & eam complet : ergo. *Confert* præt. ibidem augm. habitûs, correspondens diversis actibus, cum excavatione lapidis secutâ ad multas guttas; sed ultima gutta operatur virtute propriâ, & virtute præcedentium: ergo. *Consultò* missa facimus nonnulla inconvenientia adduci solita, quia facilè solvi possunt, ut videre est apud J. à S. Th. & Marinis.

902 Inquires autem : Quid, si justus nullum in via eliciat post remissos ferventiorem actum ? *R.* in primis, casum esse imposs. Quia suppositâ prædestinatione ad determinatum gradum gloriæ, gratiæ, & charit. per merita consequendum; sicut infallibiliter illa ponit justus, ità & infallibiliter eliciet actum ferventiorem, tanquàm ultimam disp. connaturalitèr exactam ad præfati gradûs collationem. *Admisso* autem casu, R. tunc conferri augm. illud, vel in receptione Sacramentorû maximè Euch. cùm per illa augeatur gratia & charitas ex opere operato, & ultra dispositionem recipientis. *Vel* in ipso Gloriæ ingressu, tunc enim omnia merita recensentur, ut plenè & defacto accipiat justus retributionem. Sed tunc nullus requiritur actus per modum dispositionis, ut dictum est.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

903 Opp. 1. cont. 2. supp. Augmentum habitûs vitaliter fit, cùm voluntas se moveat ad illud: ergo fit per actus vitales, adeoque isti effectivè influunt in illud. *Præt.* Si quis haberet gratiam ut 6. & charitatem ut duo, tunc actus charitatis virtute gratiæ à qua radicaliter procederent, haberent vim sufficienter effectivam augmenti charit. ergo efficienter augêrent illam. *Ad* 1. dist. ant. Vitaliter fit, quantùm ad disp. seu meritum, C. Quantùm ad efficientiam, N. Deus enim, qui se solò producit talem habitum, se solò auget illum. Actus autem vitales hominis solùm sunt meritû, vel disp. ad augm. ad quod proinde voluntas movet se meritoriè, & dispositivè, secùs efficientèr. *Ad* 2. N. ant. Gratia enim quantumcumquè intensa, solùm continet in radice meritum augmenti, non autem hujus efficientiam, quę in solo Deo tanquàm in causa efficienti princip. contineri potest.

904 Opp. 2. cont. 1. conclus. D. Th. sæpè asserentem, *actum charit. remissum non mereri augm. habitus*; Et, *non omnem actum meritorium gloriæ, esse meritorium augmenti habitus charit.* *Præt.* Actus remissus non est ultima disp. ad habitûs augm. ob defectum proportionis cum isto: ergo nec meritorius illius de condigno, ob eundem defectum, nam tale meritum est pariter præmio proportionatum. *Præt.* Remissè operans, malè utitur habitû, & negligenter, adeoquè malè operatur, nam *maledictus homo qui facit opus Dei negligenter*, ut dicitur Jer. 48. & docet D. Th. infrà q. 54. a. 3. ad 1. *Ad* 1. R. D. Th. solùm velle, quòd actus remissus non mereatur augm. habitûs statim dandum, juxta dicta. *Ad* 2. N. conss. Quia actus remissus caret proportione physicâ cum augm. ad rationem ultimę disp. exactâ; habet tamen moralem, sufficientem ad meritum condig. *Ad ult.* N. ant. Actus enim charit. remissus est adæquatè bonus, nec ullatenùs vitiari potest, ob dicta to. 2. à n. 374. Unde nec fieri potest ex, aut cum negligentia: nec eô potest quis malè uti habitû; sed solùm non tàm benè, ac potest. Negligentia autem venialis, quæ tunc causatur juxta D. Th. non est circunstantia actûs charit. remissi, sed vitians actus circa materiam

alia-

aliarum virtutum. Vide S.D. ibi a.1. ad 3.

905 Opp.3. cont. 2. p. ejusd. Christus D. singulis actibus meruit idem præmium: ergo ad meritum distinctum sufficit, quòd idem præmium fiat debitum novô titulô. *Dist.* cons. Si charitas sit in suo termino, ut in Christo D. C. Si secùs, N. Et hæc est mens D.Th. in 3.d.18.a.2.ad 4.

906 Opp.4.ad idem: Quia aliàs plus mereretur eliciens per horam 20. actus remissos, quàm continuans per illam actum intensum ut 6. ille quippè mereretur habitûs cremétum ut 40. iste verò solùm ut 6. cùm tamen perfectiùs charitatem exercêret: ergo. N. ant. ad prob. N.ant. quoàd 2. p. longè enim majoris meriti & perfectionis est, juxta omnes, continuatio illius actûs intensi, quàm instantanea ejusdem elicientia: Cùm igitur actus ille instantaneè durans, crementum ut 6. assequatur, multò majus mereatur, necesse est, per horam perseverans; longè etiam majus, quàm quadragenarium illud, 20. remissis correspondens. *Nec* inferas, actum continuatum per horam (infinitas continens pp.) infinitum augm. promereri: Quia infinitæ pp. horæ, non sunt aliquotæ, sed proportionales: unde sicut non faciunt infinitam extensionem, ita nec arguunt infinitum augm. sicut nec infinitum meritum præmii accidentalis, ut fateri tenetur Bañez.

907 Opp.5. cont.1.p.2.concl. Actibus remissis debetur speciale habitûs augm. quod merentur: ergo istud non est differendum. N.cons. Differendum enim est, quousque subjectum ultimò ad illud disponatur: nam extra Sacramenta non confertur in via augm. gratiæ, & charit. ultra recipientis disp. Profectò gloria est simpliciter debita homini justo, non tamen datur ei, nisi suô tempore, seu, cùm decedit in gratia, & nihil habet purgandum. *Mirum* sanè est, doctrinam adeò præclaram, & præclarissimè à D. Th. perpetuò traditam, difficilem quibusdam videri, & (si Superis placet) Tridentino adversam.

908 Opp.ult. cont. 2.p. ejusd. Actus charit. habitû intensior, nequit esse ultima disp. ad habitûs augm. debitum remissioribus. *Tum*, quia est ultima disp. ad habitûs augm. si-

sibi ipsi respondens. *Tum*, quia disp. ultima, & præviæ, ad eandem tendunt formam; sed augm. respondens actibus remissis, & intenso, non est idem: ergo actus intensior non est ult. disp. nec remissi præviæ, ad habitûs augm. *Tum* demùm, quia si habens charit. ut 4. eliciat tres dilectiones ut duo, & postmodùm dilectionem ut *sex*, reciperet augm. ut 12. sed ad istud non potest esse ult. disp. dilectio illa ut 6. utpotè non minùs ab illo distans, quàm dilectio ut 2. ab augm. ut 6. ergo.

909 Dist. ant. Nequit esse, &c. ratione sui, & præcisivè ab actibus remissis, C. His præsupp. eorumque virtutê, N. Ad augm. autem sibi ipsi debitum, ratione sui disponit. Et sic patet ad 1. prob. Ad 2. dist. maj. Ad eandem entitativè formam, C. gradualiter eandem, N. Licèt enim diversus augmenti gradus respondeat actui ferventiori, & remissis; est tamen idem entitativè augm. cùm sit ejusdem habitûs, nec remissis dari possit, quin ferventiori detur. *Ad ult.* dist. min. nequit esse, &c. ratione sui, & præcisivè à remissis, C. His præsupp. & virtute illorum, N. min. & cons. Est enim actus ille intensus ut 6. ult. disp. ratione sui ad augm. ut 6. & simul virtute trium remissorum ut 2. ultimò disponit ad aliud augm. ut 6. debitum illis. Tunc igitur habitus qui supponitur ut 4. manêret intensus ut 16.

DUBIUM II.

Utrum Charitas viæ possit in infinitum augeri, & æquare charitatem patriæ?

910 PRima concl. *Charitatis augmento nullus præfigitur terminus in hac vita, adeoque charitas viæ potest in infinitum augeri.* Est D.Th. hîc a. 7. & fidê certa ex variis Scrip. locis. Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Apoc. 22. *Qui justus est, justificetur adhùc.* Accedit diffin. CC. Vienen. & Trid. consensus PP. & rat. D.Th. Nec enim præfigi potest terminus augmento charit. viç, aut

ex

ex p. ipsius formę, seu charit. cùm sit participatio quędam infinitæ charit. Dei: aut ex p. agentis, nempè, Dei, cùm sit infinitæ virtutis: aut demùm ex p. subjecti, cùm semper charitate crescente, superexcrescat habilitas ad ulterius augm. ergo. *Quæ* ratio non solùm convincit cont. Begardos, charitatem viæ omni carere terminô augm. sed etiam cont. Scot. & quosdam RR. id ei ex natura sua competere. Ostendit enim, charitatẽ non habere term. secundum rationem propriæ speciei, adeoque ex natura sua. *Convincit* pręt. quòd & charitas Patriæ possit de pot. absol. augeri, cùm ex nullô assignatô cap. illi repugnet; sed solùm de lege ordin. ratione statûs naturâ suâ immutabilis.

911 Secunda concl. *Charitas vialis unius adulti, æquare, imò excedere intensivè potest charitatẽ beatam aliorum, secùs propriam, seu quam ipsemet habebit in patria.* Consultò loquimur de sola charitatis intensione; nam certũ est, charitatem utriusque statûs esse specificè æqualem, imò eundem specificè habitum, ob unitatẽ formalẽ objecti, & juxta illud 1. Cor. 15. *Charitas nunquàm excidit.* Supp. insuper, charit. patriæ excedere vialem pluribus prærogativis, quoàd statum connatur. inamissibilitatem, & id genus plura. Concl. quoàd primã p. est com. Thomistarum. Et prob. *Tum* ex dictis: Quia charitas patriæ habet certum, & finitum gradum, ultra quem augeri non potest de lege ordin. Demus ergo, illam esse intensam ut 20. atqui viator potest hunc gradum attingere, imò & superare, cùm charitas viæ nullum sibi vendicet terminum, ultra quem progredi non possit: ergo.

912 Tum exemplis, certum enim est, charit. vialem Beatiss. Virg. longè excessisse charitatem cujuslibet Beati. Nec dubium, quin charitas D. Petri aliorumque insignium SS. dùm in terris degerent, excelluerit charit. quam in patria habent infantes, statim post baptismum decedentes. Et idem dicendum est cont. Araujo, alioque de charit. actuali, seu dilectione; quia hujus intensio excedere nequit intensionem principii proximè elicitivi, tametsi in aliis præstet dilectio patrię cuilibet dilectioni viæ; sicut de charitate habituali diximus. *Quoàd* 2. verò p. est etiam com. Thom. &

prob.

prob. Deus enim, juxta vulgatum Theolog. axioma, præmiat ultra condignum, adjiciendo aliquid ſupra id, quod actibus noſtris ex juſtitia debetur: ergo ſuprà id, quod in via tribuitur actibus meritoriis, reſtat aliquid charitatis, tribuendum in patria: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

913 Opp. 1. cont. 1. concl. Quia aliàs poſſet quilibet juſtus æquare, vel excedere charitatem Chriſti, aut Beatiſſ. Virg. quod eſt inconveniens: ergo. N. ant. Nam licèt quivis juſtus poſsit ſemper in charitate creſcere, non tranſiliet tamen terminos à divina prędeſtinatione poſitos; adeoque nullus, charitatis Salvatoris, vel Deiparæ gradum aſſequetur unquàm, nec aſſequi poterit in ſenſu compoſito, nullus quippè ad tantam charitatem prædeſtinatus eſt; hæc autem copulativa eſt impoſsibilis: *Deus prædeſtinavit Petrum ad tantam charitatem, & Petrus ipſe habet majorem.* Itaque charitati juſti in via non poteſt (abſolutè loquendo) præfigi terminus intrinſecus, ad quem ſcilicèt poſſet pervenire, & non ultra progredi; poteſt tamen præfigi terminus extrinſecus, ad quem ſcilicèt (ſecundum nobis revelata) non poterit pervenire. Ut v. g. quòd nemo poterit pertingere ad gradum charitatis Chriſti D. & Beatiſſ. Virg.

914 Opp. 2. cont. 1. p. 2. illud Chriſt. loquentis de J. Bap. Matth. 10. *Qui minor eſt in Regno Cœlorum, major eſt illo. Præt.* Prov. 4. & 1. Cor. 13. Sanctitas viatorum comparatur auroræ & pueritiæ; Beatorum autem, diei, & ætati virili. *Demùm* PP. paſsim docent, charitatem in patria eſſe incomparabilitèr majorem, & perfectiorem, quàm in via: ergo. *Ad* 1. R. ſenſum eſſe, juxta Amb. quòd Joannê major ſit minimus Angelorum, qui ſoli tunc erant in Cœlo. *Vel* juxta Aug. quòd Joannê major ſit Chriſtus, quanvis ætate, ordine prædicationis, & æſtimatione hominum eſſet illô minor in Eccleſia. Adde, minimum beatorum dici poſſe Joannê majorem quoàd ſanctitatem & charitatem; non quidem ratione intenſionis, ſed ratione aliarum perfect. *Per* quæ patet ad 2. & 3. *Nec* aliud indicant Scrip. & PP.

915 Inquires: *An charitas diminui poſsit directè per venia-*

niale peccatum ? R. negativè cum D.Th. hîc a.10. *Tum*, quia inordinatio circa media, cujuſmodi eſt veniale peccatum, non minuit amorem finîs, qualis eſt charitas. *Tum*, quia aliàs iteratis ſolis venialibus, poſſet charitas & gratia tandem deſtrui, omne quippè finitum per ablationem finiti conſumitur; ſed conſequens eſt abſurdum, ſolô enim lethali peccatô amittitur gratia & charitas, juxta fidem: Et aliàs decedenti abſque gratia & charitate, ob ſola venialia iterata, nullus in alia vita reſpondêret locus, ut de peccante purè philoſophicè urgebamus tomo 1. n. 107. ergo. *Teſtimonia* autem Scrip. & PP. in oppoſitum objici ſolita, accipienda ſunt in ſenſu diſpoſitivô, venialia enim diſponunt ad mortalia, quatenùs ſenſim provos habitus paſcunt, charitatis exterminium molientes. Et in hoc ſenſu extrinſecum charitatis fervorem minuere dicuntur. Ac de Tertia Epitomês Parte, hactenùs.

Omnia S. Rom. Eccleſiæ correctioni, & Sapientum Hominum judicio ſubmiſſa ſunto.

IN-

INDEX.

TRACTATUS I. De Legibus. Pag. 1
DISP. I. De Legibus in communi. 2
Dub. unicum. Quid, & quotuplex sit Lex? Et quęnam illius officia, effectus, & actus? 2
DISP. II. De Lege Æterna, & Naturali. 7
Dub. 1. Quid sit Lex æterna? An reliquas derivet, & ad quę se extendat? 7
Dub. II. Quid sit Lex naturalis, & an mutabilis, aut dispensabilis sit? 11
An in Lege naturali locum habeat simplex interpretatio aut Epiikia? 15
DISP. III. De Lege Humana secundum se
Dub. I. Quid, qualis, & quotuplex sit lex humana? 21
Dub. II. Qualem promulgationem, & an Populi consensum requirat lex humana, ut obliget? 28
DISP. IV. De potestate legis humanæ.
Dub. I. Ut. lex humana habeat vim obligandi in foro conscientiæ? 34
An omnes leges humanæ obligent ad culpam? 37
An lex humana obligare possit sub culpa lethali, & cum periculo & dispendio vitæ? 38
An lex pœnalis, seu continens pœnam spiritualem, temporalem, aut mixtam (seu latam, seu ferendam) in transgressores, obliget in conscientia, quanvis nihil exprimat de tali obligatione? 39
Dub. II. Ut. omnes homines legi humanę subdantur? 40
DISP. V. De Mutatione legis humanę.
Dub. I. An Legislator justè possit, & quando debeat, legem abrogare? 45
Quisnam Legislator possit legem abrogare? 46
Dub. II. An, & qualiter consuetudo vim instituendi, abrogandi, & interpretandi legem, obtinere valeat? 47
Dub. III. An, à quibus, & qualiter possit in legibus humanis dispensari? 54

Dub.

Dub. ult. Appendix. De Privilegiis. 62
DISP. ult. De Lege Divina Veteri seu Mosayca, & Nova seu Evangelica. Dub. I. An Lex vetus fuerit bona ac perfecta, & à Deo immediatè illata? 71 & 72
Dub. II. Ut. præcepta Legis veteris fuerint triplicia, videlicet, moralia, cerẹmonialia, & judicialia? 76
Dub. III. De singulis generibus præceptorum Veteris Legis summatim. 80
Dub. IV. Quando, & qualiter lex vetus cessaverit? 84
Quô præcisse tempore cæperit Lex Mosayca esse mortifera? 89
Dub. ult. Qualis sit Lex Evangelica, & quænã contineat? 90
TRACT. II. De Necessitate Gratiæ. 93
DISP. I. De Necessitate gratiæ ad cognitionem veri.
Dub. unic. Ut. homo lapsus possit cognoscere sine speciali gratia singulas, omnesque veritates naturales speculativas, aut practicas? 98
DISP. II. De necefsitate Gratiæ ad volitionem, & operationem boni.
Dub. I. Ut. homo lapsus possit elicere aliquos actus undequaque moraliter honestos intra naturæ ordinem, absque speciali gratia? 103
Dub. II. Ut. possit homo diligere Deum Auth. naturæ super omnia, dilectione completè efficaci sine speciali gratia naturali, aut supernaturali? 115
Dub. III. Ut. ad observantiam totius legis naturæ quoàd substantiam, indigeat homo lapsus speciali gratia? 123
DISP. III. De necessitate gratiæ ad vitandum malum.
Dub. I. Ut. possit homo omnia collectivè peccata venialia vitare sine speciali gratia & privilegio? 128
Dub. II. Ut. ad victoriam gravis tentationis indigeat homo lapsus speciali gratiâ? 133
DISP. ult. De necessitate gratiæ ad finalem perseverantiam.
Dub. unic. Ut. ad finaliter perseverandum requiratur speciale donum, à gratia habituali, & communibus auxiliis (eam concomitantibus) distinctum; & in quo formaliter consistat? 137

TRACT.